Ars medendi singulis morbis accommodata / [Edited by Friedrich Platner].

Contributors

Platner, Johann Zacharias, 1694-1747.
Platner, Friedrich.

Publication/Creation

Lipsiae : Sumtibus C. Fritsch, 1765.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/gq44ze8j

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



E.XV.C
18
1500/8

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30515579

IO. ZACHAR. PLATNERI

PROFESSORIS MEDICINAE

NVPER APVD LIPSIENSES PRIMARII

ARS MEDENDI

SINGVLIS MORBIS

ACCOMMODATA.

Carolus Johannes Reise

Doublette der K.U.-Bibl.Erl.

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

MDCCLXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CAR. PHILIPPO GESNERO

VIRO ILLVSTRI

ET DOCTRINAE FIDEIQVE

EXPERTAE

SERENISS. ELECT. SAXON. ARCHIATRO

ET AVLAE CONSILIARIO

S. D. P

FRIDERICVS PLATNERVS

Ante duos menſes, Vir Illuſtris, nihil tale cogitanti, libri a patre meo ſcripti nondum publicati, de cuius argumento narranti non conſtabat,

editionem a Fritſchio noſtro parari, forte nunciatur. Vix fidem habui, etenim, perfectum et limatum opus quod poſt mortem ſuam voluiſſet pater meus edi, ab eo nullum relictum eſſe, facile recordabar. Quare, vt, quid hoc rei eſſet, cognoſcerem; conueni Fritſchium, qui non negauit, ſe primas artis medendi lineas, a parente meo in praelectionum ſuarum vſum ductas, ſibi vero viri intelligentis beneficio oblatas, ſuis impenſis ita exſcribendas curare, vti in parte libri, quam videre poſſem, factum ſit: ceterum ſe ſperare, hunc laborem nec infructuoſum ſibi, nec artis medicae ſtudioſis inutilem et minus iucundum futurum eſſe. Commemorabat deinde, purgandi apud me conſilii ſui cauſſa, ſuum in patrem meum, etiam poſt eius mortem, amorem ſemper duraturum; paterni nominis

minis apud exteros gratiam; curam orationis non inuenuſtae, quam libri paterni oſtendant; et multa ſimul alia, quae modeſto ſilentio premere, quam ambitioſius repetere, malo. Etſi vero, neque verbis, neque precibus, apud Fritſchium noſtrum peperci, nihil tamen apud eum, inprimis ex parte libri machinis perſcripta, et, opere non abſoluto, piperis venditoribus omnino deuouenda, non leue damnum praetendentem, potui efficere. Vrgebam, ſed nequidquam; patrem omnes commentarios et aduerſaria ſua, Ioh. Beniam. Boehmero, inter diſcipulos quondam inprimis dilecto, ea conditione, vt nihil eorum in publicum emitteret, codicillis ſuis legaſſe. Fidem ſeruaſſe et illum, et alterum Boehmerum, ad quem, poſt fratris immaturam mortem, legatum tranſierit, Georgium Rudolphum,

Vitebergam fama eruditionis ſuae ornantem. Penes hunc Patris exemplum, et metuendum eſſe cuilibet librario, ne ſi in apographum parum accuratum inciderit, et paternam memoriam iniuria afficiat, et lucri ſpem deponere cogatur. At, vt aiunt, ſurdo narrabatur fabula, et erat in Fritſchio noſtro in doctrinam patris nomenque fiducia ea, quae, etſi minorem in hac cauſſa forte optaſſem, diſplicere tamen filio non poſſet. Narrabat praeterea, ſe aliquot doctos huius vrbis medicos, externos etiam, quorum auctoritatem ſequi, ſine periculo ſuo, et paterni nominis, poſſit, ſuper hoc libro conſuluiſſe; omnes librum edendum cenſuiſſe, non parum vtilitatis ſine dubio artis medicae ſtudioſis allaturum; ſperare ſe ideo, me conſilio in patris mei nec odium, nec iniuriam, ſuſcepto, obfuturum amplius non eſſe.

Quid

Quid ergo faciam Geſnere, Vir Illuſtris, animoque meo cariſſime! victus ſum [illegible] um, inquam, Fritſchii viri bo[illegible]nitate, qui nullis argumentorum armis vinci poſſe perſuaſus, animo nonnihil commoto, et vt ingenue fatear, propemodum irato, ad eumdem veneram: Imo paſſus ſum, librum machinis perſcribi, perſcriptumque edi: ea tamen lege, vt nec filiorum, nec ceterorum heredum, nec Boehmeri V. D. ſed ſolius librarii voluntati hanc quidem editionem deberi, liceret mihi in limine libelli monere lectores.

Sic ergo hic liber abit in orbem, deſtitutus tamen omni, vel ipſius ſcriptoris, vel alius in eodem genere, e quo ſcriptus eſt, docti hominis commendatione. Enimuero ſin et ego abiturum ſine litteris commendatitiis dimittam, vereor ne in patrem opti-

me de me meritum, cuius pectus honesto generoso incoctum erat, memoria vero sancta mihi semper futura est, piaculum commit[illegible] bono cuique viro, videar.

Cui autem, si in mea commendatione nonnihil facultatis sit, lubentius commendem? aut cui potius confidam, quam Tibi, Vir Illustris, quem et ex animi sententia amo atque diligo, et a quo scio me viciſſim amari? cui commendem lubentius? quam Gesnero, paterni amici, et beneuolentiſſimi mihi viri filio, humanitate, vrbanitate, doctrina, elegantiaque, magno isti Iohanni Matthiae, cuius ossa molliter cubent! simillimo?

Atque profecto apud Te hic liber eo faciliorem aditum habiturus est, quo minus eumdem ab orationis puritate intel[illegible]xeris abhorrere: cuius studio pater meus Gesnerorum, Erneſti-

neſtiorumque arctiſſimam ſuauiſſimamque ſibi, vtiliſſimam a prima aetate mihi, familiaritatem et perennaturas eorumdem laudes conſecutus eſt. In orationis autem genere, quantum ego quidem iudicare valeo, hic liber plerosque forte ſuperabit; eſt enim ſatis purum, maxime perſpicuum, et neque breuitate nimis compreſſum, neque verborum copia laxum, tironum denique ingeniis inprimis accommodatum, quos tamen ſaepe perſpicuitas magis, quam nimia elegantiae cura iuuat. Quod velim non minus recordari nimis ſeueros Grammaticos, quam curatiorem limam huic libello, ſcriptore ſuo orbato, contigiſſe nunquam.

Ecce ergo Illuſtris Geſnere, hic liber, qualiscunque demum ſit, poſt mortem auctoris ad Te venit, benevolentiam tutelamque Tuam, me qui-

dem interprete, rogaturus, Num vero ea negaueris libro Platneri? quem Tu ſaepe apud me profeſſus es, Te inter multos Tuae artis ſcriptores diligere. Num negaueris mihi? Tui amantiſſimo homini! Geſnerus non ſis, ſi hoc poſſis.

Atque hic liber Tuo fauore praeſidioque maxime indiget, ne ſcriptoris ſui memoriae obſit magis, quam proſit. Non leue enim periculum probabilibus ſcriptoribus contrahitur, ſi libri nondum perfecti, et limae magis, quam publicae luci, ab iisdem deſtinati, eorum tamen nomine in fronte, hederae in modum, appenſo, edantur. Quod ſolemne eſt librariis, qui non raro etiam ab viris claris praefationes commendatitias emendicant, exornandis nouitiis ſcriptoribus iisdemque facilius frequentiusque vendundis accommodatas. Atque frequenter

quenter bonis, copioſis, vendibilibus-
que ſcriptoribus accidit, vt librarii
morti ipſi, a vendendi et lucri facien-
di opportunitate eosdem excludere
conanti, vehementer repugnare vi-
deantur, et Veſpaſiano, lucri odorem
e re qualibet bonum putanti, ſimiles,
iſtos viros, quamuis mortuos, nolint,
et cum iis rei familiaris augendae op-
portunam occaſionem e manibus ſuis
dimittere, ſed ſchedis potius vndique
collectis, iisque forte ab ignoto ho-
munculo ordinatis, tali rudi indige-
ſtaque mole libros, minuendae ma-
gis auctorum famae, quam conſer-
uandae idoneos, curent exaedificari.
Atque ii profecto non diſſimiles ſunt
paraſitis, quibus, ſi forte per nu-
ptiarum aut aliam occaſionem aliquot
dies lautiſſimo potu ciboque vſi ſint,
non prius è nuptiali domo abire ſo-
lemne eſt, quam omnibus adeo co-

quorum

quorum coquarumque loculis ita curioſe excuſſis, vt certi eſſe poſſint, gulae ſuae nihil amplius ſperandum ſupereſſe.

Id vero non huius libri cauſſa, in cuius limine Te, Optime Geſnere, alloquor, dictum ſit. Nam profecto pater meus non pertinet ad Polygraphos, quod genus hominum, ſi quidem multos libros vendibiles ediderunt, librariorum ſtudia inprimis incendit: deinde Fritſchius noſter, vt Tu, Vir Illuſtris, optime noſti, eo eſt animo, vt honeſto nunquam anteponat vtile; neque tamen alienum viſum eſt, iſta hoc loco vel propterea commemorare, vt patefiat, non vanum eſſe metum patrem amantis filii, librum paternum, quem ſciat ab ipſo auctore nondum publicae luci fuiſſe deſtinatum, edi aegre patientis,

tis, inprimis ſin ſit ex eo genere, de quo ipſe iudicare non poſſit, vir etiam deſit doctus et clarus, qui praeſtare vtilitatem et fauorem libro ſui nominis fide velit. Et bone Deus! quomodo tandem, dignusne ſit hic liber, qui edatur, an indignus? ſciam ego, quid iuris Profeſſori cum morbis? quos ignorare vel nomine malo, quam meo incommodo eorum naturam, et iis medendi rationem, etſi ſalutarem, moleſta experientia pernoſcere. Quare hoc mihi non ſumo, quod ſi ſumere velim, nemo facile det, vt me ſuper huius libri pretio ſtatuere poſſe putem; ſed hoc moneo lectores, hoc Te, Vir Illuſtris, vehementer obteſtor, vt, quantum poſſis, ipſe moneas Tuae artis peritos, hunc librum ſcriptum forte ante triginta annos, quamuis poſtea per praelectionum opportunitatem

inter-

interdum auctum et emendatum, ſcriptore eius ante octodecim annos mortuo, nunc demum ex apographo prodiiſſe. Quod inprimis monendum propterea putaui, quoniam morbis medendi rationem per viginti annos mutatam et auctam eſſe, inuentis plerisque, quorum mentio in hoc libro fieri non potuit, e doctiſſimis viris et audiui, et ex actis diurnis cognoui. Quare, quae in hoc libro aliter dici non potuerunt, ſi praeſenti artis Tuae diſciplinae non omnino conuenire videris, noli temporis, quo ſcriptus liber, quo mortuus eſt Platnerus, obliuiſci. Ceterum non diffiteor, me e doctiſſimis Medicis iisque non paucis, inter quos, vt viuentes taceam, erat profecto Tui ipſius, id eſt, aequiſſimi viri iudicio, Iankius, communis amicus noſter, cuius morte

magnae

magnae et iuſtiſſimae ſpes Lipſiae meae interceptae ſunt, ſaepe audiuiſſe, artem morbis medendi, a Parente meo adumbratam, ita bene ſcriptam eſſe, vt dolendum ſit, eum librum publica luce arceri. Id num ex animi ſententia dixerint? Tu Vir Doctiſſime videris, cuius iudicium, quamuis, quod vel Principalis fiducia et honorifica Tibi, et Saxoniae, principes ſuos optimos amanti, ſalutaris, docet, in hoc genere acutiſſimus ſis, patris cauſſa non metuo; quod ſcio eius memoriam Te malle confirmare laudando, quam carpendo labefactare.

Ita vale Doctiſſime Geſnere, hunc librum optima lege Tibi addictum, me ipſum item Tuum, fratrem etiam meum, Erneſtum, nuper *Luduigii*, Medici apud nos primarii, Virique Cele-

Celeberrimi, auctoritate et institutione vberrima, primis artis medicae honoribus donatum, quem non minus ac me ipsum summa Tui fiducia tenet, commendatissimos Tibi habe. Atque ita quidem vale, iterumque Optime Gesnere vale! Scripsi in Acad. Lips. a. d. XVI. Septembr. a. c. cIↃ IↃ CCLXV

Q. D. B. V.

Q. D. B. V

PROLEGOMENA.

§. 1.

Praxis clinica eſt illa Medicinae pars, quae ea, quae in Inſtitutionibus, videlicet Pathologia, et Semiotica, nec non Therapeutica et Diaetetica, tradita fuerunt, ſingulis morbis accommodat, et, quomodo ſinguli cognoſci et curari debeant, docet. Siue, eſt illa diſciplinae medicae pars, quae docet morbum praeſentem detegere et curare.

§. 2.

Complectitur itaque ſingulorum morborum hiſtoriam, Aetiologiam, Symptomatologiam, Diagnoſin, Prognoſin, et medendi Methodum, additis nonnullis praeceptis particularibus, quas vulgo Cautelas vocant, et quas docuit Experientia.

§. 3.

Auxilia petuntur ex triplici fonte. Curamus enim morbos victu, ſeu rerum non naturalium vſu, pharmacis,

et manu; seorsim traditur Chirurgia. Haec potissimum manu ferramentisque curat, sed hodie Chirurgi plurium quoque morborum curationes susscipiunt, quae solis medicamentis, praecipue extrinsecus admotis, absoluuntur.

§. 4.

Nemo Praxin clinicam discere potest, nisi animum illis modo dictis disciplinis bene praeparatum et cum his etiam cognitionem habeat Materiae medicae, Chemiae, Pharmaceuticae, et nisi medicamenta in aptis concinnisque formulis possit recte componere.

§. 5.

Arti nostrae semper nocentissimae fuerunt Hypotheses, et his superstructa Systemata. Et in genere nimium philosophandi studium. Praestat diligens et sine praeconcepta opinione facta obseruatio, causarumque proximarum cognitio, quibus post medendi ratio accommodata sit.

§. 6.

Legendi sunt boni Autores, inter Veteres prae aliis Hippocrates, Celsus, Aretaeus, Alexander Trallianus, Celsus, Aurelianus; inter Recentiores Fernelius, Hollerius, Duretus, Nicolaus et Carolus Pisones, Ballonius, Petrus Forestus, Schenckius, Tulpius, Sydenhamius, Stahlius, Hoffmannus, Boerhaauius.

§. 7.

Tirones caueant, ne legant Autores, qui rariores morborum historias scripserunt. Nam prius ex LOMMIO aliisque noscendae sunt morborum simplicium historiae, post tandem ad rariora transeundum est.

§. 8.

Nihil discentibus nocentius est, quam si audiant legantque magistros, qui in confutandis aliis diligentiores sunt, nunquam vero Autoribus vel aliis debitas laudes tribuunt.

§. 9.

§. 9.

Oportet, si fieri potest, eum, qui arti studeat, lectulos aegrotantium frequentare, vt, praeeunte magistro, morbis mederi discat. Sunt, qui, si ad aegrotos veniunt, putant, se in alium terrarum orbem delatos.

§. 10.

Vt Pharmaceuticam discat, sedulo adeat officinas, et videat, ne errores in scribendis formulis committat.

§. 11.

In morbis chronicis cognoscendis plurimum semper iuuat corporum post mortem sectio. Quibus deest frequentior occasio, legant BONETI *Sepulchretum.*

§. 12.

Medicus vero, qui iam aliis mederi vult, vitam viuat sine omni scelere puram, et omnia agat ex intemerata conscientia, pius sit, haud superstitiosus.

§. 13.

Medicus sit humanus, mitis ac comis et vere gratiosus. Displicet nimia seueritas et taciturnitas. Saepe tamen apud prudentiores haud minus nocet verula garrulitas. Distinguendi sunt homines, et his etiam accommodandi familiares sermones. Taciturnitas, qua ea, quae aegris ignominiosa esse possunt, celantur, vel maxime necessaria est.

§. 14.

Omni opere enitendum est medenti, vt aeger habeat fiduciam.

§. 15.

Odiosa est rerum propriarum glorioſa ostentatio aliorumque contemtus.

§. 16.

In contemtum veniet Medicus, qui seruili ministerio aegrotantium et Magnatum fauorem aucupatur, et nimis officiosus est.

§. 17.

Lotii examen interdum valde neceſſarium eſt, nec apud Magnates inſpectionem aluinarum foecum, ſi neceſſitas requirit, recuſare Medicus poteſt; hoc tamen praeter neceſſitatem haud fiat. In plebeiis ab aliis ſciſcitandum eſt, quaenam fuerint deiectiones.

§. 18.

Vocatus adſit promtus, etiam, ſi neceſſitas poſtulat, tempore nocturno; caueat tamen, ne nimis frequenter aegrotos inuiſat. Diſtinguendum eſt inter acutos chronicosque morbos. In acutis ſaepe valde neceſſarium eſt, vt Medicus aliquoties aegrum inuiſat et attentius obſeruet omnia.

§. 19.

Pauperibus opem ferat, et vel pauco ſoſtro contentus ſit, vel illis gratis medeatur.

§. 20.

Cultum corporis non negligat. Veſte indutus ſit decora, non nimis ſplendida; intolerabilis eſt Medicus, qui vel male, vel bene olet. *Non bene olet, qui ſemper olet.*

§. 21.

Sit nec temerarius nec timidus, et caueat, ne hanc de ſe opinionem faciat.

§. 22.

Nil turpius eſt in Medico, quam ebrioſitas.

§. 23.

Omnia conſideranda ſunt in aegro, quem inuiſit Medicus. Sexus, in ſoeminis menſtruorum fluxus, geſtatio, partus, aetas, corporis habitus, vitae genus, labor corporis et animi, victus, luxus, ſobrietas etiam et dioſyncraſia et temperamentum, ſolidorum robur ac infirmitas, fluidorum quantitas, et quae in his eſſe ſolet varia acrimonia. Prudentis Medici eſt, nec ea ignorare, quae aeger celare vult, ſi ad morbum aliquid faciunt.

§. 24.

Simul debet conſiderare coelum, in quo viuit aeger, vrbium ac prouinciarum ſitum, atque aëra et aquas, et qui in iis regionibus ſunt morbi epidemici et endemii. Nec minus neceſſaria obſeruatio eſt conclauis, in quo decumbit aeger. Animaduertere etiam debet anni tempora ipſasque tempeſtates. Ex his optimae aequales, ſiue frigidae ſiue calidae fuerint, peſſimae, quae maxime variant. CELSVS *Libr. II. Cap. I.* HIPPOCRATES *de aëre et locis.*

§. 25.

Ex aegro etiam ſciſcitari debet, quaenam morbi fuerint initia? quinam fuerint praegreſſi alii? qua ratione hi curati? Quaenam ante morbi ingreſſum aegro euenerint? v. g. animi pathemata, vigiliae, error in aëris mutatione, victu, et in omni rerum non naturalium vſu. Minora non negligenda, v. g. veſtium aut ſtragulorum ſubita mutatio aliquando morborum grauiſſimorum cauſa eſt. Inter nocentia ſunt etiam, quae extrinſecus corpori admouentur.

§. 26.

Porro Medicus conſiderare debet motus actionesque vitales, pulſum, reſpirationem, actiones naturales, appetitum, nauſeam, ſitim, praecipue varias excretiones, tum naturales, tum morboſas, et excretorum materiam ac mutationes, nec non omnes animales humanasque actiones. De omnibus praecepit Semiotica.

§. 27.

Prae caeteris in omnibus morbis alui ratio habenda eſt, in foeminis adultis et iunioribus menſtruorum.

§. 28.

Si partes ſolidae affectae ſunt, videat, quaenam pars ſit, quae aegrotat, num cutis, adeps, muſculus, tendo, neruus, glandula &c.

§. 29.

Ex his collatis intelligere poterit, qualis ſit morbus. In hoc tamen definiendo, nec non in prognoſi formanda,

non nimis praeceps ſit. Aliquando praeſtat, Medicum, ſi nondum veram morbi notitiam habet, vel de eo adhuc dubitat, quieſcere, vel quaedam, quae minoris efficaciae ſunt, dare, et interea omnia diligentius obſeruare, vel domi collatis omnibus, quae obſeruauerat, morbi naturam eruere. Sciendum enim eſt, morbos plerumque compoſitos eſſe, non raro corruptos.

§. 30.

Vbi adhuc de morbo dubitat Medicus, hoc occultandum eſt aegro, ne hic de medentis peritia dubitet.

§. 31.

Medicamentis vtatur paucis, aſt ſelectis, bene praeparatis. Plus tamen fidat rationali medendi methodo, quam magnificis de ſpecierum virtute pollicitationibus. Minime negligat Diaeteticam. Medicum decet conſilio eſſe potentem ac promptum, non vero medicamentorum, ſaepe inutilium ac nocentium, farragine ac varietate moleſtum.

§. 32.

Auxilia bene diſtinguat. Ridiculum eſt, ſi Medicus morbos, qui ſcalpelli opem poſtulant, ſe pharmacis curaturum eſſe pollicetur.

§. 33.

Morbos deſperatos curandos haud ſuſcipiat, niſi formata prognoſi.

§. 34.

In formanda prognoſi cautus ſit; nec facile ipſi aegro mors praeſagienda eſt.

§. 35.

In ipſa curatione, rationem ſequutus, ante omnia morborum cauſas, ſi fieri poteſt, tollat, non vero ſymptomata, niſi vrgeant.

§. 36.

Natura hominis αὐτοκρατὴς eſt. Hoc qui ignorat, maximam artis partem ignorat. Gloria prima Medici ſeruitus, i. e. ſcit Medicus, ſe naturae ſeruum eſſe.

§. 37.

§. 37.

Medicus vero, qui naturae in curandis morbis, maxime chronicis, nimium tribuit, ac fere ſoli confidit, ineptus eſt, et parum proficit.

§. 38.

In curandis morbis vtitur natura auctis motibus vitalibus, naturalibusque inprimis excretionibus. Decet Medicum, hanc imitari, et, inprimis in acutis, magis ſollicitum eſſe de iuuandis ſe- et excretionibus, quam de corrigenda materia. Nec tamen prorſus haec negligenda eſt.

§. 39.

In corrigenda materia plurimum confert victus, maxime in morbis chronicis.

§. 40.

In acutis diligens obſeruator ſit cruditatis, coctionis, criſeos, temporum criticorum. Hoc etiam in chronicis neceſſarium quandoque eſt.

§. 41.

Si excretiones moliri oportet, videndum, vt materia mobilis ſit. Haec quandoque talis eſt ab initio, vbi turget, ſaepius coctione mobilis redditur. Excretiones fiant per loca congrua. Etiam videndum eſt, vt, dum vna excretio augetur, altera non prorſus vel nimium cohibeatur.

§. 42.

Non turbandae ſunt criticae euacuationes, cauendum vero, ne eas, quae ab aliis cauſis proficiſcuntur, pro criticis habeamus.

§. 43.

Virium ſumma ratio habenda eſt, illaeque conſervandae ſunt, magis tamen congruo regimine atque victu, quam medicamentis cardiacis. Aliquando debilitas neceſſaria eſt, quam ſi tollit Medicus cardiacis, aegrum occidere poteſt, e. g. in haemorrhagiae metu.

§. 44.

Vigente morbo et paroxyſmo, abſtinendum a mouentibus et euacuantibus, ſi quaedam mouenda ſunt; in febri-

bus acutis hoc fiat a primis initiis, et in intermittentibus tempore intercalari.

§. 45.

Si heroicis medicamentis medendum eſt, caute hoc fiat, nec ad illa praeter neceſſitatem properandum.

§. 46.

Male agunt, qui vix non quotidie medicamenta mutant, nec non illi, qui praeter neceſſitatem nimis pretioſis vtuntur.

§. 47.

Nauſea aegrorum, qui omnis generis medicamenta auerſantur, expugnari debet variis blandimentis, vehiculo mutato, et ad palatum accommodato.

§. 48.

Frequens eſt medentibus et aegris fallacia cauſae, vt cauſae, a qua tamen cauendum.

§. 49.

Caueat ſibi Medicus, ne decipiatur a mendacibus aegris; ipſa enim eius methodus dubia reddi poteſt.

§. 50.

In praeſcribendis formulis accurationem adhibeat, et medicamenta, quae nocere poſſunt, literis, non characteribus exprimat.

§. 51.

In perhibendis teſtimoniis non facilis ſit. Sibi caueat, ne ab eorum, qui talia ſibi expetunt, fraudibus decipiatur.

§. 52.

Poſt ſuperatum morbum, victum atque regimen conveniens imperare debet.

§. 53.

Si ſoſtrum exigendum eſt, diſtinguendi ſunt aegrotantium mores, opes aliaque.

§. 54.

Semper medentem eo eniti oportet, vt, tum obſeruatione propria, tum bonorum Autorum lectione indies magis in arte proficiat.

DE

DE FEBRIBVS IN GENERE.

§. 1.

Febris eſt morbus, omnibus hominibus frequentiſſimus, vniuerſalis, cum eo totum corpus afficiatur. Eſt febris vel idiopathica, vel ſymptomatica. Diſtinguunt nonnulli ideo in febres et morbos febriles, ſeu, qui ſunt cum febre. Talis eſt inflammatio, quae ſine febre eſſe nequit. Diſtinguuntur febres in chronicas et acutas. Acutae non ſolum celerius finiuntur, ſed habent etiam periculum. Lenta tardius finitur, ſed eſt cum periculo. Alia diſtinctio eſt in intermittentes, continuas, continentes. Alia inter epidemicas, et inter ſimplices vel ſporadicas.

§. 2.

In omni febre omni tempore velocior pulſus, ſeu celer et frequens. In febre ab internis cauſis antecedit ſpaſtica contractio, quae ſi vehemens fuerit, eſt et cum horrore. Etiam ſub horrore pulſus velox eſt, ſed debilis. Igitur febris a cauſis internis ortae ſignum pathognomonicon eſt pulſus velox, horror, et qui hunc inſequitur aeſtus. Velocior ſanguinis motus ab excitatione, vel aſſumpto calido, vel extrinſecus irritante, ortus, eſt ſine praegreſſo horrore.

§. 3.

Horror abſoluitur ſpaſtica contractione neruorum, praecipue ſpinalium et organorum motui voluntario inſeruientium. In his muſculis magna eſſe ſolet debilitas, cum oſcitatione, pandiculatione, frigore, pallore, rigore, ſenſus imminutione, et tandem, ſi ille motus vehementior eſt, tremore, ac quaſi conuulſione.

§. 4.

In horrore itaque febrili oritur illud frigus, quod etiam tactu ſentimus, ex eo, quod ſpaſmo illo ſanguis magis verſus

verſus cor exprimitur, et quod cor non ſatis valenter contrahitur: Phyſiologia enim docet, calorem in corpore oriri ex motu et attritu ſanguinis elaſtici et vaſorum retinentium.

§. 5.

Debilitas oritur a denegato influxu fluidi arterioſi et neruei in muſculos, propter quam cauſam etiam ſenſus imminuitur.

§. 6.

Pulſus velox ſignum pathognomonicon febris eſt, quod omni tempore manet. Nam horror et aeſtus non ſemper. Pulſus hic etiam ſub horrore, ſed in quartana aliquando pulſus rarus et tardus ac debilis ſub horrore videtur. Sed tunc pulſus magis eſt inaequalis. Nam tardi ſunt maiores pulſus, intermedii plures celerrimi. Pulſus velocior oriri videtur, quia multus ſanguis circa cordis ventriculum dextrum congeritur, et quia etiam ſanguis maiori in copia fertur in arterias coronarias, dum ille per minores arterias in peripheria corporis, durante illo ſpaſmo, haud libere mouetur. Debilis vero contractio cordis oritur, vt videtur, a minori influxu fluidi neruei per neruos cardiacos, et hoc fit, quoniam ſanguis in motu ſuo impeditus, non, vt decet, ad cerebellum adpellitur.

§. 7.

Sub horrore oritur anxietas praecordiorum et difficilis reſpiratio, quia pulmones ſanguine replentur. Pallor faciei et totius corporis oritur, quia ſanguis illo ſpaſmo externo verſus interiora vrgetur. Pallor magis conſpicuus eſt, vbi cutis vel nulla, vel tenerior eſt, in labris, genis, et ſub oculis. Sub vnguibus ſanguis quaſi haerere et quieſcere videtur, vnde mutatio coloris in magis obſcurum.

§. 8.

Omnes, qui febre intermittente moriuntur, extinguuntur ſub horrore, non ſub aeſtu, et qui ex febribus continuis, praecipue inflammatoriis, [illegible] orta gangraena pereunt,

ante

ante mortem nouo horrore et ſpaſmo commouentur. Peſſimum eſt, ſi aeger intus ſummum aeſtum ſentit, frigentibus externis. Oritur hoc, ſi humida corporis per diatheſin inflammatoriam ita coacta ſunt, vt per minima vaſa, a corde remotiora, moueri nequeant.

§. 9.

Poſt horrorem ſequitur aeſtus, qui non a veloci ſolum, ſed valido etiam cordis motu proficiſcitur. Quia vero tamen, ſi ab initio ſpaſmus nondum prorſus remiſit, eſt maior reniſus in arteriis, vehementiorque attritus, et ob id caloris augmentum.

§. 10.

Calor bonus eſt, ſi per corpus omne aequalis; ſi vna pars prae altera calet, id peius eſt, et in febre metuenda huius inflammatio, vel haec iam praeſens eſt.

§. 11.

Calor aliquando adeo vehemens eſt, vt fere eandem vim habeat, quam ignis elementaris, cuius rei teſtimonium eſt anthrax peſtilentialis.

§. 12.

In hecticis calor fere continuus eſt, ſentiunt tamen aegri remiſſionem et exacerbationem. Calor in his eo tempore augetur, quo nouus chylus, quamuis etiam paucus, ſanguini admiſcetur, qui veluti humor crudus ab infirmis viſceribus ſubigi non poteſt, et hunc nouum motum excitat.

§. 13.

Quo maius frigus eſt in febris acceſſione, eo maior plerumque metuenda eſt febris.

§. 14.

Differentia eſt inter hos duos motus, a quibus frigus et calor proficiſcuntur. Prior proficiſci videtur a cauſa continente et proxima febris, alter a vi vitae ſeu natura, qua illa expugnatur.

§. 15.

§. 15.

Tandem poſt aeſtum, tum in paroxyſmis, tum periodis febrium, remittit illa ſpaſtica contractio. Pulſus, qui durus erat, mollior fit, et mitigantur ſymptomata, fiunt ſalutares excretiones. Haec omnia vero contingunt, ſi febris in ſalutem tendit.

§. 16.

Quod ad exitum febrium pertinet, illa ſaepe ſponte curatur, ſi non turbata, nec a mala cauſa orta fuerit. Imo febris ſaepe corpus ab aliis grauioribus noxis tutum praeſtat. Febre virus contagioſorum et epidemicorum morborum expellitur. Per intermittentes, quartanam praecipue, *deſperati caeteroquin morbi*, melancholia, mania et epilepſia etc. curantur.

§. 17.

Febris itaque vel in ſanitatem tendit et corpus ab inhaerente malo liberat, vel finitur morte, vel mutatur in alium morbum.

§. 18.

Soluuntur febres vel criſi, vel excretione pedetentim facta, quam λύσιν ſeu ſolutionem proprie vocant, vel mutatione materiae peccantis in benignam, ſine excretione, quam Therapiam aſſimilationem vocant. Hoc vltimum raro contingit. Exemplum dare poteſt v. g. febris a vehementiſſima ſiti orta, ſi coacti humores aqua copioſius ingeſta diluuntur.

§. 19.

Cauſa mortis in febribus haerere ſolet in minimis vaſculis, in quibus fit obſtructio. Nam a lentore febrili fieri poteſt obſtructio, inflammatio, gangraena. Idem oriri poteſt a cauſa contraria, nimium reſolutis humoribus, ſi illi in arterias laterales feruntur, quibus plerumque accedit acrimonia. Hoc praecipue fit in viſceribus.

§. 20.

§. 20.

Febris mutatur in alium morbum, ſi materia peccans nec perfecte immutari, nec penitus eliminari potuit. Id quod fit, ſi vires deficiunt, quae ſaepe peruerſa medendi ratione conuelluntur, ſi partes ſolidae atonia laborant, ſi materia peccans copia, acrimonia, et nocendi facultate, vel etiam idioſyncraſia peccat. Ex his febribus fiunt exanthemata, tumores, eryſipelas, abſceſſus, cacochymia, et, ſi mala materia in partes nobiliores conuertitur, cachexia. Nam febris, etiam intermittens, praecipue in corpore imbecillo, ſi diutius toleratur, humores inuertit, et non raro in cachexiam degenerat.

§. 21.

Febrium cauſa proxima et continens non ſatis nobis nota eſt. Sufficit Medico, noſſe, in corpore viuo eam eſſe conditionem, vt, datis quibusdam corpori aduerſis, excitetur hic motus.

§. 22.

Cauſae remotiores admodum variae ſunt. In genere omnes res non naturales, aër calidus, frigidus, nebuloſus, paludoſus, effluuiis variis et incognita morborum epidemicorum cauſa fretus, tempeſtatum viciſſitudo; cibus et potus, copia, acrimonia, duritie peccans, fames, vigiliae, nimia et corporis et animi exercitatio, quies, animi pathemata, Venus, aliae euacuationes immodicae, retenta, inſenſibilis tranſpiratio, ſudor, vrina, bilis acris; humor quieſcens, et qui per quietem et corporis calorem corrumpitur, pus, ſanies, ichor, vermes, calculi et omne quod dolorem excitat, ſiue intus haereat, ſiue extrinſecus admoueatur; venena, medicamenta. Vna ex frequentioribus cauſis eſt obſtructio in corpore viuo, maxime ſanguinis.

§. 23.

A turbatis actionibus vitalibus, a quibus naturales, animales et humanae dependent, fiunt ſymptomata febris. Sunt quaedam, quae febribus eſſentialia ſunt, v. g. velocior

pulſus

pulſus in omni febre ardente, delirium in phrenitide. Alia vero ſunt ἐπιγενόμενα, ſeu accidentalia, v. g. conuulſio in illis ipſis febribus, delirium in febre intermittente vel catarrhali. Saepe ſymptomata eſſentialia faciunt ad expugnandam materiam peccantem, v. g. exanthemata in nonnullis febribus. Alterum genus ſymptomatum morbum acerbiorem facit. Priora diagnoſin dant, vltima prognoſin.

§. 24.

Symptomata cum febre finiuntur, quibus raro medendum. Si tamen illa, praecipue ἐπιγενόμενα ſeu accidentalia, et quae ad morbum non pertinent, ſuſpecta videntur, et maius periculum, quam ipſe morbus, adferre poſſunt, illis medendum eſt, ita tamen, vt non nimis celeriter illa cohibeamus, ſed pedetentim.

§. 25.

In acutis ſymptomata critica quandoque fiunt, non ſine magno impetu et timore. Hoc incidit, quando materia peccans, febre mobilis reddita coctaque, nouas vias vaſaque ingreditur, id quod ſine magna mutatione fieri nequit. Haec ſymptomata ſequitur vel mors, vel morbi repentina ſolutio ſeu criſis. Dignoſcuntur ex praegreſſis ſignis coctionis, et ſi illa iuſto tempore, quo morbus ſolui conſueuit, ſeu tempore critico fiunt; haec nunquam a Medico turbanda ſunt.

§. 26.

Inter ſymptomata eſt anxietas, quae oritur ab impedito humorum tranſitu, maxime, ſi aliquid eſt, quod obſtat, quo minus ſanguis poſſit ex corde in arterias libere pelli. Frequentius id haeret in pulmonibus, ſi illud in aortae finibus eſt, ſub finem etiam fit redundantia ad pulmones. Obſtaculum illud oritur vel vitio humorum minus mobilium, vel vaſorum minus permeabilium. Frequentius hoc fit propter ſpaſmum, aliquando ex aliis cauſis. Igitur in febribus inflammatoriis ab obſtructione ſumma anxietas, quae augetur, ſi lentor ille inflammatorius increſcit, vel maxime,

maxime, ſi gangraena aliquam partem, tanto magis a corde propiorem, occupat. Sunt vero aliae anxietatis cauſae; ſi polypus in corde haeret, ſi excitatur paulo velocior ſanguinis per exercitationem motus, oritur ſumma anxietas. Alia oritur, ſi ventriculus, duodenum, colon, ab aſſumptis, a flatibus, foecibus, diſtenduntur; vel ſi ventriculus, et eius cardia, ſpaſmo contrahitur, quare in omni vomitu anxietas. Spaſmo etiam aliae partes, praecipue viſcera abdominis, afficiuntur, et his omnibus ſanguinis liber circuitus prohibetur, id quod hypochondriacis et hyſtericis frequens eſt. His vltimis ſumma anxietas, ſi pharyngis muſculi ſpaſmo conſtricti ſunt et ſimul glottis arctata. Interceptus ſic aër in oeſophago, ſi per ructum exploditur, ſoluitur momento temporis anxietas. Si a ventriculo et colo, diſtentis, diaphragmatis motus impeditur, noua anxietatum cauſa eſt. In omni aeſtu febrili, quoniam ſanguis in pulmone coaceruatur, eſt anxietas; id multo magis in peripneumonia.

§. 27.

Ab hac anxietate δυσφορία, quae ſe manifeſtat ſuſpiriis, corporis iactatione, frequentiori, quam aegri anxie exoptant, loci lectique mutatione, quae peſſima in acutis ſigna ſunt.

§. 28.

Sitis fluidorum, praecipue frigidorum, appetitus vehemens, oritur ab anheloſa reſpiratione, quae in faucibus omne fluidum abſtergit, et ab ipſo humore, qui aeſtu febrili glutinoſus, acris et alcaleſcens fit.

§. 29.

Nauſea et vomitus interdum eandem habent cauſam, quam anxietas. Si ſanguis difficilius per neruoſum ventriculum mouetur, vel, ſi hic, id quod in exanthematibus fit, et partes huic vicinae inflammantur. Vomitus enim et nauſea etiam fiunt, ſi muſculorum abdominis aponeuroſis grauiter laeſa fuit; etiam a male affecto cerebro, et meningibus,

gibus vomitus, id quod teſtantur vulnera capitis. Ob id nauſea iis, quibus inſuetum eſt naui vel curru vehi. A ſpaſmis a quacunque cauſa in abdomine, id quod docet nephritis. Frequentiſſima tamen cauſa eſt, quae inhaeret ventriculo, vel ab aſſumtis, vel ſi vitiati humores ex vaſculis excretoriis, praecipue ex duodeno, in eum infunduntur. Etiam propterea ex diuturna inedia, nauſea ac vomitus. Nauſeam et vomitum etiam efficiunt ea, quibus gula irritatur, id quod ſaepe ab alcaleſcente glutinoſa pituita fit.

§. 30.

Debilitas, ſeu impotentia exercendi motus muſculares ſine dolore, oritur, ſi fluidum nerueum et ſanguis arterioſus non libere mouentur ad muſculos. Hoc ex variis et contrariis cauſis accidit, a defectu boni ſucci, poſt graues euacuationes, vigilias, inediam magnam, diuturnumque morbum. Etiam accidit ab abundante humore in plethoricis, a ſanguine turgeſcente et rariori facto; quare debilitas a potu ſpirituoſo et narcoticis. Nam diſtenta corticis cerebri vaſa premunt medullam cerebri. Notum eſt, debilitatem ſummam et paralyſin a compreſſo cerebro, medulla ſpinali, neruisque oriri. In febribus debilitas, ſi fluida in coagulum verſa impediunt liberum ſanguinis tranſitum ad cerebrum. Summa debilitas, ſi materia peccans ad cerebrum delata eſt, quae vel parit delirium, vel ſomnum et ſummam debilitatem.

§. 31.

Periculoſa et ſaepe funeſta debilitas in malignis eſt, ex qua etiam praecipua diagnoſis peti ſolet. Huius cauſa non ita manifeſta eſt. Sanguis in his rarior, valde rubicundus, et ita ſolutus, vt nec poſt mortem cogatur. Multum augetur debilitas ſanguinis miſſione et aliis euacuationibus, quae plerumque in malignis periculoſae. Pulſus eſſe ſolet velox, aſt, pro ratione febris et periculi, debilis. Veriſimile videtur, in his febribus praecipue affici teneriores humores, et imprimis debilitari neruos. Forte blandum illud, quod in humoribus naturaliter eſſe ſolet, et inſtaurando ſucco-

nerue-

nerueo inſeruit, in hoc ſanguine deficit. Forte etiam a ſanguine rariore nimium diſtenduntur corticis cerebri vaſa, et his premuntur fibrae medullares. Debilitas etiam ſumma ab aſſumtis, et adhuc in ventriculo haerentibus venenis.

§. 32.

Aeſtus ſaepe nimium augetur, inprimis in ardentibus. Hunc indicant aegrorum querela, lingua arida, nigricans et aſpera, reſpiratio celerior et difficilis, halitus ex ore calidus, vrina rubra pauca. Medicus illum ſentit tactu. Admoueri etiam aegro poteſt thermometron, idque etiam in eius os immitti. Intenditur aeſtus ab aſſumtis calidis, aëre calido, et quibuscunque extrinſecus admotis, quae ſolida irritare poſſunt, maxime ſtragulis ponderoſioribus. Aeſtum etiam auget, ſi maior renixus eſt in vaſis, qui cordis robore ſuperari debet. Quare id incidit, ſi humores propter craſſitudinem difficilius mouentur, et praecipue in lentore inflammatorio.

§. 33.

Delirium oritur a male affecto cerebro, et ſi ſanguis per illud celerius mouetur. Etiam ſi materia quaedam acris facta μετάσασει ad cerebrum fertur. Hinc ab exanthematibus, podagra, repreſſis, et a retentione vrinae delirium.

§. 34.

Somnolentia in acutis, et Carus, ſeu profundiſſimus ſomnus, a quo aegri difficilius excitantur, cum febre et ſui obliuione, oritur a compreſſa medulla cerebri. Carus igitur poſt magnum delirium vix non ſemper lethalis, quia ſignificat corticis gangraenam. Idem ſymptoma oritur, ſi a ſanguine euaſato, vel ab alio humore, vel a caluaria fracta et depreſſa, premitur cerebrum. Somnolentia etiam a defectu laudabilis humoris poſt quamlibet grauem euacuationem, ab humoribus lentis, mucidis, qui difficilius per cerebrum mouentur, in catarrhis, et a frigore externo.

§. 35.

Coma ἀγρυπνῶδες, ſeu Veternus, Coma vigil, dicitur, quando aeger magno dormiendi deſiderio laborat, dormire autem nequit, et mox iterum expergiſcitur. Cauſa eſt, ſi in febre vna pars cerebri valde obſtructa eſt, et per alteram ſanguis nimia celeritate mouetur. Igitur eſt ſymptoma etiam Hemiplegiae. Plerumque deſinit in Carum funeſtum.

§. 36.

Somnus etiam eſt quaſi criticus, poſt criticam euacuationem, vel etiam ſine hac; ſi cum aliis bonis ſignis, aegri poſt ſomnum longiorem profundioremque conualeſcunt. Frequens hoc eſt in infantibus. Cauſſa huius ſomni eſt defectus boni humoris, ad ſecretionem in cerebro neceſſarii, qui hoc ſomno, poſt ſuperatam materiam peccantem, inſtauratur.

§. 37.

Conuulſio eſt inuita et violenta muſculi contractio, cum alterna relaxatione. Fit ab omni cauſa, qua vel cerebrum et eius medulla, aut nerui afficiuntur. Prior idiopathica, altera ſymptomatica, dicitur. Poſterior, minori neruo grauiter irritato, quandoque oritur, et conuellitur totum corpus. Probant id vulnera venenata. Celerius et frequentius conuelluntur pueri et infirmi.

§. 38.

In febribus itaque, ſi conuulſio incidit, diſtinguere oportet tempora. Ab initio nerui diſtenduntur a quauis cauſa, qua illi irritantur, maxime a materia peccante in exanthematicis. Saepe enim exanthematum eruptione finitur, et poſt febres plerumque. Sine malis ſymptomatibus ſunt. Si orta fuit ab humore quodam, qua parte euaſato, non ceſſat, niſi illo emiſſo.

§. 39.

Peſſima conuulſio in acutis, quae oritur a lentore inflammatorio, et, ſi ſanguis non libere per cerebrum moveri

veri poteſt, tanto magis, ſi conuulſio poſt delirium accidit, et cum nouo horrore, et ſudore frigido.

§. 40.

Nonnunquam aeger conuellitur, quod materia peccans in acutis per μετάϛασιν ad cerebrum fertur, praecipue ſi repreſſa fuerunt exanthemata. Plerumque hoc incidit cum mutatione vrinae in peius, quae, ex aurantia et cocta, repente fit pallida et aquoſa. Aliquando tamen conuulſio critica eſt, et ſoluitur magna narium haemorrhagia, erumpentibus parotidibus, iisque inflammatis, diarrhoea, vrinae mutatione, catameniorum et haemorrhoidum fluxu. Tempora coctionis ſedulo notari debent. Funeſta conuulſio eſt, quae oritur poſt magnam haemorrhagiam, vel aliam vehementem euacuationem.

§. 41.

Sudor in febribus vel ſymptomaticus eſt, vel criticus. Sudor criticus cum aliis bonis, et coctionis, ſignis eſſe ſolet, incidit iuſto tempore, et leuamen adfert. Hoc ſudore cocta, vel mitificata materia peccans expellitur, et in febribus inflammatoriis humores illi coacti, tandem reſoluti. Haec reſolutio fit motu ſpontaneo illius materiae, coadiuuante arte, datisque diluentibus, ſaponaceis, et ſi febris ſe ab aeſtu remiſit. Sudorem hunc ſalutarem futurum eſſe, ſignificat pulſus, a duro in vndoſum mutatus, ſeu in quo arteria non admodum renititur, ſed ſuccedaneo motu attollitur.

§. 42.

Raro a primis initiis febris multus ſudor bonus eſt. Aliquando tamen, ſi cauſa manifeſta eſt, veluti a repreſſo per refrigerium ſudore, vel, ſi morbi contagioſi virus per cutim in corpus illatum fuit, ſudor vel ſponte ortus, vel medicamentis motus, bonus eſſe poteſt. Ceteroquin, in acutis febribus, ſi mox ab initio, vel ſponte, oritur, vel medicamentis et regimine mouetur, ea re augetur lentor inflammatorius, qui ſaepe facilius auertitur, quam iterum reſoluitur.

§. 43.

Sunt febres malignae, quas ἐχώδεις vel ὑδρωνόσους vocant, quae mox ab initio cum vehementiſſimo ſudore eſſe ſolent, qui ſudor plerumque funeſtus eſt. Oritur a reſoluto omni corporis ſucco et labefactato etiam fibrarum omnium, maxime arteriarum, robore. Talis febris fuit illa Ephemera Britannica, quae ſeculo XVI. Britanniam et totam etiam Germaniam depopulata eſt, de qua ſcripſerunt *Ioh. Caius* BACO *de* VERVLAMIO *in Hiſtor. Henrici VII.* ab initio, et FREINDIVS *in Opp. Edit. Lond. pag.* 567.

§. 44.

Peſſimus etiam ſudor eſt colliquatiuus, qui oritur, ſi humores ab imbecillis viſceribus, maxime pulmonibus, nec recte ſubacti, nec ſatis denſati, mox iterum ſoluuntur, quare imbecillis ex leui corporis motu ſudor eſt. Accidit atonia et paralyſis arteriarum. Sudor hic colliquatiuus accidit hecticis et tabidis. Etiam fieri ſolet in magnis ſuppurationibus. Augetur in his, ſi noua materia ex chylo crudo et non ſatis ſubacto ſanguini confunditur.

§. 45.

Deiectiones in febribus variam cauſam habent. Excernuntur enim non ſolum ea, quae in ventriculum et inteſtina delata fuerunt; ſed etiam varii humores ex Hepate, Pancreate, vaſis meſaraicis &c. Mirae metaſtaſes quandoque fiunt, dum humores ex aliis corporis ſedibus ad aluum conuertuntur. Deiectiones interdum bonae ſunt, interdum tolerabiles, quandoque malae, imo funeſtae.

§. 46.

In catarrhis et febribus catarrhalibus per inteſtinorum glandulas excretio fit, ſimilis illi, quae in iisdem morbis fieri ſolet in aſperae arteriae et narium membrana. In febribus catarrhalibus malignis, ſeu petechizantibus, diarrhoea ſymptoma eſt, quod, niſi nimium inualeſcat, tolerari debet. Melior enim in his eſt, quam aluus adſtricta.

§. 47.

§. 47.

In febribus ardentibus raro incidit, vt lentor ille inflammatorius reſolutus per aluum et diarrhoeas efferatur, quibus tunc morbus ſoluitur. Fere rarius incidit, vt in febribus inflammatoriis pus cum leuamine excernatur.

§. 48.

Si lacteorum oſcula eroſa ſunt et obſtructa, vel inflammata, oritur diarrhoea, cum vehementioribus torminibus et deiectionibus cruentis, vel Dyſenteria. Sanguis enim ex vaſis meſaraicis in inteſtina effertur. In Cholera omnia, quae in ventriculo inteſtinisque continentur, concitato vehementer motu periſtaltico, ἄνω καὶ κάτω reiiciuntur.

§. 49.

Tandem in inflammatoriis et malignis ſub finem, et breui ante mortem, deiectiones fiunt, praeter aegri ſenſum et voluntatem, materiae nigrae et foetidiſſimae, germ. *Brandſtühle*, cum quibus ſunt alia mala ſigna, praecipue nouum frigus, ſudor frigidus et aucta debilitas. Nihil aliud eſt, quam ſanguis per ſphacelum corruptus, quare mors in propinquo eſt.

§. 50.

Diarrhoeae colliquatiuae eadem cauſa et ratio eſt, ac ſudoris. De fluxu hepatico hic non dicendum eſt. Hic eſſe ſolet cum febre lenta, et plerumque etiam Gangraena finitur.

§. 51.

Vetuſtiſſima obſeruatio eſt, deiectiones peſſimas eſſe meracas, maxime in febribus, ſeu ſi τα ἄκρητα, ſeu ſincera efferuntur. Sunt vero, quando vel ſola aſſumta non mutata, vel ſolus chylus, ſincerus ſanguis, ſincera pituita, vel bilis reiicitur. Significat enim hoc, alimenta non concoqui, pituitae maiorem vim eſſe, bilem eſſe multam et corruptam, et ſanguinem ex maiori aliquo vaſe in inteſtina erumpere, id quod peſſimum eſt, niſi tempore critico fiat.

De haemorrhoidibus, quae cum his confundi non debent, Lienteria et Coeliaca, ſuo loco. Sanguis ſincerus effertur in illo endemio morbo Indiae occidentalis, cuius ſi magna copia eſt, mors inſtat.

§. 52.

Exanthemata fiunt, ſi materia peccans et humor potiſſimum putreſcens a natura ad corporis peripheriam propellitur. Hic humor, in vaſculis excretoriis haerens, inflammationem mouet, quare omnis febris exanthematica certa ratione inflammatoria eſt. Varia harum puſtularum nomina ſunt et genera. Quodlibet genus habet aliquid, quod ei proprium videtur. Tolluntur, dum veluti minores abſceſſus pus alunt, vel, dum epidermis a cute attollitur, ſiccatur et ſecedit. Ex nimio aeſtu, quacunque cauſa, etiam per medendi rationem, aucto, increſcit inflammatio et periculum. Si illae puſtulae ex purpureo colore in colorem atrum mutantur, praecipue in morbi ἀκμῇ, inflammatio mutata fuit in ſphacelum.

§. 53.

Varia methodus eſt curandi febres, reuocari tamen poteſt ad quaedam genera.

1. Aliquando in curanda febre Medicus naturam ſolam ſequitur, et, ſi illa ipſa ad ſalutem tendit, ſaltim Moderator eſt motuum, quibus illa vtitur.
2. Nonnulli plurimum laborant in mutanda auertendaque materia peccante.
3. Alii materiam peccantem arte et quandoque vi adhibita eliminare ſtudent.
4. Alii ad minimum nonnullas febres, veluti intermittentes, ſolis Specificis propulſare conantur.

Illi prudentiores videntur, qui varia hac medendi ratione vtuntur, et illam varii generis febribus, aegris, ſymptomatibus aliisque accommodare ſtudent.

§. 54.

§. 54.

Qui priorem methodum ſequuntur, ſerui Naturae ſunt, itaque moderantur febrem, ne nimis incendatur, neque nimis tenuetur, et vt ſe – et excretiones, quibus febris ſolvitur, recte fiant. Ex febre enim aucta impeditur materiae coctio, et in acutis facile naſcitur inflammatio. Ex febre nimis tenuata plerumque alius naſcitur morbus, lenta, cacochymia, hectica, &c. In hac methodo potiſſimum obſeruanda eſt humorum cruditas et coctio, nec non criſis et ſolutio, hisque accommodanda ſunt auxilia. Febris iuſto vehementior, quam pulſus, aeſtus, vrina rutilans et ſpumida, omniaque alia ſymptomata indicant, mitigari poteſt praecipue ſanguinis miſſione, quae tamen in hac methodo non niſi primis diebus fieri debet, praeterea diluentibus, temperantibus, acidis, nitro, blandis anodynis. Aluus ducenda lotionibus, quibus etiam nitrum adiici poteſt. Aër etiam frigidiuſculus multum facit ad leuandam febrem.

§. 55.

Aliquando vero confert, febrem accendere et augere, id quod in intermittentibus neceſſarium eſt, ſi illae citius per Specifica fuerunt ſuppreſſae. In his potiſſimum proficiunt Catharctica per ἐπίκρασιν, ſiue cum aliqua reſolutione, aluum mouentia, datis etiam alexipharmacis. Vbi exanthemata repreſſa fuerunt, id etiam neceſſarium eſt, datis bezoardicis. Vbi vero vires deficiunt, danda ſunt analeptica et cardiaca, cuius rei manifeſtum indicium habemus in ſphacelo, a cauſis internis et ab imbecillitate orto. Lenta febris etiam interdum hoc augmentum deſiderat.

§. 56.

Excretiones etiam ſedulo conſiderandae ſunt, maxime illa, quae fit per ſudores, quibus etiam regimen accommodari debet. Nocet et nimium frigus, et nimius calor, ſtragulorum pondus, et alia, alibi dicta.

§. 57.

Haec methodus potiſſimum locum habet in febribus non ita vehementibus, catarrhalibus benignis, acutis continuis, benignis exanthematicis, variolis, morbillis, etiam in intermittentibus non valde diuturnis, et ſi ſpes eſt, fore, vt febris maiori morbo, e. g. Maniae, Melancholiae, mederi poſſit.

§. 58.

Quomodo materia peccans mutari poſſit, expoſitum fuit in doctrina de mutandis humorum vitiis, et praecipue tollenda eorum obſtructione, et obtundenda acrimonia. In acutis et inflammatoriis plurimum facit potus diluens. In redundantia bilis opem ferunt acida, ſaponacea, vegetabilia.

§. 59.

Materia peccans arte expellitur, per euacuantia, emetica, cathartica, ſudorifera, ſanguinis miſſiones.

§. 60.

Vomitu euacuantur non ſolum ea, quae in ventriculo haerent, ſed etiam quae in aliis viſceribus, ex quibus viae ad inteſtina apertae ſunt. Ex hiſce quandoque materia peccans, quae febrem excitatura eſt, excutitur, et ipſa febris auertitur. Hoc etiam fit in malignis, ſi contagium per ſaliuam in ventriculum deſcendit, vel quoque, ſi occulta illarum cauſa praecipue agit in bilem, illamque turgeſcentem et acrem reddit.

§. 61.

Vomitus indicatur, ſi ventriculus impletus eſt; ſi breui ante alimentum cum nauſea aſſumtum fuit; ſi aeger crebrius vomitu, vel irrito vomendi conatu, vexatur, nulla tamen ſigna adſunt inflammati ventriculi; ſi is de praecordiorum anxietate, oppletione, vertigine, tuſſi ſtomachica conqueritur. In intermittentibus vomitus moueri debet tempore ἀπυρεξίας. In malignis vomitus a primo initio bonus eſt, et ſi ſuſpicio eſt morbi contagionem ſaliuam infeciſſe.

feciſſe. Vbi morbus iam adoleuit, et in ἀκμῇ, raro bonus eſt.

§. 62.

Vomitus intempeſtiue excitatus, qui vires multum conuellit, in febribus valde alienus eſt; lethiferus vero, qui acrioribus concitatur, inflammato ventriculo.

§. 63.

Raro proficiunt purgantia, niſi in intermittentibus. Si valentiora, et in his crebrius et tempore cruditatis, adhibentur, corpus imbecillum redditur, et morbus facile in cacochymiam degenerat, fiunt viſcerum infarctus et ſcirrhi, relinquuntur oedemata. In intermittentibus igitur prius praeparanda eſt materia. Vbi vero intermittentes vel ſponte quieuerunt, vel Specificis curatae fuerunt, purgantium vſu reuertuntur. Dari debent in intermittentibus poſt praeparatam materiam, tempore ἀπυρεξίας. In pertinacioribus, veluti quartana, iteratis vicibus, et cum reſoluentibus et digeſtiuis remixta, dari debent. Fere aliena eſſe reor reſinoſa et acria; plurimi vſus eſt Rhabarbarum. In acutis raro proſunt, niſi in inflammatoriis, a cauſa externa ortis, et vbi auertendus eſt humorum aditus ad aliquam partem. Hic tamen non alia, quam antiphlogiſtica, et quidem primis ſaltem diebus, proficiunt. Purgantia turbant in acutis materiae coctionem, et febrem pertinaciorem reddunt, vel in alium morbum mutant. Lentae febres ſaepe alui ductione tolluntur.

§. 64.

Omni modo euitanda eſt alui obſtructio, etiam in exanthematicis. Tempore, quo exanthemata erumpunt, caute agendum. Aluus ſoluenda eſt in his, et aliis, vbi purgatio locum non habet, clyſteribus; oportet vero hos, nec acres, nec calidos eſſe. Intermittentes ſuppreſſae etiam clyſteribus reuocantur.

§. 65.

Sudorifera calidiora aliena et peſſima ſunt tempore cruditatis. Nec alexipharmaca in intermittentibus poſt primos

mos paroxyſmos conueniunt. Vbi tamen ſe ſponte remittit febris, et corpus inſudat, lenior ſtimulus, vna cum diluentibus, ſufficit ad ſudorem mouendum. In malignis ſudorem mouent ſic dicta bezoardica, quo etiam pertinet aqua prophylactica Syluii. Raro incidit, vt febris, dato ſudorifero, mox ab initio poſſit expugnari, et vix, niſi in catarrhalibus.

§. 66.

De ſanguinis miſſione multa controuerſia. Loquitur experientia, febres acutas ea multum leuari. Abundantior enim ſanguis, isque, in febribus, propter vehementiorem motum vaſa multum diſtendens, materiae peccantis coctionem impedit, quia eo tollitur ille vitalis renixus, qui inter cor et arterias eſt. Sanguinis miſſione etiam auertitur inflammatio. Igitur in febribus acutis et inflammatoriis, exceptis exanthematicis, ſi corpus hominis iuuenis et robuſti rubet, ac maior in eo aeſtus eſt; ſi aeger pleno victu et meraciori potione vſus eſt; ſi is ebrius fuit; ſi medicamenta data fuerunt calida; ſi in aëre calidiore verſatur; ſi ei magna anxietas, et acutus mouensque dolor aliqua parte eſt, qui futuram ſignificat inflammationem, ſanguis mittendus eſt. In Pleuritide, ſi magnus dolor eſt et anxietas, alia eſt neceſſitas. Nam ſi ſanguis non detrahitur, is in pulmonibus coaceruatur, aegrum ſuffocat, quia propter acutum pleurae inflammatae dolorem ſatis dilatari nequit thorax, nec adeo, vt decet, expandi poteſt pulmo. Imo, ſi cum his aliisque ſymptomatibus ſanguis, ex vena miſſus, repente cogitur, et tenax albidum coagulum ſanguini inhaeret, oportet eius miſſionem iterari.

§. 67.

Non vero facile in acutis et continuis ſanguis mittendus durante exacerbatione, et ſi aeger ex febre multum inſanit, ſed ſemper expectandum eſt, donec febris ſe aliquantum remiſerit. Si enim durante exacerbatione multum ſanguinis detrahitur, nimis repentina mutatio in vniuerſo corpore, praecipue in cerebro, fit. Optima eſt

ſangui-

ſanguinis miſſio, quae protinus ab initio, et vbi febris nondum inualuit, ſuſcipitur.

§. 68.

Optime mittitur ſanguis in acutis mox primis diebus, non facile, et niſi magnum inflammationis, eiusque increſcentis, periculum id iubeat, poſt tertium. Si ſanguis mittitur, eius plurimum detrahendum eſt. Praeſtat etiam, vt hoc fiat ex vulnere maiori venae inciſae.

§. 69.

Res magis controuerſa eſt in febribus exanthematicis. Nam ſanguinis miſſione fieri poteſt, vt exanthemata protinus euaneſcant, et funeſta oriantur ſymptomata; ſed tamen, ſi aegrum ab initio, et vbi ſuſpicio eſt, talem febrem futuram eſſe, protinus febris tenet magna, ſi is, increſcente ad ſenſum calore, de ſumma anxietate conqueritur, et ſi corporis habitus reſpondet, ſanguinis miſſio ſaepe leuamen adfert, et exanthematum eruptionem iuuat. Non raro auertit lethalem inflammationem, vel huius in gangraenam tranſitum. Si ſanguis miſſus fuit, huic methodo accomodanda eſt reliqua curatio, et vtendum paulo efficacioribus, quibus exanthematum eruptio iuuari poteſt.

§. 70.

Intermittentes raro venaeſectionem poſtulant, quandoque tamen ab initio, ſi naturam febris continuae habere videntur, multum vrgente aeſtu, cum aliis ſymptomatibus. Rariſſime quartana ſanguinis miſſione tollitur.

§. 71.

Peſtifera eſt ſanguinis miſſio in febribus malignis, quarum certiſſimum indicium magna infirmitas eſt. Si in his ſanguis mittitur, in eo nulla diatheſis inflammatoria, ſed ſanguis fluidus manet, rarus et rutilans. Hi, qui talem ſanguinem habent, ſi venaeſectio repetitur, raro ſaneſcunt. Nocet etiam, ſi intermittens febris mutata fuit in continuam, ſi corpus Venere, inedia, diuturno grauiorique morbo confectum et exhauſtum eſt. Nec plerumque recte mittitur

titur in Eryſipelate, niſi febris magna fuerit. Hecticum ſanguinis miſſio iugulat.

§. 72.

Supereſt tandem curatio per Specifica, quae nunquam in acutis, ſed ſolis intermittentibus locum habet. Varia laudantur: Radix Gentianae, cortex Caſcarillae, ſal Ammoniacus, Alumen, ipſum Arſenicum, et alia. Optimus tamen eſt *cortex Peruuianus*, de quo magna controuerſia. Ne ad hanc deſcendamus, agit ſine dubio roborando, cum nullam euacuationem ad ſenſum faciat, vel augeat, niſi forte inſenſibilem perſpirationem. Certum eſt, eo quandoque febrem ſine praeparatione et excretione materiae peccantis tolli; non minus tamen certum eſt, eius intempeſtiuo vſu febres cohiberi; aſt vero ſequi, vel recidiuam, vel alium morbum.

§. 73.

Videtur illum adhiberi poſſe, ſine praeuia corporis praeparatione, et materiae peccantis euacuatione, in febribus epidemicis intermittentibus, et quae non ex vitiato corporis habitu, nec ex tenaci materia, primis viis inhaerente, ortae fuerunt, ſed ex epidemica aëris diatheſi in corpore caeteroquin valente, non impuro, ſeu corruptis humoribus abundante. Eius etiam vſus neceſſarius, niſi mox ab initio, propius tamen ab illo, eſſe videtur, ſi febribus eiusmodi laborant corpora valde imbecilla, et ſenes, quae febrem diu tolerare non poſſunt.

§. 74.

Nocet cortex in omnibus continuis et inflammatoriis; auget enim obſtructionem et lentorem inflammatorium. Nec admitti poteſt in febribus malignis, peſtilentialibus, exanthematicis, nec in eryſipelate. Locum habere poteſt, ſi febres continuae ex intermittentibus ortae fuerunt, etiam in lentis, praemiſſa venaeſectione ex intermittentibus relictis. De eius vſu in Gangraena, a cauſa interna, videnda eſt Chirurgia.

§. 75.

§. 75.

In aliis intermittentibus, quarum plures ſine cortice curantur, is dari debet cocta prius, praeparata et euacuata materia peccante, de qua re infra plura. Tempus vero eſt, vbi febris ſe paullulum remiſit, iam per aliquod tempus craſſa multaque ex vrina deſiderunt, et aeger non ſolum perfectam ἀπυρεξίαν, ſed et meliuſcule ſeſe habet.

§. 76.

Solus ſine aliis remediis, quae eius vim imminuunt, maxime ſine purgantibus, exhibeatur. Dari debet poſt finitum paroxyſmum, et tempore integritatis, vel, vt vocant, ἀπυρεξίας. Maior ei vis eſt, ſi datur in puluere, vel electuario, quam ſi in infuſo. Aeger vero ſumet, quater per diem drachmam dimidiam, vel integram. Gallis in more eſt, decoctum meracius cum aqua in aluum immittere, quod quandoque prodeſſe poteſt infantibus. Raro cortice in infantibus opus eſt.

§. 77.

Quod ad victum attinet, febres acutae magnum praeſidium habent ex abſtinentia. In intermittentibus vero cibus magis neceſſarius eſt. Debet vero ſemper talis eſſe, vt corpus non tam alat, quam ſuſtineat. Accommodari vero cibus et potus debent non ſolum morbo, ſed etiam homini, eius vitae rationi, conſuetudini, aetati, &c. In omni febre inflammatoria, ardente, bilioſa, maligna, conuenit victus vegetabilis, acido ſucco abundans, cum farinoſis. In intermittentibus concedi poteſt cibus ex animalibus, imo, ſi temperamentum phlegmaticum eſt, et tenacior pituita in primis viis, adiici poſſunt aromata, ex quibus Zingiber fere aliis praeferri debet. Dari debet cibus repetitis vicibus, ita vt aeger ſe eo minime impleat, et quidem tempore ἀπυρεξίας, nunquam vero ante imminentem paroxyſmum. In febribus acutis dari debet cibus tempore remiſſionis. Nunquam is inuito aegro obtrudi debet.

§. 78.

Potus non facile denegari debet, quo humores lenti diluuntur, tenaces mobiles redduntur. Nocere vero potest et nimis calidus, et nimis frigidus. Prior, inprimis in acutis, aestum et lentorem inflammatorium auget; alter spasmos excitat, factaque contractione solidorum, fieri possunt obstructiones atque inflammationes, praecipue, si calente corpore sumitur.

§. 79.

Potus accommodatus sit febri. Optimus est Ptisana, decoctum hordei, tum simplicis, tum excorticati, Scorzonerae, Sassaparillae, quibus Roob, aliique succi acidi, admisceri debent. In febribus acutis et inflammatoriis decoctum C. C. non ita opportunum est, quod in aliis locum habere potest.

§. 80.

In acutis malignis, cum magna imbecillitate, periculosum est, si aeger situm mutat. Nam, si corpus erectum est, facile Lipothymiae et alia symptomata incidunt.

§. 81.

Supra dixi (§. 24.), ad symptomatum curationem non ita properandum esse; si tamen his vrgentibus quandoque medendum est, inter prima est anxietas. Hanc, si ab impedito humorum transitu orta fuit, tollit venaesectio, quandoque etiam in febrium inflammatoriarum initio, et, si nullus exanthematum metus est. Magis tutum est, et adversus anxietatem etiam praesidium, lotio in aluum immissa, vel purgatio antiphlogistica. Cum his necessarius est potus diluens. In intermittentibus anxietas saepe a ventriculi cruditatibus oritur, et ei medetur emeticum. Si vero orta est a retentis fecibus et flatibus in intestino colo, proficiunt clysteres. Si ab inflammatione ventriculi, multum iuuat decoctum auenae excorticatae. Si ab exanthematibus repressis, prosunt frictiones cum diaphoreticis internis. In purpura extrinsecus admoueri possunt Cantharides.

§. 82.

§. 82.

Sitim fallit, inprimis in ardentibus, potus diluens, frigidus, haud tamen nimis. Leuamen adfert, ſi aquae pauciores guttulae ſpiritus acidi, vel etiam nitrum, adiicitur, illaque os crebrius eluitur. Vel orbiculi citrei mali, ſucco turgidi, ſaccharo aſperſi, imponi poſſunt linguae. Potus inprimis acidiuſculus eſſe debet, et fere optimus eſt, ſi aquae fontanae ſimplici, et huius quidem menſurae, adiicitur vini Rhenani vncia vna vel duae. Etiam vinum adiici poteſt, hac ratione et quantitate, decocto panis domeſtici. Proſunt multum Clyſteres, ex aqua pura, cui nitrum ad drachmam vnam vel duas addi poteſt. Vel immitti poſſunt in aluum aquae Selteranae, quae lotiones etiam non calidae, nec tamen nimis frigidae eſſe debent.

§. 83.

Nauſea et vomitus in febribus acutis et ardentibus ſaepe oriuntur a putreſcente in ventriculo humore et bile. Adverſus hunc plurimum valet potus diluens et acidus, et vel in potu, vel loco medicamenti exhiberi poteſt Oxymel ad vnciam dimid. vel integram per diem. Videndum tamen, ne hoc aluus et nimium et intempeſtiue moueatur. Dari etiam poſſunt illae purgationes antiphlogiſticae, ex Tamarindis, Paſſulis, aliisque acidulis, niſi alia id prohibeant. In intermittentibus nauſeam tollunt ſales digeſtiui cum nitro, et ſi ea vehementior eſt, emeticum. Nauſea etiam eſt in fluxu hepatico, et febribus lentis. In his omnia euacuantia mortem maturant, de quibus ſuo loco.

§. 84.

Si vero nauſea oritur, inprimis in intermittentibus, a viſcido, ventriculo inhaerente, id quod cognoſcimus, ſi homo non de corrrupto ſapore, et magna tamen dyſpnoea et anxietate conqueritur; et ſi glutinoſa aſſumſit; ſi ructus crebriores ſunt, ſine ſapore, dari poteſt ſal neutrius generis, Arcanum duplicatum, Tartarus vitriolatus, terra fol. Tartari, eius Liquor, Sal thermarum Carolinarum, Sal catharticus,

tharticus, etc. maiori in quantitate. Vel etiam dari poteſt Oxymel ſquilliticum, repetitis vicibus, et quidem per diem ad vnciam vnam vel duas. His praemiſſis, ſi nauſea non ſublata eſt, dari debet Ipecacuanha.

§. 85.

Si vomitus et vomendi conatus oritur a male affecta parte neruoſa, et ipſa cerebri membrana, cauſa tollenda eſt. Quandoque acre et irritans ex vulnere eximendum, quandoque vulnus ampliandum, et aliud, quod Chirurgia docet, adiiciendum eſt. Si ventriculus inflammatus eſt a cauſis internis, proficit decoctum hordei excorticati, auenae excorticatae, emulſiones dilutiores, quibus pauciores guttulae Liquoris anodyni Hoffm. vel pauciora grana Nitri addi poſſunt. Et in hoc caſu non negligi debent Clyſteres, ex aqua fontana, melle, nitro, imo etiam aceto. Frigidiuſculi clyſteres in aluum immittendi.

§. 86.

Debilitati in febribus, ſi ab impedito humorum tranſitu orta fuerit, medentur ea quae febri: Sanguinis miſſio, diluentia, ſaponacea. In febribus ardentibus et inflammatoriis, nec non malignis, conducunt Iulapia, ex ſyrupis et ſuccis acidis. Conueniunt etiam omnia, quae ſupra occaſione ſitis (§. 82.) propoſita ſunt. Cardiaca calidiora hic aliena ſunt.

§. 87.

Aeſtum minuunt ea, quae febrem tenuant. Plurimum etiam conferunt Clyſteres cum nitro. Obſeruanda eſt corporis et animi quies. In conclaui conferri poſſunt arbuſta frigida, conſperſa; pauimentum reſpergi poteſt aqua frigida, vel aceto vini; arcendus eſt omnis ſtrepitus. Aliquando in febribus aeſtum multum auget humor bilioſus in ventriculo et primis viis, qui, niſi aliud hoc prohibeat, congruo cathartico educi debet. Aeſtum in febre inflammatoria vulneris leuat huius ſuppuratio, et omnia quae hanc iuuant.

§. 88.

§. 88.

Delirio medentur omnia, quae febrem tenuant, praecipue iuuandae ſunt excretiones. Sanguis, durante vehementius delirio, non facile mittendus eſt, ſed, ſi febris natura id permittit, melius poſtquam illud ſe paululum remiſit. Alienae ſunt Cantharides; rubefacientia vero, Sinapi, Allium, Ranunculus, aliaque pedibus, cum vehementi frictione, adhiberi poſſunt. Illud tamen videndum, ne nouo hoc ſtimulo ſanguis magis moueatur. Nocent opiata, dari tamen poteſt Emulſio cum Papauere.

§. 89.

Affectus ſoporoſi poſt graue delirium plerumque funeſti, niſi facta fuerit criſis. Si poſt magnam euacuationem, veluti haemorrhagiam, vel hypercatharſin, ortus fuerit ſopor, proficiunt iuſcula gelatinoſa, ſaepe et iteratis vicibus, minima tamen quantitate, offerenda. Si vero ſerum in capite accumulatum eſt, proficiunt Cantharides. Sopor apoplecticorum alia auxilia deſiderat, de quibus infra. Etiam admoueri poſſunt naribus errhina et ptarmica.

§. 90.

Conuulſionis Therapia cauſis ſuis accommodari debet. In exanthematicis ante eruptionem dari debent diapnoica cum temperantibus, addi poteſt Specificum cephalicum, vel cinnabaris ſola, quibus tamen non adeo magna fides habenda eſt. Admiſceri etiam poſſunt eiusmodi potiunculis ſpiritus bezoardicus Buſſii, cum Liquore anod. Hoffmanni, quae etiam melius ſeorſim dantur. Si exanthemata repreſſa fuerunt, adiici poteſt, exigua tamen doſi, Eſſentia Myrrhae. Conuulſio critica in febribus ardentibus et phrenitide, quae iuſto tempore et cum ſignis coctionis eſt, non facile turbari debet.

§. 91.

Sudor, qui in malignis tempore cruditatis et mox ab initio oritur, poſtulat acida, Corallia rubra, cum acido Citri, ſpecies de Hyacyntho, Nitrum.

§. 92.

Diarrhoea critica non turbanda. In febre catarrhali maligna, ſeu petechizante, illa toleranda eſt. In hac vero, ſi modum excedit, vel etiam ſi febribus exanthematicis ſuperuenit, moderanda eſt, non tam adſtringentibus, quam compoſitionibus aliis opiatis, ex quorum numero praeſtare videtur Diaſcordium Fracaſtorii. Etiam locum habere poteſt Theriaca Andromachi, quae aliquoties repeti debet.

§. 93.

In exanthematum curatione, regimen et febris moderamen prima ſunt. Febris enim, ſi nimium accenditur, oritur inflammatio, et exanthemata numero et malignitate augentur. Si nimis tenuatur febris, oriuntur conuulſiones, diarrhoeae, et ſaepe febris in alium morbum, hecticum quandoque, mutatur. Raro locum habent euacuantia. Vide quae de ſanguinis miſſione (§. 66. et 69.) et clyſteribus (§. 64.) ſupra relata fuerunt. Si iterum euanuerunt, adhibenda ſunt, quae ſupra (§. 90.) occaſione conuulſionis in febre praecepimus. Plurimum conferunt extremorum frictiones cum linteis aſperioribus calidis, infuſa aquoſa calida radicum et herbarum. Pro ditioribus Lapis Bezoar, ad gr. XV. vel ſcrup. j. pro doſi, vel etiam infuſum illius coaguli, quod Pedra del Porco dicitur. In purpura proficiunt veſicatoria, extremis artubus admouenda.

DE FEBRIBVS IN SPECIE.

FEBRES INTERMITTENTES.

TERTIANA.

§. 94.

Febris eſt, vel πυρετὸς σύνοχος, ſeu continens, vel συνεχὴς, ſeu continua, vel διαλείπων, ſeu intermittens. Continens eſt, quae nullam habet remiſſionem. Continua, quae aliquam remiſſionem habet, ſed non perfectam. Intermittens, in qua vera eſt ἀπυρεξία, ſeu, vt CELSO dicitur, integritas.

§. 95.

Intermittens rurſus diuiditur, ratione temporis et paroxyſmorum, in quotidianam, tertianam et quartanam, quae febres quandoque, ſi duos paroxyſmos habent, duplicatae dicuntur, e. g. tertiana duplex, quae facile confundi poteſt cum quotidiana. Diſtinguitur vero tempore, vehementia, natura paroxyſmorum. Nam quoad haec, paroxyſmi quotidianae ſibi aequales ſunt, qui in altera differunt. Raro tertianae duplicis paroxyſmi eadem die incidunt. Frequentiſſima omnium eſt tertiana, non ita frequens quartana, rarior quotidiana. Dantur etiam febres quintanae, aliaeque, quae ſexto vel ſeptimo quoque die reuertuntur, quae vero rarius occurrunt.

§. 96.

Tertiana genuina plerumque aegrum corripit circa meridiem. Sentit aeger ab initio inſuetum languorem et laſſitudinem, lumborum dolorem, et aliquam quaſi abdominis ſtricturam. Accedit oſcitatio, iactatio, pandiculatio. Protinus is refrigerium ſentit, et, cum hoc, horrorem tremoremque. De pulſu ſub horrore dictum fuit ſupra. Horrore ſe remittente, ingraueſcit praecordiorum anxietas,

non raro cum nauſea, vomendi conatu, et pituita atque bilis vomitu. Pulſus iam durior fortiorque attollit arterias, manet vero ſemper velox, cutis tamen adhuc rigida eſt et ſicca. Cum aeſtu ſunt alia ſymptomata, ſitis, vigilia, imo quandoque delirium. Tandem pulſus ſe remittit, corpus inſudat, et vrina, quae ſub horrore, propter vaſorum conſtrictionem, aquoſa et tenuis erat, iam magis ſaturata mingitur. Alia tamen eſt primis paroxyſmis. Vltimis enim illa craſſa, cum ſedimento lateritio, ſaponacea mingitur. Sequitur ſudor, et ſoluto per hunc paroxyſmo, aeger laſſitudinem ſentit et debilitatem ſine δυσφορία.

§. 97.

Duratio horum temporum omnium multum variat. Illud ſciendum eſt, tertianas, maxime autumnales, primis diebus ſaepe continuis ſimiles eſſe, et veram integritatem haud habere. Cognoſcitur hoc diſcrimen ex natura morbi epidemici, iam cogniti, ſi maius fuit ab initio frigus, et ſi vrina ſubito mutatur. Haec notitia ideo neceſſaria eſt, quia, ſi in his intermittentibus, ſub continuae larua latentibus, curatio per ſanguinis miſſionem, et alia vires imminuentia auxilia ſuſcipitur, febris turbatur, et pertinax redditur. Cum ab initio diagnoſis, etiam febrium intermittentium, et, num tertianae, num quartanae futurae ſint, difficilior eſſe ſoleat, per priora tempora diligentior obſervatio, non protinus efficacior medicina adhibenda eſt.

§. 98.

Quae vero cauſa προηγουμένη, ſeu praediſponens ſit huius et aliarum intermittentium, et cur ſtatis temporibus febris reuertat, haud certo conſtat. Multis probat illuſtr. *van* SWIETEN ad §. 757. huius cauſae ſedem eſſe in neruis, horumque ſubtiliſſimo fluido. Cauſae vero procatharcticae ſedes in tertiana eſt potiſſimum in primis viis, in quibus, praecipue in ventriculo et duodeno, haerent crudi-tates, tum ab aſſumtis, tum etiam a corruptis ſuccis, qui alias chylificationi inſeruiunt. Ei igitur obnoxii fiunt, qui ventri-

ventriculum copioſis dyſpeptis, ſibique contrariis, onerant cibis, praecipue, ſi is alioquin infirmus eſt, ex abuſu emeticorum, purgantium, poſt vſum aquarum mineralium, ex ſanguinis miſſione, Venere, litterarum ſtudio, vigilia aliisque. Quandoque oritur tertiana ex ſola nauſea. Interdum tamen etiam ex animi pathemate, aëris mutatione, oritur haec febris, vel iam ſopita iterum reuertit.

§. 99.

Quandoque ſunt tertianae epidemicae. Oriri videntur raro ex victu, frequentius ex aëre paludoſo frigido, eius repentinis mutationibus, quibus valde mutatur inſenſibilis tranſpiratio. Illae febres plerumque typum exacte non ſeruant, et magis ad continuarum typum accedunt. Alia ſaepe cum his ſunt ſymptomata, animi deliquia, delria, virium maior proſtratio, &c. Difficilius etiam expugnatur.

§. 100.

Tertiana benigna ſimplex, a manifeſtis cauſis orta, in corpore nondum infirmato, tollitur abſtinentia, et obſeruato regimine, fere ſine medicatione. Febrem breuem fore ſignificat vomitus, diarrhoea, ſudor poſt paroxyſmum facilis et criticus, ſedimentum copioſum in vrina, et, ſi puſtulae in labris naſcuntur cum virium integritate; qualis febris corpori magnam ſalubritatem promittit, et illud non raro ab aliis morbis, ab inhaerente in viſceribus, maxime hepate, ſaburra liberat, cum nulla efficacior reſolutio ſit, quam quae motu febrili praeſtatur. Non vero omnes intermittentes, nec omnes tertianae ſalubres ſunt. Febris enim diuturnior debilitat tandem partes ſolidas, quae laxiores factae, humidis ſubigendis et praeparandis haud ſufficiunt. Humida propter id, et propter nimis eorum celerem reſolutionem corrumpuntur, ita vt, quum humorum etiam partes meliores et corpori alendo idoneae citius per ſudores expellantur, relinquatur ſaepe humor terreſtris ſpiſſior cum multa acrimonia. Exhauſtum igitur corpus et

debile ac infirmum per diuturnas febres ſaepe aliis morbis, Leucophlegmatiae, Cachexiae, Hydropi, obnoxium redditur. Tertianae nonnunquam in acutas continuas mutantur, id quod maxime fit aſſumtis calidioribus, tum remediis, tum cibis potionibusque, ſudore vehementius moto per ſtragula, aërem calidum et ſimilia. Eſt magna differentia inter tertianas vernales et autumnales. Priores breues ſunt et plerumque ſalutares, vltimae chronicae, quae non raro in alios morbos degenerant, nonnunquam in quartanas, cum quibus illae ſaepe conueniunt. Igitur nonnunquam ſenibus imbecillis, alio morbo, Venere, animi pathemate, confectis, periculum imminet, qui vel ſub horrore apoplectici moriuntur, vel cachectici fiunt.

§. 101.

In curatione quandoque Emetica locum habent, etiam ab initio, quae a cauſa manifeſta, ab aegri victu, praeterea a nauſea, ſapore aduerſo, ructu, indicantur, de quibus ſupra retuli (§. 60. 61.). Epidemicae intermittentes raro illa ferunt. Ceteroquin vero materia peccans praeparanda mobilisque reddenda, euacuanda, et viſceribus nouum robur reddendum eſt.

§. 102.

A primis initiis et vbi febris nondum plenam integritatem habet, ſed aeſtus adhuc continuus eſt, imperanda eſt abſtinentia, et dari poſſunt temperantia, pulueres ſalini, nitroſi, minus efficaces, tenerioribus potiunculae.

§. 103.

Si vero paroxyſmi bene diſtincti ſunt, et inter hos vera integritas eſt, eo ipſo tempore dari poſſunt quae ad materiam peccantem mobilem reddendam efficaciora ſunt. Ex certis vero ſignis, ex vomitu, ex ructu, ex ardore faucium, ex ſapore, de quo aeger conqueritur, imo ex cauſis cognoſcere poſſumus, num in ventriculo et duodeno haereant bilioſa, acida, pituitoſa, quibus accommodari debent medicamenta. Si enim bilis abundat, alieni ſunt acriores

ſales,

ſales, et dari poteſt Nitrum cum abſorbentibus, Cremor Tartari cum abſorbentibus. Si vero acidum abundat, Sal. Card. bened. Sal Therm. Carolin. Sal catharct. cum Magneſia alba. Si vero pituita exſuperat, aliena ſunt terrea, et conducunt ſales neutrius generis, veluti Sal Therm. Carolinarum. Si aegri pulueres auerſantur, ſales ſolui poſſunt in aqua et eadem quantitate dari.

§. 104.

Haec danda ſunt tempore integritatis et verſus paroxysmum. Hoc vero durante, aeger ſe debet continere. Si vomitus inter frigus et aeſtum vrget, aſſumat aeger aquam tepidam, vt minori cum moleſtia vomat. Vbi cutis madeſcere incipit, calidam oportet ſorbere, et quando febris magis genuina eſt, poſt aliquot ſuperatos paroxyſmos dari poteſt infuſum aquoſum ex rad. Vincetox. Scorzonerae, Saſſaparill. Cichorii, Taraxaci, Gramin. herb. Beton. Meliſſ. Cort. aurant. Sem. Foeniculi, et adiici poteſt Eſſ. alexipharmaca, refracta tamen doſi. Pernicioſum eſt, multum ſudorem mouere, tum intus datis, tum conclaui percalefacto, atque impoſitis ſtragulis. Debilioribus dari poteſt hoc tempore iuſculum. Nec vini hauſtus alienus eſt.

§. 105.

Poſt aliquot paroxyſmos vero dari debent catharctica, quae aegri temperamento accommodanda ſunt. Fere optimum eſt, et vix non omnibus conueniens, Rhabarbarum c. Cremore Tartari, vel Sale catharctio. Debilioribus hoc valde opportunum eſt. Nec alienum, praecipue ſi bilis abundat, apozema ex Tamarindis, Rhabarb. fol. Sennae, &c. Aliis, et praecipue vbi viſcidum exſuperat, dari poſſunt Pilulae ex Extr. amaris ad methodum Beccheri, nec non Sal catharcticum. Si autem febris continuat et pertinacior eſt, etiam parari poſſunt infuſa per epicraſin laxantia. Omnia emetica et purgantia ita dari oportet, vt eorum actio finita ſit ante nouum paroxyſmum. Tamen interdum in robuſtioribus, et ſi viſcidum haeret in ventriculo, pro-

ficit, ſi Sal neutrius generis, aqua ſolutus, maiori quantitate, mox ante imminentem paroxyſmum datur. e. g. Tartar. vitriolat. ad drachmam j. vel ij. Superbibat tamen aeger aquam, ne Sal nimium offendat ventriculum. Nec hoc mox ab initio, nec in tenerioribus aegris fiat. Tandem vero, vbi febris paululum ſe remiſit, et alia ſigna ſunt, de quibus ſupra dixi (§. 75.), dari poteſt Cortex Peruuianus. Cauendum eſt, ne ſalibus abutantur, quibus ventriculus laeditur. Febres, in quibus copioſiſſimo ſudore aegri diffluunt, ſaepe periculoſius tolluntur, et tandem ex diuturniori vſu ſalinorum et abſorbentium augetur ſolidorum infirmitas. In his citius fugiendum eſt ad corticis vſum. De cibo potuque tenendum, nocere omnem cibum valentiorem, pinguem maxime, omnemque repletionem. Haec tanto magis vitanda eſt, cum aegri ſaepe voraciores ſint, et de canina fame conquerantur, quorum febres plerumque pertinaciores eſſe ſolent. Nocet tamen etiam haud minus nimia abſtinentia et fames, qua vires ad febrem neceſſariae exhauriuntur. Alendus igitur eſt aeger cibis, in quibus ſeligendis conſuetudinis ratio habenda. Semper cibus dandus poſt paroxyſmum febrilem, nunquam ante hunc, tempore ἀπυρεξίας. Tunc enim vini meracioris moderatus hauſtus ſalubris eſſe poteſt. Ceterarum rerum non-naturalium, praecipue exercitationis et ſomni, ratio habenda eſt. Nocet Venus.

§. 106.

Poſtquam febris deſiit, imperari debet regimen. Vt febris reuertat, efficere poſſunt aër paludoſus, frigus nocturnum, Venus, vehementes animi et corporis motus, praecipue repletio, victus plenus, durus, potus inebrians, omne purgans, nec non ſanguinem in motum ciens medicamentum. Aluus, ſi adſtricta eſt, non aliter, quam cibis idoneis et lotionibus mollienda eſt. Prae ceteris monendus eſt aeger, ne ſe cibis, etiam bonis, impleat. Vitanda ſunt omnia dura, pinguia, acria, potiones etiam meracio-

res

res et inebriantes. Vbi etiam febris conquieuerit prorſus, tamen per aliquod tempus debet dari cortex. Bonum ſignum eſt, ſi hic datur, et tenuata, vel prorſus quieſcente febre, deiectiones frequentiores fiunt.

§. 107.

Vbi tamen viſcera infirmata eſſe videntur, his optimum robur adfert cortex Peruuianus. Dari poſſunt etiam Martialia, Tinct. Vitrioli Martis Ludouici ad gt. xx. cum aqua ſimplici. Eſſentiae carminatiuae non ita bonae ſunt, praeſtant Trageae et ex his Puluis ſtomach. Birckmanni.

FEBRIS QVOTIDIANA.

§. 108.

Rarius et plerumque tempore verno, atque vix alios, quam imbecillos, haec febris corripit. Incurſat horis matutinis, nec frigus, nec aeſtus valde vrgent, et febris fere lentae ſimilis eſt, in quam non raro mutatur. Aeger de torpore et ſtupore, atque de imbecillitate conqueritur. Haec genuina eſt. Si vero paroxyſmi vagi ſunt, et nec quotidianae, nec tertianae duplicis rationem ſeruant, dicitur notha ſeu erratica, qualis plerumque eſt epidemica. Quomodo a tertiana duplici differat, ex ſupra dictis (§. 95.) intelligitur. A catarrhali vero differt in eo, quod haec plerumque tempore veſpertino aegrum corripit, et nouo horrore commouet, quae etiam tertio quoque die reuertitur vel exacerbatur, ceteroquin vero continua eſt, nullaque perfecta integritate diſtinguitur. In febre hectica exacerbatio plerumque poſt paſtum eſt. Quotidiana facile mutatur in continuam vel lentam.

§. 109.

Huius febris cauſa eſſe videtur imbecillitas viſcerum, prae caeteris ventriculi. Solet oriri ex vehementi diuturnoque moerore, poſt male curatas intermittentes, poſt alia, quibus viſcera et praecipue ventriculus offenduntur. Quandoque in imbecillis illa non ſine metu eſt, et ſaepe pertinacior, quam quartana. Febrem breuem futuram eſſe ſignificant excretiones autocraticae per diarrhoeam, ſudorem, vomitum.

§. 110.

Curatio huius febris eadem fere requirit, quae tertiana (§. 102.), medicamenta, tamen mitiora et pauciores Sales. Omnia accommodari debent paroxyſmo. Ab initio, ſi vel non perfecta, vel tantum breuis integritas eſt, dari poſſunt pulueres ex Nitro, Arcano duplicato, lapidibus Cancrorum cum acido Citri, Antimon. diaphoretico cum puluere bezoardico et ſimilibus. Vel etiam potiones cum liquore terrae fol. Tartari, vel hunc ex aqua deſtillata. Vbi magis perfecta eſt integritas, protInus poſt paroxyſmum dari poteſt puluis ex Cremore Tartari, vel Rhabarbaro; vel Pilulae Beccherianae, quae, vt celerius agant, ſolui poſſunt in aqua deſtillata. Si poſt paroxyſmum corpus inſudat, dari debet infuſum calidum aquoſum. Emetica, praeſertim ab initio, morbum exaſperare poſſunt, imprimis ſi is non tam a malo victu, quam ab imbecillitate ventriculi, vel etiam ab animi pathemate, veluti moerore, ortus fuit. Si vero febris pertinacior eſt, et ſi alia ſigna cruditates in ventriculo eſſe oſtendunt, dari poteſt Ipecacuanha. Cathartica efficaciora et ſtimulantia et ſanguinis miſſio plerumque nocent. Illa vero leniora laxantia et reſoluentia ſaepius reiterata proſunt. Aeger monendus eſt ante omnia, vt ab omnibus, quae ventriculum onerare poſſunt eumque imbecilliorem reddere, abſtineat. Omittat etiam curas et litterarum ſtudium. Corpus vero, quantum res permittit, exerceat. Si febris per tempus ſic tolerata fuit, ea vero

non

non conquieſcit, dari poteſt Cortex Peruuianus, ad cuius vſum non nimium properandum eſt. Poſt ſuperatam febrem, cura habenda, vt ventriculo reſtituatur robur. Perficiunt id ſtomachica, Trageae, praecipue infuſum Cort. Peruv. cum Limat. Martis. Nec prorſus contemnenda ſunt externa.

QVARTANA.

§. III.

Haec quarto quolibet die reuertit. Frequentior eſt Autumno, quam Vere et caeteris anni temporibus. Ea plerumque adulti, ſenes, interdum tamen, quamuis rarius, etiam infantes laborant. Incurſat vtplurimum, ſi genuina eſt, poſt meridiem. Primis diebus horror paucus eſt, qui vero, reuertente febre, increſcit, et quandoque per aliquot horas durat. Sequitur lento gradu non ita magnus aeſtus. Nam rarius cum delirio vel aliis ſymptomatibus, cephalalgia, anxietate, vomendi conatu, eſſe ſolet. Plerumque deficiunt ſolitae excretiones, per vomitum, aluum, ſudorem, et in genere haec febris magis contumax, quam vehemens eſt. Pulſus plerumque rarior tardiorque, quam in ceteris febribus, aluus ſaepe adſtricta. Paroxyſinus febris interdum breuior, in nonnullis vero vltra xv-xx horas protrahitur. Eſt quidem huic febri integritas, quae tamen vix vnquam ſine laſſitudine, torpore et imbecillitate eſſe ſolet. Mutatur color cutis externus, qui ab impuritatibus, quae humoribus admiſcentur, liuidus fit ac flaueſcens. Saepe aegri ſunt moeſti et moroſi, queruntur interdum de dolore artuum. Non raro voraces fiunt, et magno deſiderio fameque canina in cibos duros dyſpeptos feruntur. Haec genuina dicitur; notha vero eſt, cuius acceſſiones vagae

ſunt,

ſunt, vt mox ante, mox poſt meridiem paroxyſmus aegrum corripiat. Debet tamen diſtingui febris quartana duplex ab aliis febribus vagis. Prioris ſigna a tertianae duplicis notis depromenda ſunt.

§. 112.

Haec febris interdum epidemica eſt, praeſertim autumno, ſi hic poſt feruidam aeſtatem pluuioſus eſt. Endemia eſſe ſolet populis ſeptentrionalibus, in locis paludoſis degentibus, victu duriore, pane atro, carnibus fumo induratis veſcentibus, inter quos tamen ei magis obnoxii fiunt imbecilli, et corpus non ſatis exercentes.

§. 113.

Sedes morbi eſſe videtur non tam in primis viis, quam in ipſis viſceribus abdominis, chylificationi inſeruientibus. Veteres dixerunt, quartanam oriri ab atra bile, et ad eam plurimum facere corruptum ſanguinem, omnemque ſuccum, in quo blandum lymphaticum deficit, terreſtre vero et oleum rancidum exſuperat. Si igitur mali eiusmodi ſucci, cruditatesque haerent in viſceribus, hepate, ſplene, meſenterio, pancreate, et ſi in his organis vitiatorum crudorumque humorum circuitus lentus eſt turbatusque, naſcitur haec febris. Haec ob id facile in horum viſcerum ſcirrhos degenerat, atque non raro in Cachexiam, Icterum, Oedema, Hydropen, Tertianam, mutatur. Occaſionem dat victus plenior, crudus atque durior, praecipue vegetabilis, aceſcens, cum potu parciori, vita ſedentaria, litterarum nimium ſtudium, cura ac moeror, ſuppreſſae excretiones, catameniorum, haemorrhoidum, ſudoris matutini, repreſſa ſcabies, male curatae aliae febres et alia ſymptomata. Quare frequens eſſe ſolet ſenibus, hypochondriacis, hyſtericis, Scorbuto vel purpura ſcorbutica laborantibus, nec non iis, quibus vires per moerorem, medullis inſidentem, amorem, vigilias exhauſtae ſunt. Multum confert frigus inſuetum autumnale, praeſertim refrigerium abdominis poſt paſtum, nimium otium, deficiens exercitatio, vita ſeden-

dentaria, abuſus ſpirituoſorum aeque ac acidorum, maxime cereuiſiae aceſcentis et vini oligophori.

§. 114.

Febris haec plerumque ſine periculo eſt, ſed interdum eſſe ſolet cum labe viſceris, et tunc mortem infert. Eſt vero omnibus aliis pertinacior, praeſertim autumnalis, quae nonnunquam per aliquot menſes ad vernum vsque tempus durat. Leguntur exempla, vbi per plures annos aegri quartana laborarunt. Hyeme raro veram medicationem admittit febris. Febrem vero breuiorem longioremque reddunt, aetas, temperamentum, victus, aër, animi pathemata, corporis habitus. Plerumque plurimum prodeſt, ſi aër et potionis genus mutantur. Si recte curatur, ſine noxa eſt, imo quartanam ſaepe fere deſperatis morbis mederi, ſupra retulimus (§. 16.). In corpore vero infirmo, et ſi aliae cauſae adſunt, facile in hydropen degenerat. Pertinacior interdum ſoluitur haemorrhoidum fluxu, purpura ſcorbutica, ſcabie, diarrhoea, in quarum omnium excretionum curatione caute agendum, et in tota febris Therapia non nimis properandum eſt. In genere peruerſa medendi methodo haec febris facile in alios peiores morbos mutatur; opiatis in affectus ſoporoſos, conuulſiones; cortice Peruuiano in hydropen atque icterum, malum hypochondriacum, viſcerum ſcirrhos; abuſu euacuantium, purgantium, interdum in continuam, crebrius in lentam atque hecticam; voracitate autem aegri in Cachexiam et tumores oedematoſos. Haec febris prae caeteris etiam omnibus, ſi curata fuit, reuertitur. Pertinacior peiorque eſt quartana duplex, quae facile in continuam, vel lentam mutatur.

§. 115.

In curatione naturam ſequi oportet, quae lentis motibus materiam pertinacius inhaerentem, non vehementioribus emoliri ſolet. Quare enitendum eſt, vt materia illa praeparetur, poſt euacuetur, et vt robur partibus reſtituatur. Igitur ab initio et per aliquod tempus dari ſolent Sales

digeſtiui,

digeſtiui, praecipue alcaleſcentes, Card. bened. Abſynth. Thermar. Carolinar. nec non alii Sales neutrius generis, Tart. vitriolat. Arcan. dupl. Tart. tartariſatus, Sal mirabile Glauberi; &c. quibus parum Nitri et abſorbentis addi poſſunt, qui puluercs ante acceſſionem dari debent. Sudor non facile mouendus eſt; tempore vero integritatis, et quidem ſecundo tertioque die, maxime ſi iam aliquot paroxyſmi deſerbuerunt, commode parari poteſt infuſum per epicraſin laxans. Loco huius etiam proficiunt Pilulae Beccheri, puluercs ex Rhabarbaro et Sale digeſtiuo, nec non Sal Thermar. Carolin. verſus paroxyſmum ad drachmas ij. vel iij. datum.

§. 116.

Plurimum ad hanc febrem expugnandam facit corporis exercitatio et victus. In plurimis aliena eſt cereuiſia, niſi fuerit valentior et lupulo bene condita. Vinum generoſum tempore integritatis pauca in quantitate dari poteſt. Decoctum ex Cort. Chinae cum Caſſia lignea, vel aliud ex rad. Scorzonerae, Sarſaparillae, Cichorii, C. C. ſem. Foeniculi, quam maxime conducit. Cibi ſint eupepti, et vitetur omnis cruditas a voracitate et ingluuie. Si vero etiam vnquam nimia abſtinentia nocere poteſt, nocebit in hac febre.

§. 117.

His tandem per tempus adhibitis, et ſi ſigna adſunt, de quibus ſupra retuli (§. 75.), dari poteſt Cort. Peruuianus, obſeruatis omnibus, quae ſupra praecepimus.

§. 118.

Quartana pertinacior interdum expugnatur vſu Thermarum et Acidularum, praecipue Pyrmontanarum et Egranarum, quas vero non, niſi tempore integritatis, potari expedit. Addi his poſſunt Sales catharctici, praecipue Thermarum Carolinar. ad drachmas ij. vel vnciam dimidiam, vel, quod fere praeſtat, horis veſpertinis, ante potandas aquas, dari poſſunt Pilulae ſupra deſcriptae (§. 105.), vel Pilulae de Ammoniaco Quercetani, et ſimiles.

§. 119.

§. 119.

Vt ventriculus robur retineat, tempore integritatis ante paſtum aeger ſumat Eſſ. carminat. vel Elixir. ſtomach. ad methodum HOFFMANNI ex vino paratum. Non contemnendi vſus ſunt, in quartana pertinaci curanda, inunctiones ſpinae dorſi, cum fricatione, adhibitis linimentis neruinis. Iis, qui tempore paroxyſmi ſe multa potione ingurgitant, plerumque pedes intumeſcunt. Vinum generoſum, quod acidulae requirunt, etiam his non alienum eſt.

FEBRES EPIDEMICAE, VAGAE, AST MALIGNAE.

§. 120.

De his vide *Frider.* HOFFMANNI *Medicinam rationalem ſyſtematicam.* Id potiſſimum obſeruari oportet, caute agere debere medentem, quum ſaepe eiusmodi febres nec euacuantia ferant, nec acriores copioſioresque ſales. Dari poſſunt ab initio pulueres et potiones abſorbentes et bezoardicae cum pauco Nitro; tempore vero remiſſionis, lenioribus ducenda aluus, Pilulis balſamicis, Rheo, Manna Calabrina, Cremore Tartari et ſimilibus. Tandem vero, ſi febris magis ad intermittentis naturam adpropinquat, et ſi poſt aeſtum multus ſudor inſequitur, is iuuari poteſt infuſo calido et Eſſentia alexipharmaca, quae tamen non niſi exigua doſi exhibenda eſt. In his febribus nimius calor, tum, qui aëre, tum, qui medicamentis excitatur, plurimum nocet.

SEMI-

* *

SEMITERTIANA.

§. 121.

Et haec febris noſcenda eſt, quam deſcripſit HIPPOCRATES *Epidem. Lib. III. p.* 869. *Tom. I. Edit. Linden.* et CELSVS *Lib. III. Cap. III.* Quaſi compoſita eſt febris ex genuina intermittente et tertiana continua. Singulis diebus eius acceſſio vel exacerbatio reuertitur. Primum incurſat tempore matutino horripilatione, calore non ita magno, et corpus paullulum madeſcit; eodem die verſus veſperam nouus et valentior horror maiorque aeſtus. Altero die maior, ſed non perfecta integritas eſt, veſpere autem noua fit exacerbatio, nouusque horror. Tertius dies iterum, vt prior, duas habet acceſſiones. Haec ſemitertiana contagioſa non eſt. In tertiana duplici vero eſt integritas, in hac nulla. Cum hac febre magna anxietas eſſe ſolet, praeſertim horis veſpertinis.

§. 122.

Sub noſtro coelo rarior eſt, frequentior in Italia, vbi, poſt diuturnos aeſtus, noctes valde frigidae ſunt, et vbi etiam homines aquam niuatam vel glacialem potant, et fructibus dulcibus veſcuntur. Ea laborare dicuntur homines laute viuentes, corpus non exercentes, et quibus ſuppreſſa ſunt catamenia, haemorrhoides. Facile inflammatione interna, et meſenterii inprimis, finitur et funeſta eſt. Soluitur ſaepe diarrhoea, mutatur quandoque in tertianam, vel lentam.

§. 123.

Auertendum eſt in hac febre inflammationis periculum, quare etiam ſales et purgantia euitanda ſunt, maxime ſi aeſtus accedit et agrypnia. Si aeſtus non magnus eſt, repurgari debent primae viae leni catharctico, Rheo et ſimilibus, Apozemate ex Tamarindis, Manna, fol. Sennae.

Ante

Ante omnia vero, et mox ab initio morbi, in aluum immitti debent lotiones ex decocto emollientium, addito oleo leniore, id quod etiam iterandum est. Necessarium vero est, vt aeger bibat Ptisanam. Proficit etiam decoctum Auenae excorticatae, nullo addito butyro, sed passulis. Hoc decoctum etiam, addito oleo, commode in aluum immittitur. Si aluus mouenda est, id fieri haud debet illo die, quo duplex accessio est.

FEBRIS CATARRHALIS BENIGNA.

§. 124.

Frequentissima omnium est Veteribus quotidiana continua dicta. Aeger sentit languorem, torporem, sensuum obnubilationem, cephalalgiam, horis vespertinis horrorem. Hunc excipit aestus molestus in faucibus, pectore et capite, sensus atque dolor quasi grauatiuus. Micturiens est, et ab initio pallida vrina, aluus sicca. Quotidie versus vesperam fit exacerbatio, et primis diebus cum horrore. Tandem post aliquot dies febris soluitur, vel sudore multo, eoque foetido, vel diarrhoea, vel catarrho et destillationibus ex membrana pituitaria et pulmonibus. Non raro omnes hae excretiones fiunt. Finitur septimo, quandoque etiam quarto die.

§. 125.

Caussa huius febris est serum acre, per cutim excerni solitum, quod, a quacumque caussa repressum, conuertitur in intestinorum, membranae pituitariae, pectoris et pulmonum glandulas excretorias, vel etiam per cutim et sudorem excernitur. Eius frequentior occasio est subitanea tempestatum vicissitudo, et si tum sudor, tum exspiratio reprimantur. Euenire etiam iis solet, qui corpus ex potu spi-

rituoſo calens noctu ſtragulis non ſatis operiunt; qui poſt ſanguinis miſſionem aliamue vehementem euacuationem, acidularum et thermarum potum, corpus aëri frigidiori committunt; qui noctu ſub dio, vel apertis feneſtris dormiunt; qui in aëre paludoſo viuunt.

§. 126.

Febris differt a febre quotidiana intermittente, quippe quae habet integritatis tempus, quod catarrhalis non habet, ſaepe epidemica eſt. A maligna differt ſymptomatibus, de quibus protinus dicendum erit. Benigna raro periculum adfert, niſi ſenibus et valde infirmis, in quibus coctio materiae peccantis aegre perficitur. Grauior eſſe ſolet illis, quibus lympha iam corrupta eſt, veluti cacochymia, ſcabie, ſcorbuto, morbo venereo laborantibus. Vel ſi vitium aliquod in viſcere eſt, praecipue in pulmonibus. Quandoque illa, praecipue regimine calido et datis medicamentis calidis, conuerti poteſt in exanthematicam, purpuratam, vel petechialem, vel etiam inflammatoriam. Si vero corpus praeter neceſſitatem ſanguinis miſſione, purgantibus aliisque debilitatum fuit, mutatur in lentam, vel ex ea relinquitur pertinacior catarrhus.

§. 127.

In curatione primum eſt regimen, et hoc, et aliis auxiliis adhibitis, enitendum eſt, vt ſerum illud acre bene coctum et praeparatum per congrua loca excernatur. Quare oportet nec hanc febrem nimis tenuare, nec iuſto magis accendere, ſed moderari. Ob id etiam, ſi aeſtus non magnus eſt, Nitrum fere alienum eſſe ſolet, cuius tamen pauciora grana pulueribus ex Antimonio diaphoretico, Lapidibus cancrorum, cum acido Citri, Conchis et Cinnabari adiici poſſunt. Melior fere eſt Liquor terrae foliatae Tartari pro opulentioribus, cum diaphoretico fixo datus.

§. 128.

Si nimia acrimonia pectus vexat, dari poſſunt lenientia et lubricantia, quae alio nomine dicuntur becchica. Nocet

tamen

tamen horum abuſus, quum nimium laxari ſoleant pulmones. Dari itaque poſſunt talia, v. g. Syrupus capillorum Veneris Montiſpel. cum infuſo calido, etiam ipſius Thée, vel ſuccus Glycyrrhizae, ſperma Ceti, Syrupus de Althaea; Emulſio ex Amygdalis, Pineis et ſemine Papaueris, decoctum Auenae excorticatae; decoctum Caricarum pinguium, Paſſularum et fructuum Sebeſten; Eleoſaccharum ex oleo Amygdalarum dulcium cum Saccharo et pauco Croco.

§. 129.

Vbi aeſtus ſe paullulum remiſit et corpus madeſcere incipit, addi poſſunt pulueribus vel potiunculis pulueres bezoardici. Conuenit infuſum calidum ex rad. Scorzonerae, Saſſaparillae, Vincetoxici, herba Capillorum Veneris, Veronicae, fl. Sambuci, Chamomillae. Etiam adiici poſſunt pauciores guttulae Eſſentiae alexipharmacae, cuius doſis pedetentim augenda eſt, quo humorum depuratio fiat.

§. 130.

Si vero febris in tuſſim degenerat, conducunt illa ſupra dicta lubricantia (§. 128.). Si tenacior mucus eſt, cum iis proficit Mixtura ex Eſſentia Pimpinellae et Glycyrrhizae. Si tuſſis diutius durat, cum multa excretione, tandem et ſub finem dari poſſunt cortex Caſcarillae in puluere ad ſcrup. dimid. vel gr. XV. vel in Eſſentia ad gtt. 40.

FEBRIS CATARRHALIS MALIGNA, VVLGO DICTA PETECHIZANS.

§. 131.

Epidemica eſt, plerumque contagioſa. Aegri ſentiunt torporem et eadem fere ſymptomata, quae in febre catarrhali benigna (§. 124.), maiorem tamen imbecillita-

tem. Accedit faſtidium et cardialgia. Horis veſpertinis horror incurſat, quem excipit aeſtus, agrypnia, inquietudo, exquiſitus artuum et lumborum dolor. Haec ſe horis matutinis paullulum remittunt, veſperi vero noua fit exacerbatio, quae ſaepe etiam alternis diebus vehementior eſſe ſolet. Pulſus celer, paruus et debilis eſt. Si febris maiorem malignitatem habet, accedit lipothymia, delirium, vomendi conatus, et inter quartum ſeptimumque diem petechiae conſpiciuntur, modo maiores, modo minores, coloris etiam magis vel minus rubicundi. Aliis vero, id quod etiam fere melius eſt, nullae petechiae erumpunt, ſed crebriores ſunt deiectiones. Soluitur febris vix ante decimum quartum diem, aliquando poſt hunc, plerumque mutatione facta in vrina atque ſudore.

§. 132.

Haec febris, et ſymptomatum exacerbatione, et maiori periculo, a catarrhali benigna differt; vera tamen petechialis, cui haec exanthemata neceſſaria eſſe ſolent, hac periculoſior eſt. Graſſari ſolet haec febris praecipue autumno et hyeme. Ei ex epidemica conſtitutione maior vel minor malignitas eſt. Sedes eſſe videtur in glandulis excretoriis variis, maxime inteſtinorum, ad quas humor ille, per inſenſibilem exhalationem excerni ſolitus, conuertitur. Eſt vero aliquid in aëre atque victu, quod epidemicam malignitatem vel auget, vel minuit. Corpora infirma et quae lautiori et opiparo victu aluntur, praecipue ſenum, ex hac febre plurimum periclitantur. Saepe haec febris funeſta eſt, numquam ſine periculo. Periculum ſignificant maior imbecillitas, vehementior aeſtus, crebriores deiectiones, vel aluus penitus adſtricta, et maior inquietudo. Si ſudores erumpunt foetidi, cum coctionis ſignis, illi boni ſunt.

§. 133.

Si petechiae conſpiciuntur, optimae ſunt rubellae, peſſimae obſcurae et liuidae, nec non quae protinus iterum euaneſcunt. Quo pauciores, eo meliores ſunt. Si petechiis

chiis iam praesentibus aeger de magna anxietate conqueritur, metus est, ne inflammatio oriatur, vel ne superueniat purpura, praecipue si aestus se non remittit. Purpura haec maligna est, quae etiam quandoque sub finem morbi, nonnumquam post decimum quartum et vigesimum diem oritur, vbi tamen, si cetera paria sunt, tolerabilior esse solet, quam quae citius adparet. Si faucium inflammatio et angina accedit, morbus plerumque lethalis est. Mala sunt tormina, et cum his vehementiores et crebriores deiectiones. Bona est surditas, quae cum coctionis signis in declinatione oritur. Considerari cum his omnibus debet pulsus, qui semper melior est, si paullo fortior et aequalis. Inter pessima etiam et futurae inflammationis signa est vomitus, et si ventriculus omnium rerum impatiens est.

§. 134.

In hac febre curanda oportet naturam sequi, eamque non turbare, omniaque eo dirigere, vt materia halituosa, putrescens, noua atque contraria materia addita corrigatur subigaturque, et per loca opportuna excernatur. Quandoque tamen viribus prospiciendum et symptomatibus medendum est.

§. 135.

Quae supra de sanguinis missione (§. 66. 71.) et vomitu (§. 60. sqq.) dicta sunt, hic considerari debent. Raro his opus est ab initio febris; pernicioſissimae sunt euacuationes, si febris iam adoleuit. Materiam vero putrem optime corrigunt acida, spiritus minerales acidi, spiritus Vitrioli, Nitri, Salis communis, Clyssus Antimonii, spiritus Sulphuris, qui adiici possunt Iulapiis, ex aquis diapnoicis et syrupis vegetabilium acidorum paratis. Possunt etiam absorbentia proficere, si cum acidis dantur.

§. 136.

Minorem fere efficaciam habent diluentia cum acidis. Pauperibus proficit cerevisia secundaria iam aliquantulum acescens, vel decoctum panis domestici cum aceto; opulen-

tioribus vero decoctum hordei cum ſucco Citri, decoctum panis cum duodecima circiter parte vini Rhenani, vel decoctum Ceraſorum acidorum ſiccatorum vna cum nucleis contuſorum. Decocto hordei adiici poteſt gelatina Ribeſiorum, Syrupus acetoſitatis Citri, Rob Ceraſorum. Semper quoque paucae guttulae ſpiritus acidi his adiici debent. Videndum, ne, ſi dulcia admiſcentur, nimium increbeſcat diarrhoea. Etiam multi vſus eſt, praeſertim horis matutinis, decoctum pullorum cohortalium valde tenue, cum multa herba Acetoſae, nec non decoctum Auenae excorticatae cum Paſſulis, vel decoctum Hordei excorticati cum ſucco Citri. Ex his vltimis etiam victus parandus eſt. Nocent omnia iurulenta carnesque.

§. 137.

Vbi febris ſe paullulum remittit et corpus madeſcere incipit, ſudor quidem non vi mouendus, ſed lenioribus iuuandus. Dari poſſunt ex Ptiſana, vel etiam in infuſo Thee, pauciores guttulae Mixturae ſimplicis, vel Mixtura ex liquore anodyno, vel ſpiritus Salis dulcis cum Spiritu bezoardico. Summopere enim cauendum eſt, ne calidioribus et maiori eorum doſi noua febris incendatur.

§. 138.

Inter ſymptomata huius febris eſt praecipue diarrhoea, quae toleranda eſt. Si aluus adſtricta eſt, quae febrem longe peiorem reddit, oportet illam ſoluere clyſteribus ex decocto furfuris, vel herbarum emollientium, additis Oxymelle, Oleo recenti et Nitro. Si vero diarrhoea vrget, etiam immitti poſſunt eiusmodi lotiones ſine melle et Nitro, addito vitello oui. Diarrhoeam etiam plurimum cohibet decoctum modo laudatum pullorum cohortalium cum ſucco Citri vel herba Acetoſae. Si diarrhoea crebrior vires convellit, illam moderari oportet Diaſcordio Fracaſtorii.

§. 139.

Vires tueri poſſumus aquis fragrantibus, aqua Cinnamomi cydoniata, aqua Meliſſae &c. quae variis Mixturis adiici

adiici poſſunt. Etiam decocto panis adiicitur Vinum Rhenanum, vt ſupra retuli (§. 136.), et pani toſto pauxillum Sacchari et Cinnamomi. Ditioribus etiam dari poteſt Liquor perlarum ad drachmam vnam pro doſi.

§. 140.

Si magna anxietas praecordiorum eſt, proficiunt lubricantia, emollientia, decoctum radicis Altheae, emulſiones et alia. Si caput valde dolet, epithemata imponi poſſunt ex cruſta panis domeſtici, cum Sale et baccis Iuniperi contritis et aceto reſperſis. Euaneſcentibus petechiis reuocari debent maiori calore et datis bezoardicis ſiccis. Veſicatoria proſunt, ſi aeger non tam delirat, quam ſopore oppreſſus eſt.

§. 141.

Regimen ſedulo imperandum. Nam et minimus error nocet; veluti aëris frigidioris adflatus, ſtragulorum et linteorum mutatio, ſitus erectus, animi pathemata et alia, quae quandoque celerius mortem adferunt.

FEBRIS PETECHIALIS VERA.

§. 142.

Parum a priori differt, niſi, quod in hac petechiae ſemper erumpant, et quod in ea maior malignitas maiusque periculum ſit. Aegri ſummam ſentiunt imbecillitatem, meticuloſi ſunt, animo abiecto, et frequens illis eſt lipothymia. Petechiae quarto quintoque die conſpiciuntur, et poſt aliquot dies iterum euaneſcunt, quo tempore vrina mutatur, craſſa fit et turbatur. Morbus ſoluitur quandoque diarrhoea, crebrius ſudore multo, male olente.

§. 143.

Et haec febris plerumque epidemica eſt et contagioſa, ac non raro oritur ex impuro caſtrorum vel paludoſo aëre,

aquis minus puris et ſalubribus, malo victu, et qui noctu corpus non ſatis operiunt, ea frequentius laborant.

§. 144.

Praeter ea, quae huic febri cum aliis communia ſunt, in illa compertum eſt, eos prae aliis periclitari aegros, quibus petechiae ſine vllo febris ſenſu oriuntur, et ſi poſt eruptionem febris inſequitur. Mala ceteroquin ſigna ſunt, pulſus valde debilis et inaequalis, ſitis multa vel ferina, ſopor, et conſpicuis iam exanthematibus nouus horror, rigor et conuulſio.

§. 145.

Curatio huius febris a priori differt (§. 143.). A primis initiis ſolui debet aluus clyſteribus vel decocto Tamarindorum cum Manna. Sedulo tamen notandum, haec primo alteroue die dari poſſe, et minime, ſi iam petechiae conſpicuae ſunt. In morbi declinatione quandoque laxantia neceſſaria ſunt, vbi tamen optime proſunt pulueres ex Rhabarbaro, addito Cremore Tartari. Si magna virium debilitas eſt, dari poſſunt Iulapia, quae reliquo morbo quoque accommodanda ſunt. Aquae analepticae cum Confectione Alkermes, puluere bezoardico, et ipſo Bezoar ad gr. XV. vel ſcrupulum vnum pro doſi, proficiunt, ſi exanthemata iterum euanuerunt. Pauperibus in hoc caſu et in magna imbecillitate optimum eſt panis toſtus, cui adfunditur paullulum vini meracioris, vel ſolius, vel cum aqua, addito Saccharo et Cinnamomo. Qui, graſſante hoc morbo, ab eo tuti eſſe volunt, eos oportet vitare cubicula humida, et aërem paludoſum, corpus debent operire, crebrius lintea veſtesque mutare, et aëri exponere, maxime ſi inter aegros verſandum eſt; abſtinere a Venere, ingluuie aliisque, quibus corpus debilitatur. Inter cetera auxilia ſic dicta prophylactica optimum eſt cyathus Vini Rhenani modicus, animusque compoſitus.

PESTIS.

PESTIS.

§. 146.

Vera Peſtis ſemper ex Oriente affertur, vbi, vt videtur, ex aëre impuro, maxime poſt graues inundationes, naſcitur. Sub coelo enim feruidiori effluuia putreſcentium attenuantur et ad nocendum efficaciora ſunt. Materia morbi, cuiuscumque indolis illa ſit, inhaereſcit veſtibus laneis, pellibusque animalium, quare etiam illa concluſa ad diſſitas longinquasque regiones perfertur, et morbus aeque in his, ac in locis, vbi coepit, contagione quam celerrime propagatur. Vehementius ſaeuit tempore aeſtiuo, minuitur autem frigore, vel penitus exſtinguitur. Peſtis etiam ab initio, ſi in aliquam prouinciam illata eſt, longe periculoſior eſſe ſolet, et poſt ſub alieno coelo quaſi miteſcere videtur. Cuius tamen indolis eius materia ſit, num verminoſa, num ſubtilis, alcalina et putreſcens, nondum adeo certum videtur.

§. 147.

Medici Maſſilienſes ante aliquot annos Peſte demortuorum corpora inciſa ſcrutati ſunt. Repertum fuit cor praeter naturam tumidum, illud, atque omnia, praecipue cerebri vaſa, arteriae atque ſinus venoſi, multo et atro ſanguine plena atque turgida. Viſcera ſphacelo corrupta, hepar tumidum, maculis nigris diſtinctum, bilis copioſior, ex viridi nigricans atque acerrima, non ſolum in folliculo felleo, ſed etiam in ventriculum atque inteſtina effuſa. Huius tanta acrimonia fuit, vt morbum etiam intulerit canibus aliisque animalibus, ſi illa aqua remixta, mediante ſiphone in venam immiſſa, vel in vulnus demiſſa, vel ab animali deuorata fuit. Immo bilis canem interimit, qui per multum tempus purulentam bubonum ſaniem aliaque noxia deuoraverat. Horum etiam canum bilis aliis canibus longe magis peſtifera fuit, et hos celeriori adhuc morte exſtinxit. Peſte

demortuorum cadauera longe celerius et teterrima putredine corrumpuntur.

§. 148.

Qui peſte pereunt, vel ſubito exſtinguuntur, ſine omni fere morbi ſenſu, vel moriuntur ex gangraena partium internarum, aliquando etiam externarum. Qui ad ſanitatem perueniunt, vix vmquam criſi, per ſudorem, diarrhoeam, vrinam, haemorrhagiam, leuantur, ſed per exanthemata et tumores criticos, anthraces et bubones. Omnis vero peſtilentia ſymptomatibus variare videtur.

§. 149.

Ex ſymptomatibus peſſima ſunt, ſubita imbecillitas, quae veluti malignum ſidus aegrum ferit et afficit, vagus horror, pulſus velox, paruus, mollis, inaequalis, ſenſuum torpor, oculorum ſqualor et toruitas, facies cadaueroſa, plumbea, vox tremula, lingua tenacioribus ſordibus obducta, ſcabra, nigra, fiſſa, ſanguinolenta, anima male et cadauer olens, animus abiectus, crebrior vomendi conatus; tales omnes breui obeunt. Sunt alii, qui de extremorum refrigerio, interno aeſtu, ſiti intenſa, cephalalgia conqueruntur, qui etiam certo, ſed non tam celeriter obeunt.

§. 150.

Vnica ſalus ſperanda a virtute ipſius naturae. Si absque vehementioribus ſymptomatibus, vel iis miteſcentibus, exſurgunt bubones, et ſi illi pus alunt, ſpes eſt, ſeruatum iri hominem. Ex bubonibus meliores ſunt, qui in inguine, quam qui ſub alis aut in parotitide oriuntur. De his et carbonibus dictum fuit in Chirurgia. Sunt carbunculi peiores bubonibus, his vero periculoſiores petechiae. Omnia haec ſi, poſtquam adparuerunt, iterum euaneſcunt, vel liuidum colorem nanciſcuntur, mortem inſtare ſignificant. Haemorrhagia, vel ſudor, ſi tempore eruditatis eueniunt, mortem praeſagiunt. Sudor tamen cum coctionis ſignis quandoque bonus eſſe ſolet.

§. 151.

§. 151.

Parum differt curatio ab illa, quam febris petechialis requirit (§. 145.). Nocentiſſima ſunt euacuantia, vel emetica, quae etiam ab initiis primis non ſine periculo dantur. Omne praeſidium petendum eſt ab acidis. Pauperibus dandum eſt acetum vini, aqua diluendum, vel acetum cum Ruta, Scordio, Abſynthio coctum vel deſtillatum. In officinis proſtat aqua prophylactica Syluii et acetum bezoardicum, cuius tertia quaque hora vncia dimidia ad vnam cum aqua vel ſimpliciori, vel deſtillata exhiberi poteſt. Commode etiam datur Oxymel cum aqua diapnoica. Proficiunt ſupra laudati Syrupi (§. 145.) cum ſpiritibus mineralibus acidis. Viribus opitulatur vinum generoſum, praecipue Rhenanum, cum decuplo aquae remixtum, victus etiam ad haec omnia componendus eſt.

§. 152.

Nulla prophylactica cura melior eſt, quam fuga contagii, et, ſi omnia, quibus illud inhaerere poteſt, animalia quoque domeſtica per aliorum aedes vagantia, ſtudioſius amouentur. Meticuloſi in rure viuant. Quibus inter aegros verſandum eſt, illi crebrius os aceto bezoardico eluant, lintea veſtimentaque frequentius mutent, aërique exponant. Nocet imprimis Sapo ex obſeruatione DIEMERBROECKII, quare eo lintea non facile imbuenda ſunt. De vino generoſo acidiuſculo alibi dixi (§. 145.). Nocentiſſima vero eſt ebrietas. Suut, qui plurimum tribuunt fonticulis. Animus erectus plus confert, quam omnia remedia prophylactica; ſalutaris tamen eſſe poteſt firma de iis et eorum efficacia perſuaſio.

* *

PVRPVRA SEV FEBRIS MILIARIS.

§. 153.

Est febris exanthematica, hic Lipsiae praeterito Seculo primum obseruata. Pustulae numerosissimae totum corpus occupant, excepta facie, quae figura et liquore, quem continent, ab aliis exanthematibus, colore vero, et, quae comitantur, symptomatibus, plurimum inter se differunt. Febris aliquantum accedere videtur ad naturam catarrhalis malignae, nam semper horis vespertinis esse solet quaedam exacerbatio, matutinis aliqualis remissio. Haec mutatio etiam frequentius alternis diebus incidere solet. Diuiditur in rubram et albam. Rubra raro maligna, frequentius sine febre est. Chronica, quae scorbutica dicitur, corpora tenet, quae lauto victu aluntur, raro, vel nunquam exercentur, praecipue si in visceribus abdominis infarctus est. Aestiuo tempore per plures menses, nonnunquam per totam vitam durat. Alba semper maligna est, melior tamen illa, vbi pustulae maiores oram quasi rubellam habent et ex rubellis albicantes fiunt. Pessima est, vbi pustulae minimae, copiosiores, prorsus pellucidae, cuti inhaerent. Vtrumque genus purpurae, vel idiopathicum est, vel symptomaticum. Saepe enim aliis morbis, etiam exanthematicis, purpura superuenire solet.

§. 154.

Si idiopathica est febris, aeger sentit vagos horrores, vnde nomen traxisse videtur, qui etiam horrores, praesente aestu, ex leui commotione et mutatione aegrotantis reuertuntur. Illae horripilationes vagae, et nullo certo tempore incursantes, hunc morbum praesentem et futuram purpurae excretionem significant. Accedit insolitus languor, dolor capitis grauatiuus, anxietas praecordiorum, horumque quasi strictura, pulsus celer, breuis, modo durus, mo-

do

do debilis, et ſumma inquietudo. Quarto circiter die puſtulae, plerumque primum in pectore, poſt in toto corpore, excepta, vt dixi, facie, proueniunt. Facta hac excretione, ſi res bene cedit, illa ſymptomata ſe paullulum remittunt, pulſus melior ſit, multum minuitur anxietas et inquietudo. Vrina, quae primis diebus tenuis erat, nunc in melius mutatur, et magis ſaturata eſt. Sequitur mador, et ſe remittente multum febre, ſudor, qui ſingularem foetorem habet. Nonnunquam vero purpura non ſimul erumpit, ſed per plures dies ſemper noua prodit, imo quandoque, ſiccata iam priori, iterum noua reuertitur, ad quam rem tamen plurimum conferre poteſt, medendi, victus et regiminis ratio. Squamulae in modum decidunt puſtulae. Rarum eſt, purpuram, ſi totam cutim occupat, et confluens eſt, per ptyaliſmum criticum ſolui. Nam et in hac febre, quo copioſiora ſunt exanthemata, eo maius imminet periculum.

§. 155.

In hoc morbo, humores lymphaticos corruptos eſſe, ſine dubio eſt; cuiusnam vero naturae hoc vitium ſit, non adeo compertum habemus. Id certum eſt, morbum eſſe frequentiorem in aëre impuro, paludoſo, et iis, qui aquas impuras bibunt, qui, otio et gulae dediti, ſe variis, maxime glutinoſis, implent, qui alui ſegnitie, et haemorrhoidum obſtructione, foeminis vero, quae catameniorum vitiis, et fluore albo laborant. Ad minimum is in ſimilibus corporibus ortus videtur. Aliquando morbus epidemicus eſt. Nec rarum eſt, febrem catarrhalem, quae ab initio, ſi non benigna, certe non adeo maligna, videtur, purpurae excretione finiri. Hunc morbum ab animi vehementi commotione ortum aliquoties vidi.

§. 156.

Puerperis eſt frequentior purpura, quae ex ea etiam plurimum periclitantur. In grauidis enim humorum circuitum multum turbari, et magnam vim humidorum, in dila-

tatis

tatis vteri vasis coaceruatam, tardius moueri, certum est, quare etiam hi humores, vix non prorsus quiescentes, facile vitium contrahunt. Plurimum confert vitae genus, otium et ingluuies, praecipue si his foeminis grauidis sanguis non mittitur, et aluus congruis ducitur. Huic morbo etiam magis obnoxiae solent esse foeminae, quibus lac reprimitur, maxime si illae, post editum partum, alui segnitie et obstructione laborant, et si illa non congruis medicamentis ducitur. Frequentissima causa est obstructio lochiorum, maxime si haec orta fuit a laesione et inflammatione vteri, vel si medicamenta calida et pellentia data fuerunt. Plurimum confert, si foeminis, quae ipsae foetum non lactant, iuscula gelatinosa propinantur, et illae in aëre calidiori, inter multum turbam strepitumque, continentur, vel stragulis ponderosioribus opperiuntur, nec non si in conclaui, in quo decumbunt, aëri effecto haud noua impertitur elasticitas.

§. 157.

Purpura malignitate multum differt pro febre, quae eam comitatur, pro corporis habitu, et si epidemica est, pro aëris natura et mutatione. Periculosissima est puerperis, quibus lochia non fluunt, maxime si vna cum lochiis etiam lacteus humor in mammis cohibetur, et si oritur ex inflammatione vteri. Haec tamen quandoque in bono corporis habitu, et si non valde profunda est, soluitur suppuratione. Haec si incidit, remittente se febre multa foetida ex genitalibus feruntur.

§. 158.

Pessima sunt signa, si aegri, praecipue puerperae, de refrigerii sensu in abdomine conqueruntur; si sudore copiosiore, mox ab initio, et magna cum imbecillitate, sine leuamine, diffluunt; si aluus crebrius funditur, cum cruditatis signis; si post eruptionem purpurae, pulsus et respiratio anhelosa non in melius mutantur, sed si tunc anxietas illa se non remittit; si vrina pallida est, et aegro crebrior mingendi necessitas; si cum purpura petechiae erumpunt,

vel

vel ſi purpura aliis morbis, defecta iam omni vitali virtute, accedit. Melior vero ſpes eſt, ſi vrina cum coctionis ſignis, ſudor foetidus, lochiorum fluxus naturalis non cohibitus, lac in mammis eſt, et ſi per aluum flatus et feces duriores, retentae, excernuntur.

§. 159.

In hac febre vel minimus error funeſtus eſſe poteſt. Regimen ſedulo obſeruandum. Aequalis ſit et lectuli et aëris calor, minimus nocet perflatus, nec concedenda eſt induſiorum vel ſtragulorum mutatio. Nocet potus frigidus, nec tamen proficit nimis calidus. De ſanguinis miſſione ſaepe magna lis eſt. Raro illa ſalubris deprehenditur, niſi in valde plethoricis, in quibus tamen haud admitti poteſt, niſi a primis initiis. Nocet etiam, ſi vires ex haemorrhagia in partu, vel aliis cauſis defectae ſunt. Nam purpura laborant etiam foeminae, quae magnam ſanguinis profuſionem paſſae ſunt, atque ſi propter defectum ſanguinis excretio lochiorum turbatur, hic morbus etiam naſci poteſt. Si lochia deficiunt in puerperis a primis initiis, illa revocantur temperantibus, non vero calidis medicamentis. Si corpus tale eſt, quale vulgo vocant phlegmaticum, praecipue ſi, cum lochiorum defectu, aluus adſtricta eſt, id tolerare poteſt pilulas Beccheri, additis aliquot granis Nitri depurati. His interdum reuocantur lochia. Aluus ſemper conſiderari debet, nocet enim et fuſa et adſtricta. Illa non aliis ſolui poteſt, quam lotionibus emollientibus, ſine ſtimulo immiſſis, nec tamen ſemper tutum eſt, eo ipſo tempore, quo purpura erumpit, illam his quoque ſollicitare. Etiam omnis cereuiſia euitanda eſt, et dari debent decocta ex Hordeo, Scorzonera, Cichoreo, Saſſaparilla, cum pauxillo ſeminis foeniculi, quarum radicum vncia vna coqui poteſt ex duabus vel tribus menſuris aquae. Nec hic morbus acida fert, nec etiam Nitrum, niſi in exigua valde quantitate. Dari debent medicamenta, quibus lenis diaphoreſis excitatur. Etiam opportunae ſunt emulſiones ex ſemine Cardui Mariae,

ex

ex Amygdalis excorticatis, ſi agrypnia eſt, ſemine Papau. additis matr. Perlar. mandibulis Luc. piſcis, C. C. ſine igne, paucioribus etiam granis Nitri, et ipſis etiam margaritis. Vbi aeſtus ſe remittere et corpus inſudare incipit, Emulſionibus admiſceri poteſt Antimon. diaphoret. recens paratum, et ſupra dictis pulueribus ſeu potionibus, puluis bezoardicus. Si purpura euaneſcit, danda ſunt in maiori copia diaphoretica, pulueres bezoardici, et opulentioribus lapis bezoar. Admoueri poſſunt artubus veſicatoria, quae praeſertim in eo caſu vtilia ſunt, vbi ager ſopore oppreſſus eſt. Commode parantur e fermento panis, cuius vncia vna malaxari poteſt cum drachma vna Cantharid. vel etiam ex emplaſtro de Meliloto, cuius vnciae j. adiicitur Cantharidum drachma j. cum dimidia.

§. 160.

Sales omnes et valentiora acida, etiam aliis morbis malignis opportuna, hic aliena eſſe vſu compertum eſt. Nitrum, ſi aeſtus vrget, paucum admodum, ad grana circiter II, III, IV, pro doſi, locum habet. Si in confluente Purpura ptyaliſmus criticus oritur, ille nullo modo cohibendus, ſed data Cinnabari ad ſcrupulum dimidium vel gr. XV. iuuandus eſt. Gargariſmi parari debent ex emollientibus, rad. Altheae, flor. Sambuci, Verbaſci et ſimilibus. Interdum vna vel altera guttula Eſſ. Pimpin. alb. fruſtulo Sacchari excipi, et in ore liquari poteſt. Pernicioſa ſunt omnia adſtringentia. Superato tandem morbo, et quam primum illud vires permittunt, aluus ducenda eſt Rheo, et leuiſſimis medicamentis, et ſi omnis febris deferbuit, dari per aliquod tempus debent alexipharmaca.

§. 161.

Purpura ſcorbutica ſine febre eſt, quae oriri videtur, ſi lymphae ſerum ſalſum atque corruptum admixtum eſt Illa frequentius laborant corpora rara, ſucco plena, quae victu ſalſo, multisque aromatibus condito, aluntur, praecipue, ſi cereuiſia bibitur valentior, vel nimis tenuis ac fermen-

fermenteſcens. Multum confert abuſus potus Coffée, et fumus Tabaci, cum his etiam nimius calor et quies. Non raro purpurae pertinacioris cauſa eſt infarctus in viſceribus abdominis. Saepe cum catameniorum et haemorrhoidum obſtructione eſſe ſolet. His cauſis accommodanda eſt curatio. Valentiora auacuantia, purgantia et ſanguinis miſſio, quandoque periculum adferre poſſunt, citamque mortem. Aluus tamen lenioribus ducenda eſt, pilulis Beecheri vel aliis. Saepe plurimum confert, ſi, pro potu ordinario, vel aqua pura fontana, vel decoctum hordei, C. C. Scorzonerae, Saſſaparillae, cum pauco Foeniculo datur. Nonnunquam praeſidium petendum eſt ab aquis mineralibus, quae vero potari debent tempore verno, et vbi purpura nondum inualuit. Aquae vero minerales ſeligendae ſunt aegro conuenientiores. Foeminis corporibusque imbecillis plurimum proficiunt Selteranae, cum lacte, praemiſſis tamen aliis valentioribus. Sub finem huius curationis vſum habent Balnea, ex aqua dulci, fluuiatili, cui etiam, ſi ita videtur, lac vel decoctum Furfurum admiſceri poteſt. Calidioribus medicamentis, ſanguinem purgantibus, ſi aduerſus hoc purpurae genus dantur, accendi poteſt febricula mali moris.

§. 162.

Purpura puerperarum, tanto magis ſucco plenarum et plethoricarum, ex quibus alio tempore multum eſt Catameniorum profluuium, auerti poteſt, ſi ſanguis, et medio geſtationis tempore, et iterum proxime ante partum mittitur. Priori tempore detrahitur ex brachio, ſub finem geſtationis ex talo. Nunquam in grauida tolerari debet aluus obſtructa, quae, vel lotionibus, vel Manna, vel pulu. ex Rhabarbaro, Nitro, et terreis ſolui debet; foemina corpus moderate exerceat, et euitet refrigeria, potiſſimum pedum et genitalium. Victus etiam ex fructibus horaeis, ex glutinoſis, et arte piſtoria paratis, nimius potus Coffée, vini, cereuiſiaeque valentioris, nec non potus iuſto parcior,

plurimum conferre poſſunt. Poſt partum euitanda ſunt in victu et medicamentis omnia calida, aëris nimius calor, äer effoetus, et frequentia hominum omni elatere priuatus, nec non ſtragulorum pondus, quae omnia plurimum ad purpuram euocandam et febrem accendendam faciunt. Nocent etiam, niſi foemina magnam haemorrhagiam paſſa fuerit, iuſcula valentiora. Amouendus eſt, ſi fieri poteſt, omnis ſtrepitus, et foeminarum potiſſimum turba. Aluo poſt partum proſpiciendum eſt, et maxime, ſi foemina ipſa foetum lactare nolit, aluus ducatur, tertio circiter die, apozemate antiphlogiſtico. Foeminis, quae pacatiores ſunt, et quae haemorrhoidibus non vexantur, dari etiam poſſunt pilulae Beccheri. Ad purpuram auertendam plurimum facit, ſi cruor poſt partum in vtero collectus, vel manu obſtetricia, vel etiam per dolores atque ſpaſmos expellitur. Ad id proficere poteſt decoctum auenae excorticatae, cum oleo Amygdalar. dulc. vel infuſum rad. Altheae, flor. Chamomillae, Sambuci. Apud nos in vſu eſt decoct. flor. Chamomillae cum cereuiſia. Plurimum et ad hoc confert, ſi, iuſto tempore et congruis medicamentis, praecipue laudato apozemate, aluus ducitur. Nihil pernicioſius eſt, quam, ſi contra illos ſpaſmos atque dolores poſt partum dantur ſopientia.

VARIOLAE.

§. 163.

Nomen traxerunt a Varis, faciei tuberculis, quorum mentionem facit CELSVS. Num Variolae Veteribus cognitae fuerint, diſputatur. Qui recte illas deſcripſerunt, fuerunt Arabes. Nec diſputandum eſt de cauſa proxima, et materia, quae talis eſt, vt vix non omnes homines ſemel per totam vitam et raro ſaepius hoc morbo aegrotent.

tent. Sunt frequentius epidemicae, raro ſporadicae, et vix non ſemper contagioſae. Epidemicae plerumque tempore verno incipiunt, et per aeſtatem atque autumnum graſſantur, quae tamen vtplurimum benigniores ſunt illis, quae hyeme media incipiunt. Sunt plures differentiae: Benignae, quae etiam praeter regimen et abſtinentiam nullam curationem poſtulant. Malignae, quarum pro diuerſa epidemica conſtitutione magna varietas eſt, et praeterea diſcretae, contiguae, confluentes, paruae, magnae, molliores, duriores, verae et nothae, in quibus etiam differentia eſt, et germ. appellantur *Wind- Waſſer- und Spitz-Pocken.* Eſt genus valde malignarum, quod deſcripſit etiam SYDENHAM, in quo epidermis in maiores bullas attollitur, ſub qua vera gangraena eſt.

§. 164.

In Variolis omnibus conſideranda ſunt quatuor tempora. Primum tempus, quod contagii dicitur, et quod a primo ad tertium quartumque diem durat, conuenit cum omnibus aliis morbis exanthematicis. Variolas vero imminere intelligitur ex epidemica conſtitutione, et ſi aeger nondum variolis laborauit. Is conqueritur de horrore, vel rigore, nauſea, vomitu, tuſſicula, praecordiorum lumborumque dolore, vomitu, quo ſaepe bilis reiicitur. Febris cum omnibus ſymptomatibus perſiſtit, increſcit, aegris ſingularis ſplendor oculis obuerſatur. In multis hoc ipſo tempore ſequitur neruorum diſtentio, quae, quam primum exanthematum etiam pauciora proueniunt, cum vomitu conquieſcit. Altera periodus eſt tempus inflammationis, a quarto ad octauum circiter diem. Proueniunt ab initio maculae rubicundae, depreſſiores, quae pedetentim attolluntur, et cum omnibus inflammationis ſignis in veras puſtulas, humore turgidas, mutantur. Tertium tempus eſt tempus ſuppurationis, qua in cute inſenſibilis exſpiratio multum cohibetur. Intumeſcit cutis, maxime etiam in palpebris, quae frequentius inter ſe conglutinantur. In Variolis confluen-

tibus hoc ipſo tempore, tum propter cohibitam exſpirationem, tum propterea, quod pus reſorbetur, et humoribus admiſcetur, noua incenditur febris ſumme pernicioſa. Finitur haec periodus decimo tertio vel decimo-quarto die. Quarta periodus declinationem febris continet, puſtulae ſiccantur, et ſquamarum in modum defluunt. Hoc tempore, ſi variolae malignae fuerunt, vel haud recta methodo curatae, ex reſorpto pure abſceſſus variis in ſedibus, vitiato etiam quandoque Perioſtio, naſcuntur, ex quibus interdum nouum periculum oritur. Abſceſſus ſunt ſaepe ſine magna, aliquando ſine vlla inflammatione, vt cutis ſine hac attollatur, et vt digito ſentiamus intus fluctuans pus.

§. 165.

Omnis quidem aetatis et ſexus homines Variolis laborant, praecipue infantes. Si aegris primis diebus ſanguis mittitur, in eo nihil alieni eſt, poſt vero, ſi febris vehementior eſt, in eo reperiri ſolet illa diatheſis inflammatoria. Durante ſuppuratione magnus pruritus eſt, qui etiam eſſe ſolet in declinatione, quando puſtulae ſiccantur. Sectio cadauerum docuit interdum, non vero ſemper, viſceribus etiam, praecipue pulmonibus, inhaereſcere Variolas. Saepe etiam tempore declinationis variolarum ſiccatarum ſquamulae per aluum deſcendunt. Variolae pauciores et benignae quandoque ſine omni febre ſunt, et videtur quandoque eadem febris eſſe ſine Variolis erumpentibus.

§. 166.

Euentum ſcire poſſumus ex communibus, ex aegri habitu et natura morbi epidemici. Quo pauciores ſunt puſtulae, eo ſunt meliores. Confluentes futuras eſſe, ſignificat inprimis magnus praecordiorum lumborumque dolor, atque aeſtus, faciei tumor, variolae multae et depreſſae, coloris obſcuri. Bonae ſunt, quae lento quaſi motu incurſant, tardius quartoque die erumpunt, citius vero pus alunt, et ſiccantur. Nam niſi in regimine et in medendi ratione pec-

catum

catum fuerit, plures moriuntur ex nimis celeri, quam ex tarda eruptione. Meliores etiam ſunt diſtinctae, ab initio rubrae, poſt quaſi cryſtallinae et pellucidae, ſub finem flauescentes, et quae dum albidae fiunt, rubicundo quaſi circulo circumſcriptae videntur. Conſiderari etiam debet cutis inter puſtulas media, quae turgidula eſſe debet et rubella, non vero depreſſa flaccida, vel ex obſcuro rubicunda, qualis conſpicitur, ſi magna et in Gangraenam tendente inflammatione humorum circuitus in ea cohibitus eſt. Peſſimae variolae ſunt depreſſae, et quibus mediis quaſi fouea impreſſa eſt, ex atro rubentes, nigricantes, et ſi vel nulla, vel nimia inflammatio accedit. De gangraenoſis ſupra dixi. Malum etiam ſignum eſt, ſi variolae valde copioſae in pectore et capite ſunt, nullae vero in reliquis partibus. Ex iis periclitantur ſenes et grauidae, nec non foeminae ſuperuenientibus Catameniis, omnes etiam, quibus, ſi variolis decumbunt, accedunt petechiae, purpura, aliaque exanthemata. Corporibus adſtrictis ſemper maius periculum imminet, quam raris.

§. 167.

Neruorum diſtentio atque delirium ante eruptionem non adeo timeri debent, praecipue in infantibus. Poſt eruptionem conuulſio plerumque lethalis, et delirium non ſine periculo eſt. Sub eruptione, et praecipue poſt delirium, narium haemorrhagia multa et critica leuamen adfert. Hanc imminere, ſignificat aeger, qui de maculis rubicundis vel de ſplendoribus, qui oculis obuerſantur, conqueritur. Vomitus primis diebus non ita malus eſt; poſt eruptionem valde ſuſpectus. Diarrhoea ab initio morbi, et ſub eruptione mala, ad minimum ſemper peior, quum alui ſegnities. In confluentibus vero et poſt abſolutam ſuppurationem bona atque non raro critica. Peſſima ſigna ſunt deiectio cruenta, mictus cruentus, haemoptoë, vel haemorrhagia narium pauca. Ptyaliſmus in confluentibus criticus et bonus eſt. Vox facilis et reſpiratio bona inter bona ſigna ſunt.

Angina cum delirio peſſima, quae vero oritur ſe remittente delirio, bona eſt. Poſt variolas, imprimis malignas, relinquuntur non ſolum ſupra dicti (§. 164.) abſceſſus, ſed ſaepe etiam oculorum vitia, lippitudo chronica, exulceratio glandularum Meibomii, vel ipſius tunicae corneae, nonnunquam ſurditas. Hoc etiam accidere ſolet, ſi corpus mali habitus eſt, et ſi Nitro, aliisque temperantibus, neglectis neceſſariis euacuantibus, abuſus eſt Medicus. Oculorum vitia plerumque debentur ſiniſtrae curationi.

§. 168.

Curatio morbi genuini vix non omnis a ſola natura proficiſcitur, et praeter regimen vix quidquam deſiderat. Nondum vſu probata eſt methodus, quam BOERHAAVIVS propoſuit, qua, veluti aliae febres inflammatoriae, etiam Variolae auerti poſſe dicuntur, ſanguinis nimirum miſſione, alui ductione, vel etiam datis Specificis, quae vltima nondum cognita ſunt.

§. 169.

Nulla generalis methodus eſt, ſed in omnibus diligentior obſeruatio requiritur. Omne tamen momentum in febris moderamine poſitum videtur. Si febris mox primo alteroue die vehementior eſt, et corporis habitus ſanguine turgidus, ſanguis mitti poteſt, id quod tamen praeter neceſſitatem fieri haud debet. Non negligi debent clyſteres mollientes. Dari poſſunt eiusmodi potiones ex aquis, addito pauco nitro et antimon. diaphoretico. Etiam acidulata, Oxymel, Serum lactis, Rob ceraſorum, ribeſiorum, ſuccus Citri, aliaque, moderata tamen doſi, dari poſſunt, praecipue cum ptiſana. Haec ptiſana parari poteſt ex decocto hordei, Scorzonerae, Cichorei, vel ex decocto panis, nec alienum eſt, ſi his poma dulcia et matura, veluti Borsdorfiana, adiiciuntur. Semper vero curandum, ne his fructibus, vel etiam aliis, aluus moueatur. In victu carnes, oua, omniaque iurulenta aliena ſunt. Dari debent pulticulae ex auena et hordeo excorticatis, ex frumento

Sa-

Saracenico, quae ex tenui admodum et pullorum iuſculo coquuntur, addito aceto vel ſucco Citri. Nec aliena ſunt ceraſa acida, pruna pomaque ſole ſiccata, et alia ex vegetabilibus.

§. 170.

Si vero febris deficere videtur, dari poſſunt mitiora alexipharmaca, quae vero pauca admodum doſi offerri debent. Si Variolae iterum euaneſcunt, Eſſentiae alexipharmacae adiici poteſt Eſſentia myrrhae et croci. Ditioribus dari poteſt lapis bezoar ad ſcrupulum dimidium pro doſi.

§. 171.

Vbi metus eſt, ne Variolarum nimia vis in caput convertatur, id quod oculi illacrymantes, faciei tumor, delirium, ſignificant, fomenta calida ex emollientibus, cum aqua vel lacte decoctis, admoueri poſſunt poplitibus et plantis pedum; videndum vero, ne haec ſuper corpore refrigeſcant. Non pauci concidere ſolent cutim in plantis pedum, ſurisque, quo mala materia in inferiores artus conuertatur; ſed hoc auxilium apud nos parentes vix admittunt.

§. 172.

Vbi pus alere incipiunt Variolae et febris imminuitur, omittenda ſunt acida ipſumque nitrum, et dari debent pro potu ordinario decoctum Saſſaparillae, Scorzonerae, Cichorei, cum ſemine Foeniculi. Si adhuc aeſtus vrget et ἀγρυπνία, dari poſſunt emulſiones ex ſeminibus frigidis, vel ex amygdalis, ſemine Cardui Mariae, ſem. Papaueris. Adiici poteſt nitrum, ſi aeſtus illud requirit. Vbi vires deficiunt, admiſceri poteſt analeptica aqua, velut aqua de Cinnamomo, flor. Naphae &c. Vbi omnia tolerabilia ſunt, mox danda ſunt infuſa aquoſa, calida, ex iisdem radicibus, et herba Betonicae, Saluiae, Chaerephylli, Capillorum Veneris, Scordii, Cardui benedicti, Aniſo ſtellato; nec cum his aliena eſt, maxime adultis, Eſſentia alexipharmaca. Haec continuantur eo tempore, quo Variolae ſiccantur et ſquamae decidunt.

§. 173.

Vbi vero Variolae, quae pus alere incipiunt, copiosiores et malignae nouam febrem excitant, id quod fit nono, vndecimo, quandoque etiam duodecimo die, magnum periculum eſt. Haec febris oritur 1) tum a cohibita exſpiratione inſenſibili per Variolas confluentes, 2) tum a pure a venis reſorpto et ſanguini remixto. Experientia docuit, febrem hanc, quae tardius aegrum corripit, et quae a pure reſorpto oriri videtur, periculoſiorem eſſe ea, quae protinus poſt eruptionem et tempore inflammationis oritur. In hoc caſu protinus confugiendum eſt ad epiſpaſtica, quae pedibus, ſuris et poplitibus applicari poſſunt, veluti Sinapi, Allium, fermentum panis. Sectione in longum ducta plantae pedum concidi poſſunt hoc etiam tempore, vt magis concitata ſuppuratione exitus detur malae materiae. Cantharides, quas plures laudant, cum virus habeant et ſanguini impertiantur, hic alienas eſſe puto. Ex medicamentis SYDENHAM extollit potiſſimum Spiritum Vitrioli, qui vel ptiſanae, vel maiori copia aquae admiſceri et dari debet ad guttas circiter XV-XX. Vel loco huius dari poſſunt illa Iulapia, ex ſuccis, ſyrupis et ſpiritibus acidis parata.

Saepe natura in Variolis confluentibus excretionem ſeri, pure etiam infecti, molitur per alias vias, et quidem frequentius in infantibus per aluum, in adultis autem per excitatum ptyaliſmum. Tunc ergo Medicum naturam ſequi debere exiſtimo, et ſi iam ſaliuales glandulae intumuerunt, et homo ſputat, regimen atque medendi methodum, data etiam Cinnabari, huic excretioni accommodandam eſſe. In infantibus vero, qui ſaliuam non exſpuunt, ſed deglutiunt, mouenda eſt aluus leniori cathartico, Manna potiſſimum eaque recenti, Rhabarbaro et ſimilibus. Laudatur ab aliis Mercurius dulcis, quem infantum corporibus, per morbum debilitatis, non adeo aptum eſſe reor, cum tutiora proſtent. In aluum etiam immitti debent crebrius lotiones, ex decocto auenae excorticatae, vitello oui, terebinthina, cum vitello oui ſubacta, oleo leniente quouis, non tamen

rancido

rancido. Vid. de his FREINDII *Comment. in Hippocr. Epid. Lib. I. et II. Comment. VII.* *Laur.* HEISTERI Diſſert. *de Manna, et ſpeciatim eius vſu in Variolis confluentibus.*

§. 174.

Si hoc ſuppurationis tempore, vel ex puſtulis nigricantibus, vel ex ore et pulmonibus, vel ex naribus, renibus atque aluo, paucus ſanguis effluit, ſummum imminet periculum. Conueniunt acida, et cum his decoctum auenae excorticatae. In his enim propter acrimoniam alcaleſcentem tenuitatemque ſanguinis, non bona ſperanda eſt ſuppuratio, ſed gangraena. In hoc caſu nonnulli etiam extollunt decoctum corticis Peruuiani, quod in aluum immittunt. Vid. *Tentam. Med. Edimburg. Vol. I. Obſer. X.* Nec minus periculum eſt, ſi, variolis erumpentibus, foeminis catamenia fluunt. Omne tunc praeſidium petendum eſt a moderato regimine, et datis lenioribus temperantibus, cum diaphoreticis fixis, puluere bezoardico Sennerti, Antimonio diaphor. Grauidis ſaepe haemorrhagia fit eruptionis tempore, quo vehementioribus ſpaſmis auellitur placenta, et ſequitur abortus. Res hic plerumque deſperata eſt, nec alia methodus, quam, qualem mox propoſui. Si mulier partui proxima eſt, et haemorrhagia vrget, foetus, quam primum fieri poteſt, dilatato etiam orificio interno vteri, manu obſtetricia eximendus eſt. Si vero metus eſt, ne eo tempore, quo Variolae epidemicae ſunt, praegnans iis corripiatur, dari debent illa, ſupra occaſione purpurae laudata cathartica (§. 162.), et non negligenda eſt, ſi corporis habitus eam poſtulat, ſanguinis miſſio. Omnia vero haec auxilia opportuna ſunt, quando recte adhuc valet grauida; aliena, vbi iam aliquam febriculam, aliaque imminentis morbi indicia ſentit; cautus ergo ſit Medicus, ne aliquid tunc moliatur. Protinus etiam et quamprimum foemina de languore vel febre conqueritur, in aluum immitti debent clyſteres emollientes, (§. 167.). Si

diarrhoea erumpentibus Variolis periculum adfert, dari debet Diaſcordium, vel Theriaca Andromachi ad ſcrup. j. circiter pro doſi. In angina conducunt elaeoſachara, et in adultis gargariſmi ex emollientibus, nec non ex decocto raparum cum ſero lactis.

§. 175.

Saepe ex Variolis oculorum vitia relinquuntur. Oculi ſi Variolis infeſtantur, lucis impatientiſſimi ſunt, plurimum illacrymantur, palpebrae intumeſcunt, et tandem medio pure inter ſe cohaereſcunt et oritur ancyloblepharum. Palpebrae ſi oculos contra aëra tuentur, tunc omnia, quae imponuntur, fere aliena ſunt. Nocentiſſimum vero eſt, ſi palpebrae, aqua vel lacte emollitae, inter ſe diducuntur. Igitur praeſtat omnem amouere lucem, palpebrarum vero cohaeſionem non impedire, easque minime diducere, vtpote quae poſtea, ſiccata pituita, ſponte aperiuntur. Si vero vrget dolor in oculo, nocentiſſima eſt frictio. Extrinſecus imponi poteſt pomum coctum, eiusque medulla, cui granum circiter Camphorae, cum Saccharo tritae, vel, id quod fere melius eſt, grana aliquot Croci orientalis admiſceri poſſunt. Tumores pure pleni oriuntur a pure reſorpto, quod natura expellit. Celerius aperiendi ſunt tumores, et, cum plerumque nulla, vel non magna accedat inflammatio, haud exſpectanda eſt maturitas. Metus enim eſt, ne ex his iterum pus reſorbeatur, et, humoribus admixtum, in viſcera conuertatur.

§. 176.

Foueae et cicatrices relinquuntur a vehementi inflammatione et ſuppuratione, nec non a Variolis malignis, et iis, quarum humor rodens eſt, vt et ab aliis, in quibus ſuppuratio tardior eſt, et quae depreſſiores fuerunt. Igitur ſi febris et inflammationis ratio habetur, non raro a medente haec deformitas auerti poteſt. Qui tempore ſuppurationis varia his puſtulis illinunt, rem peiorem reddunt. Vbi eſchara

eſchara eſt valde dura, conducit oleum quoduis emolliens, praecipue oleum Lini.

§. 177.

Qui euitare volunt Variolas, debent vitare contagium. Eo tempore, quo illae epidemicae ſunt, male faciunt, qui infantum corpora, propter prophylaxin, vehementioribus purgantibus ſollicitant. Lenioribus tamen aluus recte valentium, et nulla adhuc febricula commotorum, ducenda eſt, et victus ſollicite ordinandus, ne primarum viarum cruditates morbum aſperiorem reddant. De Variolarum inſitione, ſeu inoculatione illarum, legendi ſunt Britannici Auctores.

§. 178.

Sunt quaedam genera Variolarum ſpuriarum, ſeu notharum, quarum nonnullae anguſtae et acuminatae ſunt, et dicuntur noſtratibus *Spitzpocken*, quae vero ſero albicante, non autem pure tament, dicuntur *Waſſer- und Windpocken*. His generibus Variolarum etiam ii corripiuntur, quibus genuinae iam contigerunt. Etiam febris accedit, quae vero, niſi error committatur, longe mitior eſt, et omnia celerius, ac ſine magno periculo, finiuntur. Ceteroquin poſt ſuperatum omnium Variolarum morbum, et quidem quando ſquamae iam deciderunt, aluus ducenda eſt, id quod fieri debet in adultioribus apozemate ex Rheo, foliis Sennae, Cremore Tartari, Manna, in iunioribus et infantibus Rhabarbaro, cui vnum alterumque granum Mercurii dulcis vel diagrydii admiſceri poteſt. Elapſis aliquot, ſex circiter, diebus, iterum aluus ducenda eſt, id quod tanto magis neceſſarium eſt, vbi Variolae malignae fuerunt.

* *

MORBILLI.

§. 179.

Maculae ſunt rubicundae, elatiores petechiis, et quaſi lenticulis ſimiles, quae vero non vt Variolae attollantur, nec pus alunt, nec cicatrices relinquunt. Morbilli etiam depreſſiores, aſt ampliores ſunt, purpura rubra. Eſſe ſolent cum febre, illi ſimili, quae Variolis accedit, plerumque tamen Morbilli mitiora ſymptomata et minus periculum habent. Nonnunquam tamen, praecipue, ſi conſtitutio epidemica eſt, accedit contagium et peculiaris malignitas. Tertio vel quarto die maculae conſpiciuntur, quae ſexto vel ſeptimo aridae factae decidunt. Inter ſymptomata frequentius accedunt tuſſis, catarrhus.

§. 180.

Peſſimum ſymptoma in malignis eſt diarrhoea, et hoc ceteraque docent, hunc morbum in nonnullis cum catarrhali febre conuenire. Curatio non alia eſt, quam febrium exanthematicarum, praecipue Variolarum (§. 169. ſeq.). Tuſſi medetur decoctum auenae excorticatae, elaeoſacharum, ſperma ceti et emulſiones. De diarrhoea ſupra dictum eſt (§. 174.). Diutius etiam continuari debent infuſa aquoſa, ſanguini purgando idonea, nec minus neceſſarium eſt moderamen in victu.

* *

FEBRES CONTINVAE.

FEBRIS EPHEMERA SEV DIARIA.

§. 181.

Haec febris continens eſt, et vno die, ſeu circiter XXIV horis finitur, vnde nomen habet. Oritur a ſanguinis orgaſmo, et frequens eſt iunioribus et plethoricis. Occaſionem dat plerumque manifeſtus error in rebus non-naturalibus, nimia corporis exercitatio, mentis agitatio, ira, vigilia, ingluuies, crapula, nimia Venus, et ſi calente corpore frigida bibitur, vel ſi ſudor repente reprimitur. Difficilius mox ab initio cognoſcitur, niſi ex cauſa, quam leuem fuiſſe nouit Medicus, et ex corporis recte valentis habitu. Aegri conqueruntur de magna cephalalgia, aeſtu atque ſiti, et pulſus velocior eſt. Soluitur morbus cito, vel magna haemorrhagia, vel ſudore multo, et copioſo ſedimento in vrina, etiam, ſi ab ingluuie ortus fuit, vomitu, deiectione. Mox pulſus omniaque ſymptomata ſe remittunt. Et haec febris, ſi genuina eſt et curatione haud turbatur, ſine periculo eſt; ſi vero calidiora ſumuntur, vel alii errores committuntur, mutari poteſt in inflammatoriam, et quandoque in lentam atque hecticam. Vltimum futurum eſſe cognoſcimus, ſi febris talis, quae vehementior fuerat, ſe ſine vlla vel notabili excretione remittit, et ſi febricula cum magna virium imbecillitate manet.

§. 182.

Raro Medici auxilium requiritur ad hanc febrem curandam, quippe quae, vt dictum eſt, breui finitur. Primum, quod Medicus agere debet, eſt, vt aluum, ſi illa adſtricta fuerit, immiſſa lotione ſoluat, et, vt tum abſtinentiam a cibo, tum potum diluentem atque quietem praecipiat.

piat. Si magnus eſt et vehemens capitis dolor, dari poſſunt pulueres nitroſi. Vbi corpus inſudat, dari poteſt infuſum calidum, etiam Eſſent. alexipharmaca. Si hecticae metus eſt, ex diutius manente languore, lentaque febricula, aluus duci debet aliquoties Rhabarbaro, et poſt adhiberi poteſt Liquor terrae fol. Tartari, cuius drachma j. cum dimidia aliquoties per diem dari poteſt. Huic commode admiſcetur extractum herbae amaricantis, v. g. Centaur. min. Abſynth. Fumariae. Cum his proficit infuſum ex rad. Cichorii, Scorzonerae, Saſſaparillae, herba Saluiae, Veronicae, Cardui benedicti, Scordii, corticibus Aurantiorum, ſemine foeniculi, aniſi ſtellati. Si malum his non cedit, maxime tempore verno, potari poſſunt ab aegro aquae Selteranae, cum lacte aſinino vel caprillo. Vbi vero ventriculus lac ferre nequit, ſaepe conueniunt iuſcula carnium iuniorum, cum herba Acetoſae, Chaerephylli, Naſturtii, et ſimilibus, additis cancris fluuiatilibus. De febre ephemera maligna, quam etiam Sudorem Anglicum dixerunt, et quae olim Britanniam et maiorem Europae partem depopulata eſt, ſcripſit praeter alios *Io.* CAIVS.

SYNOCHVS SIMPLEX ET PVTRIDA.

§. 183.

Haec altera febrium continentium eſt, et eſſe ſolet vel ſimplex, et citra putredinem, vel cum putredine, in qua vltima, praeter ſanguinis turgeſcentiam et orgaſmum, vitium in humoribus eſt. Hanc Synochum veteres diſtinxerunt potiſſimum in πυρετον ὁμοτονον, ſeu febrem, quae a principio ad finem vsque aequalis eſt, in πυρετον ἐπακμαστικον ſeu ἀναβατικον, quae, ab initio lenior, indies magis exacerbatur, et in πυρετον παρακμαστικον, quae pedetentim

tentim decreſcit. Ab Ephemera potiſſimum differt duratione, et quaſi Ephemera plurium dierum eſſe videtur. Soluitur enim plerumque VII. IX. quandoque XImo die. Illam praecedit lenis horror, ſequitur aeſtus vehementior cum omnibus ſymptomatibus. Praecipue aeger conqueritur de magna cephalalgia et moleſto ponderis ſenſu circa tempora et frontem; accedit vertigo, ſomnus profundior ſeu veternoſus, ex quo aegri parum reficiuntur. Arteriae temporales pulſant, pulſus eſt, qualem in Ephemera deſcripſimus (§. 181.). Saepe accedit delirium, et morbus nonnunquam in phrenitidem vel aliam inflammatoriam febrem mutatur, quando ipſo aeſtu febrili ſanguis cogitur, et in hoc diatheſis inflammatoria naſcitur. Reſpiratio valde difficilis eſt. Soluitur, ſi res bene cedit, criſi, per haemorrhagiam, ſudorem, et mutatione facta in vrina. Cauſae huius febris, quae ſine putredine eſt, ſunt omnia, quibus ſanguis in motum cietur, de quibus occaſione Ephemerae dictum eſt (§. 181.). Nam in hac Synocho et in Ephemera magis motus, quam materia peccare videtur. Plurimum confert corpus obeſum, ſucco plenum, quod victu pleno opiparoque alitur, et praecipue ſi menſtrua et haemorrhoides non proueniunt. Morbus rarior eſt, quo vix alii, quam iuniores laborant.

§. 184.

Synochus vero putrida, vel ex conſtitutione epidemica, vel ex habitu corporis, vel ex aliis occaſionibus nata, cauſam coniunctam habet, qua ſanguis omnesque humores multum a ſua natura degenerant, et plerumque celerius ſoluuntur, ac quaſi putrefiunt. Nam talem ſolutionem fieri ex nimio tum motu, tum quiete, tum etiam calore, aliunde conſtat, et tunc febris accedit. Si itaque ſanguis a quacunque cauſa coactus eſt, is minima vaſcula permeare nequit, oritur obſtructio, et ex hac augetur febris cum magno attritu, quae tandem reſolutionem et putredinem adfert. Sanguis cogitur ab omni re, quae febrim excitat, a vulnere, ab

aliis

aliis varii generis ſtimulis. Idem ſequitur, ſi a mala materia malignarum ſanguis iuſto fluidior redditur. De qua re ſupra dictum. Hae etiam cauſae ſigna ſuppeditant. Praeterea eſſe ſolet maior aeſtus, digitum vrens, pulſus inaequalis, frequens et inordinatus. Vrina cruda, craſſa, pauca, foetida, imo nigricans, ſine ſedimento, quae facile iterum in albam mutatur. Etiam cognoſcitur ex praegreſſis cauſis et de aegri habitu. Febris ſaepe mutatur in exanthematicam; in plurimis conuenit cum Cauſo, ſeu ardente, et nonnunquam phrenitide finitur. Inter mala ſigna eſt pulſus valde inaequalis, inordinatus, debilis, ſed frequens, reſpiratio frequens, difficilis, breuis, anheloſa, cum motu manifeſto, debilitas cum ſupino decubitu, delirium, vrina craſſa, rubicunda, turbida, quae aegrum micturientem reddit, vel etiam aquoſa, manuum tremor, feſtucarum collectio, δυσχωρία et frequens locorum mutatio atque ſumma inquietudo. Somnus vel nullus, vel grauis, et ex quo aegri non poſſunt excitari, hypochondriorum inflatio, oculi luctuoſi, illacrymantes, et ſi febris ſymptomata quotidie ingraueſcunt. Mors etiam metuenda, vbi exanthemata, quae mali coloris ſunt, ſuperueniunt, vel ſi illa iterum euaneſcunt. Spes maior eſt in vtraque, ſi die quarto circiter coctionis ſigna in vrina conſpiciuntur. Synochus ſimplex tamen ſine hac mutatione in vrina, et ſine aliis coctionis ſignis, finitur haemorrhagia critica. Parca haemorrhagia peſſima eſt.

§. 185.

Synochus ſimplex requirit protinus ab initio ſanguinis miſſionem; nam tertio vel quarto die illa criſin turbat. Si ſanguinis miſſio locum habere nequit, admoueri poſſunt variis corporis locis, et, vbi caput vehementer dolet, ipſi nuchae, vel hirudines, vel etiam, conciſa prius cute, cucurbitulae. Veteres vſi ſunt ſcarificatione narium, de qua vide ARETAEVM. Aluus ante omnia ſoluenda eſt decocto Tamarindorum, paſſularum minorum, Manna, cremore Tartari,

Tartari, Syrupo roſarum pallidarum et ſimilibus. Plurimum etiam conferunt lotiones emollientes, vel ex ſola aqua cum pauco ſale et nitro. Veteres plurimum tribuerunt frigidae aquae, quam aegris citra ſatietatem bibendam dederunt, de qua vero alibi iudicium tuli (§. 78.). Magis tutum eſt, ſi datur aegro ptiſana, cum oxymelle, ſuccis et ſyrupis acidis, vel etiam alibi laudata Iulapia. Omnia tamen febri accommodanda ſunt. Vbi criſis per ſudorem imminet, dari poſſunt bezoardica fixa cum aquis diapnoicis, et regimen imperandum eſt. Poſt factam criſin dari poteſt Eſſ. alexipharmaca, vel infuſum calidum. Nihil magis nocet, quam nimius calor, tum aëris, tum potulentorum.

§. 186.

Si putredo, vel quaedam malignitas ex ſupra datis ſignis (§. 184.) accedere videtur, non alia curatio eſt, quam malignarum. Caute tamen agendum. Maxime moderandae ſunt euacuationes, ſi magna adeſt virium imbecillitas. Dari poſſunt ſucci acidi. Victus dandus eſt tenuiſſimus, cremor hordei excorticati cum ſucco Citri, auena excorticata cum paſſulis, fructus horaei ſiccati, potus ex pane atro, ceraſis, radice Glycyrrhizae, Acetoſae, cum aqua decoctis. Aliena ſunt omnia iurulenta, etiam vinum omnisque potio meracior. Plurimum etiam conducit iuſculum valde tenue, pulli cohortalis cum multo ſucco Citri, herba acetoſae et acetoſellae. Si cephalalgia vehementior eſt, parari poſſunt epithemata ex pane ſecalino, aceto, vel emulſiones ſpiſſiores.

CAVSVS ET FEBRIS ARDENS SEV BILIOSA.

§. 187.

Cauſus eſt febris valde acuta, cum ſummo et intolerabili aeſtu, a quo nomen habet. Si cauſus a febre ardente diſtinguitur, gradu potiſſimum differt. Cauſus verus ſub

noſtro coelo minus frequens, ac olim in Germania fuit. In hoc enim vehementior aeſtus eſt, cum febre acutiſſima, ita, vt calor ſaepe ad eum gradum accedat, quo oua ad duritiem coqui poſſunt, id quod thermometra in os aegrorum demiſſa docuerunt. Hi ſpiritum ex ore emittunt adeo feruidum, vt manum admotam offendat. Calor prae ceteris pectus torret, minus extremos artus, qui ſiue moderatius calent, ſiue nonnunquam, id quod peſſimum eſt, frigent. Hoc accidit, quando humores per febrem eiusque calorem coacti in extremis vaſculis haerent, haecque obſtruunt, quo renixu tum celeriorem, tum valentiorem cordis motum concitant, quare circa viſcera vitalia, cor nimirum atque pulmones, et in horum vaſis adhuc liberis, vehementiſſimus motus, attritus, indeque calor, et in extremis obſtructis frigus, naſcuntur. Os aridum eſt, lingua aſpera, ſicca, flaua, nigra, fiſſa, cum ſiti clamoſa et oris amaritie. Sitis interdum omnis, arida manente lingua, aboletur, id quod accidit, quando aeger ſopore oppreſſus, ſiue delirio agitatus, ſui obliuiſcitur. Sputum vel nullum, vel paucum, amarum et bilioſum. Labra fiſſa ſunt. Cutis ad tactum arida et ſicca. Aegrum torquet maxima cardialgia et anxietas, cum inani vomendi aluumque deponendi conatu. Huius anxietatis cauſa eſt vel bilis corrupta, in ventriculo et duodeno haerens, vel impeditior ſanguinis per arteriam coeliacam et venam portae circuitus. Reſpiratio denſa eſt, anheloſa, celerior, cum magna tamen pectoris dilatatione. Accedit tuſſicula, quae de vaſorum pulmonalium obſtructione teſtatur. Vrina flammea eſt et tenuis, vox clangoſa, pulſus celer atque durus. Aeger de intolerabili cephalalgia conqueritur, qui nihil magis optat, quam frigida, quae etiam cum voluptate obtrectat. Quarquam de ſumma laſſitudine conqueritur, quae ab humorum, vaſcula minima obſtruentium, coagulo naſcitur, is tamen vix non omni momento locum lectumque mutat, nullum ſomnum capit, vel eo oppreſſus repente iterum expergiſcitur. Delirat, quod delirium vt plurimum ſopore, conuul-

ſione

ſione morteque finitur Cauſus quandoque febris continens eſt, frequentius vero continua, ita, vt alternis diebus habeat aliquam remiſſionem; quare ab initio non raro tertianam repraeſentat, ex qua quandoque, ſi eius paroxyſmi nimium protrahuntur, oritur. In febre vero bilioſa frequentes ſunt deiectiones vomitusque, quibus bilis vel ſincera, vel, id quod melius eſt, cum pituita remixta, reiicitur. In vtraque febre inſuperabilis nauſea carnium omniumque iurulentorum eſt, aeger vero et frigida et acida, quorum poſteriora etiam ſaluberrima ſunt, appetit. Raro curatur Cauſus, ſi exquiſitus vehemensque eſt. Febris bilioſa, quamuis magnum periculum habeat, curationem recipit.

§. 188.

Cauſa harum febrium eſt humoris bilioſi redundantia, quo acriori inteſtina et ventriculus afficiuntur. Ad morbum vero hunc gignendum plurimum etiam facit ſanguis, qui in toto corpore, per nimium calorem et attritum, blando ſuo aquoſo et lymphatico orbatus, acriorque factus eſt et rancidus. Nam et hic copioſiorem bilis materiam praeſtat, et minus mobilis factus, ex arteriis in exiles venas propelli nequit, quare in Cauſo inflammatio quaſi vniuerſalis et per totum corpus eſſe videtur, a qua ille tantus calor oritur. In cadaueribus, poſt mortem inciſis, cruor ſpiſſus multus et ater in arteriis, paucus vel nullus in venis repertus fuit. His morbis frequentius obnoxii ſunt plethorici et atrabilarii, melancholici et cacochymici. Oritur morbus a vehementiori Solis aeſtu, longo itinere, nimio corporis motu, mentisque agitatione, curis, vigiliis, prae ceteris in iis, qui his minus adſueti ſunt, a potu ſpirituoſo, ebrietate, ebrioſitate, ab ira, amore, Veneris abuſu, furore, et a ſuppreſſis catameniis et haemorrhoidibus, nec non ab aſſumtis draſticis purgantibus atque venenis, quibus blandi humores ex corpore euacuantur, relicto rancido craſſamento. Febris bilioſa etiam oriri poteſt ex bile efferueſcente,

maxime ſi illa tempore paſtus, ira commota ex folliculo expreſſa, aſſumtis fermentantibus, veluti fructibus horaeis, muſto, cereuiſia iuniori, admiſcetur. Incidere etiam poteſt, vt humor per cutim exire ſolitus, cohibito ſudore, ad inteſtina feratur et cum bile miſceatur.

§. 189.

Cauſus ſaepiſſime tertio vel IVto die finitur morte. Soluitur circa VIImum diem haemorrhagia critica, quandoque etiam vomitu et deiectione bilioſa, nonnunquam etiam ſudore. Si vero haec febris vltra hos dies durat, ſit plerumque metaſtaſis, atque intumeſcunt inflammanturque parotides. In hac febre rigor, qui tempore critico, cum ſignis coctionis, nouus oritur, non ſemper malus eſt, ſed criſin futuram indicat, maxime ſi eum ſequitur euacuatio. Rigore enim materia peccans quaſi mobilis redditur. Bonum etiam eſt, ſi aeger circa id tempus de artuum et coxarum doloribus conqueritur. Haemorrhagia optima eſt, quae ſeptimo die contingit. Hanc futuram eſſe intelligitur, ſi aeger tempore critico de inſueto capitis et ceruicis dolore atque grauitate conqueritur; ſi oculi eo inuito illacrymantur atque caligant; ſi venae iugulares totaque facies tument, nares pruriunt, et ſi aeger ſurdus factus eſt. His ſignis recentiores obſeruationes pulſum dicrotum ſiue bis ferientem addunt, id quod ſupra iam notatum fuit. Vomitum futurum eodem tempore indicat nauſea, ventriculi dolor, aucta oris amaritudo, caligo tenebricoſa, et vertigo cum nauſea, labrorum tremor. Deiectionem futuram docent lumborum dolores, tormina, abdominis diſtentio, borborygmi. Sudor futurus eſt, ſi poſt aſſumta multa diluentia vrina die IVto coctionis ſigna habet, cutis vero ex arida mollior et vda ſit. Peſſimus et plerumque funeſtus ſudor eſt, qui guttulas cuti inhaerentes format, et qui pinguior haud defluit. Mala ſigna ſunt magna praecordiorum anxietas, et ſi cum hac facies valde rubet atque inſudat, id quod fit, ſi ſanguis, qui per pectus et abdomen haud circuire poteſt, ad caput redundat.

dat. Funeſta etiam ſunt, continuum delirium, vigiliae, inquietudo. Febris ardens peſſima eſt, quae poſt grauiora ventris infimi tormina oritur, quia plerumque cum ea inteſtinorum et meſenterii inflammatio eſſe ſolet. Mortem indicat pauci ſanguinis per nares, ventriculum, renes, excretio, tempore vel cruditatis, vel criſeos, et ſi ſanguis ex fiſſis labris linguaque effertur. Porro ſi ſputum vel nullum eſt, vel bilioſum, tenue atque valde viſcidum; ſi vrina tenuis eſt et nigricans, vel aquoſa, qualis eſſe ſolet, ſi materia peccans tenaciter humoribus inhaeret, et facta funeſta metaſtaſi ad cerebrum aliasque nobiliores partes conuertitur. Mortem etiam praeſagiunt deglutitio vel laeſa et abolita, vel ſonora, quae vltima fit, propter oeſophagi paralyſin. Idem metus eſt, ſi faucium inflammatio accedit, ſi caput et pedes frigent, ventre coſtisque calentibus, vel ſi Lipyria eſt, ſeu internus aeſtus, rigentibus externis. Si pulſus ex duro in mollem mutatur, id quod fit, ſi magnus ſanguinis infarctus in pulmonibus eſt, et cordis ventriculus ſiniſter eo non impletur; vel ſi pulſus debilis fit, atque cum aliis ſignis intermittens, id quod incidit, ſi inflammatio atque gangraena in ſphacelum tendit. Si parotis intumeſcit, tumor vero iterum ſubſidet atque euaneſcit. Si aluus, antea clauſa, iam nimium et praeter voluntatem ſoluitur, et per eam valde foetida excernuntur. Si poſt delirium tremor oritur et conuulſio. Ex tremore delirium vtplurimum funeſtum eſt. In febre bilioſa tolerabiliores ſunt bilioſae deiectiones, quam frequens vomitus. Melius eſt, ſi fit excretio, quam ſi irriti ſunt vomendi atque deiiciendi conatus. Semper meliores ſunt deiectiones et vomitus, vbi bilioſo humori pituita admixta eſt, quam ſi ἀκρητα ſeu ſincera reiiciuntur. Nimiae tamen deiectiones, quibus omnis humor tenuior ex corpore educitur, etiam lethales eſſe poſſunt. Sputum craſſum, mobile, lubricum, optimum ſignum eſt, quod teſtatur infarctum pulmonum ſolutum eſſe.

§. 190.

In curandis his morbis, Cauſus ſanguinis miſſionem deſiderat, ſi is valde abundat, et ſi morbus ex ſuppreſſis haemorrhagiis, praecipue catameniis et haemorrhoidibus, ortus eſt. Neceſſe vero eſt, vt ſanguis mox ab initio primo alteroue die ex talo mittatur. Sanguinis miſſionem etiam requirit dolor vehemens et fixus in aliqua parte, veluti in pectore, qui cum aliis ſignis praeſentem inflammationem indicat; vbi vero iam dies ſecundus praeteriit, vel vbi iam illa λειπυρία adeſt, vt ſummus aeſtus circa pectus et imum ventrem, frigus in extremis artubus ſit, venae ſectio mortem maturare poteſt. Vires etiam conſiderari oportet. Ceteroquin morbus curatur, dum a natura materies peccans coquitur, et per criſin excernitur, vel dum illa, adiecta per artem alia materia, corrigitur. Magnum praeſidium a lotionibus in aluum immiſſis petendum eſt, quibus colon eluitur et humectatur. A colo vero humida meſaraicis venis, imo et lacteis, ad illud pertinentibus, abſorberi et ſic corpus humectari, certum eſt. Conducunt lotiones ſeu clyſteres ex Tamarindis, ex herbis emollientibus cum ſero lactis decoctis, ex aquis Selteranis, ſiue aqua ſimplici cum oxymelle et nitro, nec non ex lacte ebutyrato et ſale communi. Has lotiones minime calidas eſſe oportet, non tamen omnino frigidas, id quod etiam de omni tum potionum, tum medicamentorum genere ſedulo notandum eſt. Nam quamuis frigida a Veteribus, multis etiam recentioribus, multum extollantur, et quanquam illa aliquando proficere poſſint, dum iis aeſtus minuitur, et dum ſolidarum fibrarum robur, ad reſolutionem neceſſarium, augetur, ſemper tamen metus eſt, ne ex ſubita mutatione periculoſa et funeſta inflammatio naſcatur. Praeſtat igitur non calidis, ſed egelidis vti. Vbi diarrhoea adeſt, clyſteres parari poſſunt ex decocto ſpecierum emollientium, addito etiam oxymelle ad vnciam j. circiter. Inter remedia ore ſumenda primo loco ſunt aquoſa diluentia, farinoſa, demulcentia,

ſubacida

ſubacida vel aceſcentia. Huc pertinent alibi iam laudata decocta ex vegetabilibus, herbis, fructibusque, additis ſyrupis et Rob officinalibus, ex ceraſis, moris, rubi idaei baccis, ribeſiis, adiici etiam poteſt nitrum. Haec decocta, ſiue medicamenti et Iulapii, ſiue ptiſanae potionisque nomine aegris offerantur, maiori in copia potari debent. Pauperibus conducit ſerum lactis, lac ebutyratum. Vbi vero diarrhoea vehementius vrget, optimum eſt iuſculum tenue pullorum cohortalium, cum multa acetoſa vel acetoſella decoctum, vel addito ſucco Citri, pauperibus aceto.

§. 191.

Victus quoque ad haec accommodandus eſt, qui non alius eſſe debet quam vegetabilis, et qualem alibi praecepimus (§. 136. 186. 190.). Plures in hac febre extollunt abſorbentia, et praecipuam virtutem tribuunt Cryſtallo montanae, quae vero exigua eſt. Meliora ſunt alia terrea, ſi cum ſucco Citri recenti offeruntur.

§. 192.

Sunt aliae quaedam obſeruationes neceſſariae. Si morbus a cauſa cognita ortus eſt, illa, ſi fieri poteſt, tollatur; v. g. ſi ira vehementiori ſub paſtu commotus fuit aeger, a primo initio cieri poteſt vomitus, data multa aqua tepida cum melle et pauco nitro. Deglutiri poteſt oleum amygdalarum dulcium recens. Robuſtioribus dari poteſt Ipecacuanha. Omnia vero emetica valentiora aliena ſunt, quae facile ventriculi inflammationem relinquunt. Emeſis etiam quouis auxilio excitata nocet, vbi morbus iam invaluit. Si emetica locum non habent in hoc caſu, mox ab initio ſumat aeger Rhabarbarum in puluere ad drachmam dimidiam, et ſuperbibat decoctum Cremoris Tartari. Valde neceſſarium eſt regimen, et vt conclaue frigidum ſit. Aër igitur alibi praecepta ratione refrigerandus eſt, frigida crebrius ex vno vaſe in alterum effuſa. Aliis etiam auxiliis corpus humectari poteſt. Os eluatur frigida, naribus

attrahatur vapor aquae tepidae. Suadent etiam, vt inguinibus, alis, pedibus, admoueantur ſpongiae tepida madentes, et vt in hanc pedes et manus demittantur. Pauimentum conſpergatur frigida, vel aceto, nec non foliis arborum. Arbuſta in conclaue ferantur, ſaepiusque omnia mutentur. Nocentiſſimus eſt etiam ſtragulorum calor pondusque. In hoc morbo ſitum erectum magis ſeruare debet aeger, qui in aliis malignis pernicioſus et funeſtus eſſe poteſt. In his enim morbis inflammatoriis, vbi vis vitae valida eſt, in aegro, ſi is ſaepius iacet, maior vis ſanguinis in corticem cerebri et cerebelli propellitur, et ſymptomata augentur, ſecus ac fieri ſolet in febribus malignis et aliis caſibus, v. g. poſt magnam haemorrhagiam, vbi ſanguis non tantum, quantum ſatis eſt, ad cerebrum pelli poteſt.

PHRENITIS, PARAPHRENITIS.

§. 193.

Phrenitis eſt cerebri et meningum inflammatio ex cauſſis illis inhaerentibus, a qua continuum cum febre acuta oritur delirium. Igitur Phrenitis morbus eſt idiopathicus, et febris ſymptoma eſt. Sed aliquando Phrenitis ſymptomatica eſt, quando aliorum morborum, veluti exanthematum, anginae, variolarum, pleuritidis, peripneumoniae, podagrae, eryſipelatis et phlegmones, externas ſedes occupantium, mala materia in cerebrum conuertitur, et in hoc inflammationem mouet. Vera, vel idiopathica, incipit cum magno et intolerabili dolore capitis, cui accedit febris acuta continua, ſine vllo alio morbo. In ſymptomatica vero, inflammatio, vel arthritis, vel alius quidam morbus non caput, ſed prius aliam partem quamdam infeſtat, quae poſt repente liberatur, orto capitis dolore cum delirio. Differt a phre-

a phrenitide, delirium, quod ſymptoma febris eſt, cum qua παραφροσύνη vel increſcit, vel iterum remittit. In phrenitide delirium ſine intermiſſione eſſe ſolet. Mania, vel inſania, eſt delirium ſine febre, quae nonnumquam ex phrenitide relinquitur. Paraphrenitis proprie dicitur inflammatio diaphragmatis, quod quum valde neruoſum ſit, et in media parte tendineum, etiam per conſenſum vehementiſſimum delirium mouet. Plures, latius accepto hoc vocabulo, per id intelligunt quamuis viſcerum et membranarum pectoris atque abdominis inflammationem, cum magna febre et delirio.

§. 194.

Quibus phrenitis imminet, ii continua et nocturna vigilia premuntur, et ſi ſomnus accedit, is placidus non eſt, ſed multis inſomniis turbatus, accedit inſuetus calor dolorque capitis, quo quaſi futurae rumpi videntur aegro, qui dolor in verum inflammatorium et pulſantem conuertitur. Oculi rubent et fiunt ſqualidi ac torui. Ab initio reſpiratio magna eſt et rara. Aeger iracundus, perpetuo agitatus, omnisque quietis impatiens eſt, qui mox rerum etiam praeſentium obliuiſcitur. Is, quamuis magna ſiti laboret, potionem non deſiderat, et tandem ſequitur vera mentis alienatio. Si vero iam febris acceſſit, pulſus fit paruus, velox et valde durus, ita, vt arteria intenta, quaſi baculi inſtar, digito renitatur. Reſpiratio eſt magna et cum maiori interuallo, facies rubra, horrida, oculi inconſtantes, prominentes, truces, illacrymantes, quibus quandoque ficcioris pituitae ſordes ſeu λῆμα inhaerent. Lingua ſicca eſt, aſpera et nigra; reſpiratio magna, ſed difficilis; ſumma inquietudo, agrypnia, et, id quod cum dolore pulſante ſignum pathognomonicum eſt, perpetuum ſeque non remittens atque vt plurimum ferox delirium. Delirium decubitu ſupino increbeſcit, erecto corpore paulum ſe remittit. Cutis arida eſt, dura. Vrina, aliquando turbida, rubra eſt et pauca, aliquando pallida, vel

ſi rubra fuit, mox iterum in aquoſam conuertitur. Haec, ſi talis, et ſi alui fex nulla bile tincta excernitur, peſſima eſt. Vbi tandem morbus ingraueſcit, delirium mutatur in ſoporem vel carum, qui eſt cum ſumma debilitate. Tandem ſudor frigidus, qui ſuperuenit, ſignificat inflammationem mutari in gangraenam et ſphacelum. Si gangraena cerebri ad medullam vsque peruenit, oritur conuulſio, et breui ſequitur mors. In corporibus phrenitide defunctorum inciſis, reperiuntur meninges inflammatae, cortex cerebri rubro ſanguine diſtentus, aliquando ſuppuratio et ſphacelus cerebri.

§. 195.

In paraphrenitide haec ſymptomata plerumque mitiora ſunt, praecipue, ſi ex alio praegreſſo morbo, veluti exanthematico, oritur. Si diaphragma inflammatum eſt, id potiſſimum ex reſpiratione et dolore cognoſcitur. In phrenitide enim dolor capitis pulſans eſt, in paraphrenitide ſimilis dolor praecordia infeſtat. In priori reſpiratio magna eſt, et rara, maxime ab initio; in paraphrenitide vero parua et valde inaequalis. In phrenitide praeterea oculi potiſſimum afficiuntur; in paraphrenitide tenſio et tumor eſt hypochondriorum. De ortu et principio vtriusque ſupra retuli.

§. 196.

Phrenitidi obnoxii fiunt prae aliis iuniores, qui corpore adſtricto ſunt, atrabilarii. Occaſionem dare poſſunt vehementes et repentinae animi perturbationes, ira atque terror, praeterea moeror, amor, Veneris deſiderium, Veneris abuſus, multa meditatio et lucubratio, vigiliae et inedia, crapula, menſtruorum, haemorrhoidum, lochiorum profluuium prohibitum, podagra externis curata, ardor ſolis, ſi eo caput aduritur, capitis vulnera, abuſus ſpirituoſorum et omnis valentioris generis potionum, aromatum et medicamentorum calidorum, omnesque aliae inflammationum cauſſae.

§. 197.

§. 197.

Phrenitis, quae ab externis cauſſis oritur, in noſtris terris rarior eſt, in meridionalibus frequentior. Accidere tamen poteſt, vt meninx, vulnere aliaque ratione laeſa, inflammetur. Saepe phrenitis tendit in carum, conuulſionem atque mortem, aliquando in maniam. Etiam amauroſis et ſurditas ex ea relinquitur, id quod fit, quando vaſa cerebri dilatata et obſtructa, non ab hac materia, ceſſante febre, liberantur, ſed obſtructa manent, ita, vt illa materia tandem cum vaſis concreſcat, atque impeditum ſanguinis aliorumque ſuccorum motum efficiat. Haec mutatio morbi non raro contingit, quando, ſub vehementi exacerbatione huius febris, ſanguinis plurimum detrahitur, vel ſi euacuantia adhibentur eo tempore, quo febris omniaque iam adoleuerunt. Morbus periculoſiſſimus, qui intra IVtum VIImumque diem aegrum plerumque iugulat. Nec melior eſt vera paraphrenitis, praecipue, ſi tendinea diaphragmatis pars laeſa eſt. Si res bene cedit, phrenitis plerumque criſi ſoluitur, narium haemorrhagia critica, catameniorum et haemorrhoidum profluuio, vel ſi venae haemorrhoidales intumeſcunt, ſi varices in pedibus oriuntur, ſi per aluum multa critica deſcendunt, et ſi ſudor multus calidus cum leuamine, praecipue in capite, erumpit. Bonum etiam eſt, ſi dolores pectoris artuumque vehementiores oriuntur; ſi multa aqua ex naribus, auribus, ore effertur; ſi cum aliis bonis et coctionis ſignis oritur ſurditas, vel ſi cum iisdem aeger tuſſire incipit. Surditatem ſine his ſignis perpetuam futuram eſſe, ex ſupra dictis intelligitur. Semper melius delirium eſt cum riſu, quam cum anxietate. Delirium, quod paullatim increſcit, magis metuendum eſt, quam quod repente oritur. Peſſime, ſi illud in adfectum ſoporoſum mutatur. Peſſima etiam ſigna ſunt: vrina ſemper alba et cruda, vel quae poſt coctionis ſigna iterum aquoſa fit, quae ἐναιώρημα nigrum habet. Prius ſignificat materiae acris malam metaſtaſin; vltimum humorum corruptionem

et

et putredinem. His etiam adnumerari debent, vomitus aeruginoſus, floccorum collectio, dentium ſtridor, vrinae et alui pertinax obſtructio. Lingua optima praeſagia futuri euentus dare poteſt. Et hic malum eſt, ſi lingua arida potionem requirit, illam vero non deſiderat aeger. Ante mortem aegri plerumque conuelluntur.

§. 198.

Phrenitis facilius auertitur, quam curatur. Eſt morbus inflammatorius, inde auertendus a capite ſanguinis aditus eſt, atque tollenda obſtructio. Animus ſedulo aduertendus eſt ad ea, quae ſupra retulimus, quibus naturae beneficio hic morbus non raro ſoluitur, ne, ſi quid horum appareat, id a medente turbetur. Si vero non naturae morbum committere, ſed arte illum profligare animus eſt, oportet, protinus ſanguinem mitti, et quidem in primis initiis maiorem eius quantitatem, ex talo, vulnere facto ampliori, vel inciſis pluribus venis, vt ſanguis, ex aliis ſedibus erumpens, a capite auertatur. Sanguinis detractio etiam, ſi ſymptomata id poſtulant, ſaepius iteranda eſt. Vbi autem morbus iam inualuit, praeſtat ſanguinem detrahi ex mediana brachii, vel ſi ſummum periculum adeſt, ex iugulari. Poſt iugularis tamen ſectionem ſemper etiam vena in brachio incidenda eſt. Si fieri poteſt, ſanguis non mittendus tempore vehementiſſimi delirii, ſed exſpectanda eſt aliqualis, quamuis etiam haec exigua ſit, ſymptomatum et febris remiſſio. Plurimum etiam proficit, et a Veteribus laudata fuit arteriotome in temporibus. Delirantes vero difficulter tolerant faſciam. Et poſt venae ſectionem cauendum eſt, ne faſcia ſoluatur, et ne ſanguinis profuſio hominem interimat. Venae ſectio tam diu iterari debet, quamdiu maior renixus in arteriis eſt, pulſusque valde durus. Veteres peculiaribus inſtrumentis profluuium ſanguinis ex naribus excitarunt. Sectio raninarum ſub lingua, quam plures extollunt, non ita tuta eſt. Praeterea ceruici adcommodari debent cucurbitulae cum ſcarificatione, quae etiam admoueri poſſunt

poſſunt humeris, ſemoribus. Vtiliſſima foret profundior ſcarificatio malleolorum et ſurarum, quae olim Aegyptiis in vſu fuit. Vid *Proſp.* ALPINVS *de Medicina Aegyptiorum.* Etiam illis locis et haemorrhoidibus, ſi per aegri delirium illud licet, admoueri poſſunt hirudines. Si illae locum non inueniunt, fricanda ſunt illa loca, iisque etiam fomenta admouenda. Cum his adhibenda ſunt epiſpaſtica ſupra laudata (§. 173.). Fotus emolliens, vel veſicae madidae, oleo emolliente vel decocto ſimili plenae, plantis pedum admoueri poſſunt. Fronti vero oxycratum, vel vna ex compoſitionibus, quas ſupra dedimus.

§. 199.

Poſt ſanguinis miſſionem, ad auertendum ſanguinis impetum, plurimum proficit, ſi aluus ducitur. Hoc fit lotionibus in eam immiſſis, nec non decocto Tamarindorum, Cremoris Tartari et aliorum eccoproticorum atque antiphlogiſticorum. Quae reliqua vero ſunt medicamenta, conueniunt cum iis, quae ſupra propoſui (§. 190.). Dari debent Iulapia cum ſuccis vegetabilibus et liquoribus mineralibus acidis, quibus aegri corpus ita implendum eſt, vt fere hydropicum fiat. Si vero aeſtus ita vehemens eſt, praecipue ab initio, et ſi perpetuae ſunt vigiliae, ſine his acidis parari poſſunt emulſiones, quibus paullo in maiori quantitate adiicitur ſemen papaueris. Nocentiſſima ſunt valentiora opiata, praecipue in morbi incremento; ab initio tamen Opii granum dimidium vel j. dari poteſt cum ſucco Citri recenti.

§. 200.

Si haemorrhoides et dolores in inteſtino recto ſentiuntur, admoueri poſſunt vel cataplaſmata, vel epithemata ex herbis et radicibus emollientibus, nec non fomenta ex herba ſtercoraria. Si aegri vires et delirium id permittunt, quoque adhiberi poſſunt pediluuia, non nimis tamen calida. Os, ſi fieri poteſt, crebrius eluendum. Gargarizationes ex aqua, aceto, nitro proſunt. Cum his ſitus erectus neceſſa-

ceſſarius eſt. Nocet decubitus ſupinus, lux, ſtrepitus et omnis res ingrata, qua aegri animus commoueri poteſt. Sollicite mutandus et grato refrigerio corrigendus eſt aër. Aegro delirante remouenda ſunt omnia inſolita, praecipue picturae, quibus aegri ſenſus excitantur, et delirium augetur. Caput radendum plures ſuadent. Malim id per pectinem attondi, et hunc etiam crebrius, ſed modeſte per reſiduos capillos deduci. Si autem Paraphrenitis eſt, vel Phrenitis ſymptomatica, ſeu ex alio morbo orta, non ſemper tutum eſt ſanguinem detrahi, aluum duci, et aliis euacuantibus vti. Conſiderandus eſt princeps morbus, et huic accommodanda ſunt auxilia. Deriuantia ſaepe optima ſunt.

ANGINA.

§. 201.

Angina plerumque ſignificat inflammationem faucium cum impedita reſpiratione et deglutitione. Latius tamen accepto vocabulo, alii, et inter hos BOERHAAVIVS, non ſolum inflammationem harum et aliarum vicinarum partium, ſed quamuis impeditam reſpirationem ac deglutitionem, non tantum ab inflammatione, ſed ab aliis etiam cauſſis profectam, veluti ab abſceſſu, a polypo, alioue ſarcomate, a ſcirrho, carcinomate, ad anginam retulerunt. Angina enim quaedam cum raucedine in fine chronicorum morborum, praecipue poſt euacuationes, accidit a paralyſi muſculorum et mortem inſtantem praeſagit. Eſt etiam anginae ſpecies, quae ſpaſmis abſoluitur, id quod hyſtericis admodum frequens eſt. Anginae inflammatoriae, de qua nunc nobis ſermo eſt, quatuor modos deſcripſerunt Veteres. Si interiores laryngis muſculi, et interior membrana tracheae inflammantur, Cynanche dicitur, in qua ſumma reſpirandi loquendique difficultas eſt, cum magno metu ſuffocatio-

focationis. Si vero interior pharynx inflammatur, et paullo liberior eſt reſpiratio, valde vero impedita deglutitio, adeo vt adſumta potio etiam per nares effluat, Synanche dicitur. In his extrinſecus nullus conſpicitur tumor, vel is non ita magnus. Inflammatio muſculorum externorum laryngis et partium vicinarum dicitur Paracynanche. Inflammatio vero exterioris pharyngis Paraſynanche. Et haec tamen vocabula varium ſenſum apud Veteres habent; vid. *van* SWIETEN *Comment.* Cum his vero plures etiam aliae partes inflammantur, veluti tonſillae, et quae in his ſedibus copioſae ſunt aliae glandulae excretoriae, nec non tum aſperae arteriae, tum gulae interioris tunicae, velum palatinum, uvula, muſculi oſſis hyoidis, linguae, &c.

§. 202.

Praeter haec omnia diſcrimen notabile eſt inter anginam veram atque notham vel pituitoſam. Prior enim inflammatione abſoluitur, in poſteriori vero mucus craſſiorque pituita occupat contextum celluloſum, qui ſub tunicis eſt. Primum genus comitem habet febrem magnam inflammatoriam cum ſymptomatibus, alterum febrem catarrhalem mitiorem. In priori tumor rubicundus, et dolor acutus, pulſans eſt; in poſteriori dolor paucus et tumor pallidus. Raro incidit, vt hydropicis tumor eiusmodi pituitoſus ex ſtagnante in faucibus ſero oriatur.

§. 203.

Angina laborant frequentius, quam alii, iuniores, ſanguinei, ex obſeruatione SYDENHAMII prae ceteris rufi, et quibus pueris ſaepius ſanguis ex naribus fluit. Oritur etiam a cohibito ſanguinis per haemorrhoides et catamenia profluuio, a neglecta ſanguinis miſſione, ſudore expreſſo. Praeterea a cauſſis externis, a deglutito oſſiculo vel ſpina piſcis, ab adſumto veneno, praecipue mercurio ſublimato et calce viua, et recens dealbatis parietibus, a clamore et nimia vociferatione, declamatione, tubarum inflatione, in-

primis

primis in aëre gelido, et ſi poſt talem exercitationem ſudor repente ſupprimitur, ab equitatione aduerſo vento frigido, a multum variantibus tempeſtatibus, maxime ſi corpus caloribus relaxatum ſubito frigore excipitur, a tuſſi vehementi et vomitu, datis etiam draſticis emeticis, a ptyaliſmo per mercurium excitato, a facta metaſtaſi in morbis malignis exanthematicis, praecipue in variolis confluentibus. Nonnunquam angina epidemica eſt, vel alii morbi epidemici hanc naturam habent, vt mala materia, in fauces conuerſa, hanc periculoſam inflammationem moueat. Naſcitur etiam a repreſſa per externa podagra et eryſipelate male curato. Quomodo vero ex variarum partium inflammatione varia ſequi ſoleant ſymptomata, ſingulari ſtudio expoſuit BOERHAAVE, *Aphoriſmorum* §. 801. *ſqq.* Surditas ſymptoma eſt inflammationis vuulae ac palatini veli, quum et interior membrana tubae Euſtachianae ſaepe ex inflammatione intumeſcat. Sub deglutitione percipitur in aure ſonus valde moleſtus, quoniam duo muſculi malleum mouentes, qui ex hac tuba oriuntur, ſi membrana tubae inflammatae tumidaeque ſub deglutitione mouetur, tympani membranam valentius adducunt, et neruo acuſtico hunc ſenſum impertiuntur. Peſſimum eſt, ſi caput eiusque partes omnes ex coaceruato ſanguine intumeſcunt, id quod accidit ab impedita reſpiratione. Nam ſi pulmo non ſatis diſtenditur, ſanguis eum libere permeare nequit; is itaque accumulatur in corde dextro, a quo is redundat ad venas iugulares, et ſic ad totum caput, ad quod ſanguis per arterias affertur, qui per venas iterum abduci nequit. Ob hanc cauſſam tandem ſequitur linguae omniumque partium tumor, omnium ſenſuum externorum et internorum obnubilatio, ab effuſis per dilatas venas humidis, ſtertor orisque ſpuma, tandemque ſuffocatio. Nonnunquam repente ingraueſcentibus ſymptomatibus aeger ſubita morte rapitur.

§. 204.

Angina vel diſcutitur, vel inflammatio in pus vertitur, vel raro in ſcirrhum, vel aeger quarto circiter die ſuffocatur,

vel

vel inflammatio ruit in gangraenam. Periculoſiſſima eſt Cynanche, et ſi extrinſecus nullus tumor conſpicitur. Longe peius eſt, ſi, euaneſcente tumore externo, inflammatio ad interiora tendit, et ſpirandi difficultas increbreſcit. Quo celerius atque citius febris increſcit, eo maius periculum eſt. Vrina ſanorum ſimilis mala, peſſima, quae ex cocta iterum in crudam vertitur. Funeſta ſigna ſunt, orthopnoea cum magna anxietate, vox ſtridula et acuta vel intercepta, oris ſpuma, lingua arida, nigra, ex ore propendens, labra liuida, omnium ſenſuum ſtupor. Interdum morbus critice ſoluitur ſanguinis per nares, catameniorum et haemorrhoidum profluuio, diarrhoea bilioſa, raro ſudore critico. Si aeger dolorem ad pectus deſcendentem ſentit, remittentibus ſe in faucibus ſymptomatibus, ortaque tuſſicula, morbus mutatur in peripneumoniam et pleuritidem, qua aeger plerumque ſeptimo die perit, vel oritur tabes cum lenta et hectica febricula. Si hypochondria et praecordia tument dolentque, increſcente imbecillitate, mors inſtat; ſi vero artuum dolores oriuntur, bona ſpes eſt. Interdum fiunt abſceſſus, quos futuros eſſe intelligitur, ſi febris ſine diſcuſſione et criſi ſe pedetentim remittit, et dolor ex acuto in grauatiuum mutatur; ſi vero nulla facta fuit criſis vel metaſtaſis, inflammatio in gangraenam ruit. Hoc confirmat facies Hippocratica, extremorum frigus, pulſuum debilitas, et ſi color rubicundus faucium in liuidum mutatur, tumor vero deſidet. Gangraena, quae ex magna inflammatione orta fuit, eſt funeſta. Nonnumquam alii, in quibus gangraena eſt ex metaſtaſi orta, ſeruantur. Angina ſymptomatica in febribus exanthematicis aliisque malignis ſaepe funeſta eſt, quandoque tamen, vbi, ea orta, ſe delirium remittit, illa non ita mala eſt, praecipue in variolis. Etiam in morbillis, aliisque febribus exanthematicis, angina magis timenda, quam in variolis.

§. 205.

Curatio etiam in hoc morbo a ſanguinis miſſione ordienda eſt, qui ad animi defectionem vsque ex brachio educendus

cendus eſt. Nullibi enim magis nocet, quam in hoc morbo, ſi paucus ſanguis detrahitur; quare etiam ſectio raninarum, quam plures extollunt, non ita tuta videtur. Si ſymptomata valde vrgent, confugiendum eſt ad ſectionem iugularis, vel ad arteriotomen in temporibus. Semper tamen venaeſectio in brachio, etiam in pede, vel praemittenda, vel poſt iugularis ſectionem praecipienda eſt. Detracto maiori modo ſanguinis, ducenda eſt aluus clyſteribus acrioribus. Iterari debent hae lotiones acriores in aluum immittendae, ita tamen, vt alternis vicibus aliae leniores, ex decocto emollientium cum lacte atque oleo, vel etiam ex decocto inteſtinorum pinguium, adhibeantur. Vbi aeger deglutire poteſt, conducunt etiam apozemata laxantia. Ceterum, vbi ſic aluus ducta fuit, danda ſunt decocta rad. Petroſelini, Cichorei, Scorzonerae, herbae Lactucae, Endiuiae, florum Maluae, Papaueris rhoeados, addito Syrupo acetoſitatis Citri, violarum, granatorum et ſimili, vel etiam proficit decoctum acetoſae recentis cum eiusmodi Syrupo. Nec alienae ſunt emulſiones ſupra laudatae (§. 199.), vel ſerum lactis acidulum, lac ebutyratum, &c. Admoueri poſſunt cum his ſupra laudata epiſpaſtica, pediluuia, cucurbitulae, praemiſſa ſcarificatione, et omnia, quae ad auertendum ſanguinis aditum proficere poſſunt.

§. 206.

Nec omittenda ſunt topica, quae duplicis generis ſunt. Alia, quae faucibus admouentur: alia, quae collo extrinſecus ſuperdantur. In faucibus ſedulo diſtinguenda ſunt tempora. In morbo idiopathico inflammatorio et ab initio, increſcente adhuc inflammatione, proficit vapor ex aceti parte vna et aquae partibus duabus vel tribus, qui vapor per infundibulum traiectus, ore excipiendus eſt, videndum tamen, ne tuſſis moueatur. In hoc caſu etiam proficiunt Gargarismi ex reprimentibus, additis tamen et emollientibus. Non ita bona, nec tamen aliena ſunt ſupra laudata Elaeoſacchara. Pauperibus proficit aqua ſimplex cum aceto et

pauco

pauco nitro. Oxycrato etiam adiici potest Roob mororum, ribesiorum, vel ex his parati Syrupi. Sedulo vero observandum est, vt talia ita admoueantur, ne maior fiat in faucibus irritatio, et ne vel tussis, vel vomitus cieatur. Nec facile decocta per siphonem immittenda, nec illi linctus penicillo illiniendi sunt, sed saltem in ore continendi. Vbi iam putredo imminet, id quod ex halitu oris foetido, et ex mutato colore partium inflammatarum intelligitur, adhiberi oportet Spiritus salis cum melle rosato remiscendus.

§. 207.

Extrinsecus collo admoueri debent olea calida, liliorum alborum, flor. Chamomillae, aliaque emollientia; vel parari possunt cataplasmata ex emollientibus, nec non epithemata, et videndum est, ne haec refrigescant. Nec aliena sunt emplastra, malacticum, diachylon, de meliloto, quae cum oleo liliorum alborum malaxari possunt. Vbi vero, his omnibus nihil proficientibus, metus est, ne aeger suffocetur, confugiendum est ad anceps auxilium, Bronchotomiam. In victu euitanda sunt omnia calida. Aeger alendus est Cremore hordei, et si febris non valde magna est, gelatinis, succo acido multo imbutis, nec non iusculis.

§. 208.

Si vero inflammatio in suppurationem tendit, adhibenda sunt emollientia in gargarismis. Abscessus tempestiue aperiendi sunt pharyngotomo. Vbi tendit in gangraenam, id quod cum aliis signis foetor oris intolerabilis significat, fauces scarificari possunt scalpello et adhiberi decocta ex amaris, absynthio, ruta, scordio, centaurio minori, addito nitro et sale ammoniaco. Proficit etiam mel rosatum cum spiritu salis. Vbi ob tumorem, aliamue caussam, deglutitio abolita est, corpus nutriri potest per clysteres nutrientes, iuscula in aluum immissa. Sed semper oportet prius intestinum alio decocto eluere, et postea iusculum in illud immittere.

§. 209.

Aliud genus anginae eſt, quod ortum ſuit a veneno alioque acri adſumto, vel ab acriori halitu. In hoc genere, niſi iam inflammatio multum increuerit, nec ſanguis mittendus, nec aluus ducenda eſt, ſed in ore detinenda atque faucibus illinienda ſunt lubricantia, lac calidum, oleum amygdalarum dulcium recens, butyrum recens ſine ſale, decoctum auenae excorticatae, decoctum caricarum pinguium, quibus os frequenter eluendum eſt. De angina ex ptyalismo cum mercurio excitato alibi dicendum erit.

§. 210.

Quod tandem ad notham attinet, in hac aluus ducenda eſt paullo valentioribus, praecipue decocto foliorum Sennae cum Manna. Mouendus etiam eſt ſudor, obſeruato regimine et dato infuſo calido. Gargarismi fieri poſſunt ex radice Biſtortae, Bryoniae, herba Prunellae, Saluiae, Hyſſopi, flor. Sambuci, addito Roob Diamoron. Hoc etiam melle roſato excipi et illini poteſt.

PLEVRITIS ET PERIPNEVMONIA.

§. 211.

Sunt morbi inflammatorii pectoris, et Pleuritis nomen habet a graeco πλευρὰ, quod et latus in genere, et illam omnibus notam membranam ſignificat. CELSVS vocat dolorem laterum. Dicunt vero propriam ſedem Pleuritidis eſſe pleuram et mediaſtinum, Peripneumoniae pulmonem. Saepe tamen hi morbi confunduntur, et ſectio cadauerum docuit frequentius, vtramque partem laborare, praecipue in iis, quorum pulmo pleurae accreuit. Pleuritis vero differt

fert a ſpuria ſeu notha, quae rheumatismi genus eſt, et ſedem habet in muſculis potiſſimum intercoſtalibus, aliisque humerum mouentibus.

§. 212.

His morbis raro laborant infantes, nec facile ii, qui acidum eructant, frequentius vero exercitati. Prioribus enim ſanguis eſt rarior, et qui non facile cogitur, qualis eſſe ſolet exercitatis, quibus etiam maior fibrarum rigor eſſe ſolet. Praecipue vero his morbis obnoxii ſunt plethorici exercitati, et qui crudum ex valentioribus cibis chylum conficiunt, venatores, curſores, equites, cantores, qui ſe potu ſpirituoſo, vino mangoniſato et ſpiritu ardente ingurgitant. Cum his alii, qui aduerſo vento equitant vel currunt, qui nixu, cantu, clamore pectus exercent, et qui poſt vehementem exercitationem ſubito quieſcunt, aërem ſubito mutant, ſanguinis miſſiones, praecipue ſcarificationes, negligunt, e quibus ſudores, catamenia, haemorrhoides, alias fluere ſolitae, non proueniunt. Saepe morbus, praecipue Peripneumonia, epidemica eſt. Pleuritis etiam a cauſſa violenta, ictu extrinſecus illato, oritur. Tempeſtatum varietates et hic plurimum conferunt, maxime vero ſubito irruens frigus.

§. 213.

Qui vtrumque morbum accuratius diſtinguere volunt, differentias petunt a cauſſis. Dicunt, Pleuritidem veram plerumque a cauſſa violenta naſci, ab ictu, vel fortiori corporis nixu. Peripneumoniam vero fieri ex gelido aëre corpori repente admiſſo, a potu frigido, a vehementi exercitatione in aëre gelido, praecipue ſi pulmones multum exerceantur. Peripneumoniam vero fieri ex repentinis tempeſtatum mutationibus, et ſi auſtrum excipit aquilo. A vero autem propius abeſt, in pleuritide dolorem eſſe acutum, pungentem, qui tempore inſpirationis, quae parua et frequens eſt, acerbior ſit: in Peripneumonia vero praecordiorum

diorum maiorem anxietatem, cum dolore obſcuro et maiori ſuffocationis metu eſſe. In pleuritide pulſus eſt durus, ſed paruus, quia per non ſatis dilatatos pulmones paucus ſanguis in cor ſiniſtrum influit: eſt etiam ſerratus et valde renitens: in peripneumonia pulſus mollis eſſe ſolet. Accidere tamen poteſt, vt ex pleuritide omnia haec ſymptomata oriantur. Nam ſi propter dolorem pectus ſatis dilatari nequit, coacervatur ſanguis in pulmone, et eius non niſi paucum in cor ſiniſtrum fertur, vnde pulſus ſub finem mollis, cum ſummo praefocationis metu, oriri poteſt. Praeterea in pleuritide aegri fere ſola diaphragmatis et muſculorum abdominis actione reſpirant, quum reliqui muſculi inflammati vix agere queant, et tuſſis ſicca eſt. In peripneumonia vero ſaepe a nimio ſanguine laborantibus pulmonibus fit obnubilatio ſenſuum, quia venae iugulares non recte in cauam euacuari poſſunt. Eſt etiam in hac et celerior et copioſior ſputi cruenti reiectio.

§. 214.

Quaeritur potiſſimum: num etiam vera pleuritis ſolui poſſit ſputo cruento? id quod plures negant. Alii adfirmant, in pleuritide ſputum magis tenue, et in peripneumonia magis coctum craſſumque eſſe. Hoc certum eſt, frequentius et copioſius eſſe ſputum peripneumonia laborantibus. Incidere tamen poteſt, vt materia mobilis facta, per venas intercoſtales abſorberi, et per venam ſine pari et cauam ad pulmones ferri poſſit in cor, et deinceps per arterias excerni. Praeterea nexum eſſe inter venam ſine pari, inter arterias venasque bronchiales, inter has et oeſophagum, Anatome docuit. Vid. LANCISIVS *de Vena ſine pari*, in MORGAGNI *Aduerſar. anatom.* WINSLOW *Expoſit. Anatom. Traité de la poitrine* §. 116. et Doctiſſ. GÜNZII *Diſſert. de Deriuatione puris ex pectore in bronchia.*

§. 215.

§. 215.

In hoc vtroque morbo eſt febris cum laeſa reſpiratione. Sunt vero hae inflammatoriae febres interdum idiopathicae, quae ex cauſſis hactenus dictis oriuntur. Saepe vero praecipue Pleuritis eſt ſymptomatica, et oritur ex aliis morbis, maxime exanthematicis, variolis, morbillis, nec non ex angina, ex repreſſa podagra, ſi eiusmodi morbi mala materia in pectus conuertitur. Symptomatici morbi ſumme periculoſi et ſaepe funeſti ſunt. Obſeruarunt nonnulli, Pleuritidem frequentius experiri eos, quibus vena ſine pari mox ſub aorta ſita eſt, ita, vt illa ab hac, propter turgeſcentem ſanguinem diſtenta, poſſit comprimi.

§. 216.

Soluuntur hi morbi, et praecipue Peripneumonia, ſputo cruento, quod et tertio quartoque die tuſſicula excernitur. Accedit vrina craſſa, multoque ſedimento turgida, cum ſudore. Aliquando, frequentius tamen Pleuritis, raro Peripneumonia, ſoluitur magna haemorrhagia narium et haemorrhoidibus, raro, interdum tamen, diarrhoea critica, atque excretione per aluum mucoſa, flaua, bilioſa, cum ſtriis ſanguineis. Nonnumquam fiunt metaſtaſes, intumeſcentibus parotidibus, vel ortis abſceſſibus in partibus externis, ipſisque artubus. Si morte finitur morbus, aegri interdum, praecipue ſi ſanguis detractus non fuit, ſuffocantur. Frequentius vero inflammatio tendit in gangraenam, id quod cognoſcimus ex omnibus, quae in gangraena ſunt, ſignis. Quibus vero gangraena imminet, illis vel ſputum nullum eſt, vel tenue, bilioſum, foetidum, et reſpiratio valde laborioſa fit cum ſtrepitu et ſibilo. Saepe etiam inflammatio in ſuppurationem tendit, et ex peripneumonia fit vomica, et ex hac tandem empyema ſpurium veraque phthiſis, ex pleuritide empyema verum. Suppurationem futuram eſſe cognoſcimus, ſi febris ſine criſi, et ſine mutatione facta in vrina, atque ſine ſputo ſe paullatim remit-

tit, ex acuta lenta fit, et ſi haec cum frequenti horripilatione eſt, quae potiſſimum horis veſpertinis aegrum afficit, et ſi dolor acutus in obſcurum, grauem mutatur. In pulmonibus etiam interdum ſcirrhi relinquuntur, praecipue, ſi peripneumonia nimium euacuantibus vel calidis etiam medicamentis curata fuit. His omnibus, ſi tenuata fuit febris, manet impedita reſpiratio et tuſſicula, accedit totius corporis tabes. Quae ceteroquin de his morbis ſperari aut timeri debent, oſtendit febris, reſpiratio, puris excretio et lingua. Pus copioſum, laeue, ſtriis ſanguineis diſtinctum, flaueſcens, craſſum et coctum, cuius copioſior excretio reſpirationem leuat, bonum eſt. Sputum malum eſt, ab initio valde concretum, flauum, bilioſum, tenue, ſpumoſum, coenoſum, obſcuri coloris, et quo ſymptomata non leuantur. Signum ex pulſu in his febribus multum fallit. Si vero pulſus in pleuritide durus repente mollis fit, et ex forti debilis vel inaequalis, intermittens et prorſus euaneſcens, peſſimum eſt ſignum, praecipue, ſi anxietas accedit. Orthopnoea et reſpiratio cum ſtrepitu et ſtridore, cordis palpitatio, peſſima ſigna ſunt, cum his etiam vrina albicans et aquoſa, praecipue, ſi, quae ab initio cocta fuerat, in talem mutetur. Sanguis ex vena miſſus, ſi in eo tenax et craſſius coagulum eſt, magnam eſſe inflammationem ſignificat. Si vero ſanguis valde rubicundus eſt, non cogitur, et ſi praecipue cum hoc eſt magna imbecillitas, et vrina mox primo alteroue die ſedimentum demittit, tunc febris maligna eſt et periculoſa. Si per tempus cruditatis frequentius aquoſa crudaque, vel bilioſa per aluum deſcendunt, id mali morbi teſtimonium eſt. Nonnumquam tamen peripneumonia ſoluitur deiectionibus materiae copioſae, purulentae, flaueſcentis, id quod tempore critico cum aliis bonis ſignis contingit. Haemorrhagia critica eſſe debet magna, nam pauca et hic peſſima eſt. Pleuritis ſi in phrenitidem mutatur, ad vltima ventum eſſe teſtatur. Hanc futuram eſſe ſignificat, ſi, leuato paullulum in pectore dolore, facies mutatur, oculi torui fiunt, inſtabiles quaſi, tumidi. Si vero in pleuritide, praecipue

poſt

poſt ſanguinis miſſionem, dolor diſtenditur, et verſus ſcapulas dorſumque procedit, ſpes eſt, ſolutum iri morbum. Si mala materia in alia viſcera, veluti iecur, conuertitur, malum eſt. Dolores artuum boni ſunt; ſingultus, praecipue circa ſeptimum, nec non hemiplegia, mortem inſtare ſignificant.

§. 217.

In horum morborum curatione multum diſputari ſolet de ſanguinis miſſione, quam in pleuritide neceſſariam eſſe vix non omnes concedunt, in peripneumonia nonnulli negant. Verum eſt, aliquando in peripneumonia, ſi ſymptomata non ita vrgent, et inflammationem non ita magnam ac profundam eſſe oſtendunt, ſi mox ſputum, illudque bonum, adparet, eam non ſolum non neceſſariam eſſe, ſed fieri etiam poſſe, vt ipſa excretio per ſputum turbetur, et lenta febris pulmonumque ſcirrhus relinquatur. Nec ſanguinis miſſio bona eſt in pleuritide ſymptomatica et ex aliis morbis orta, nec non ſi febrim magna imbecillitas, crebriores crudaeque deiectiones, et epidemica conſtitutio oſtendunt. Illa vero neceſſaria eſt, etiam in peripneumonia, ſi corpus multo ſanguine abundat, ſi febris vehemens eſt, reſpiratio impedita et ſuffocationis metus, in quo caſu et in pleuritide etiam plurimum ſanguinis, et iteratis etiam miſſionibus, detrahendum eſt.

§. 218.

Magna olim controuerſia fuit de loco, ex quo ſanguis mittendus eſt. Si inflammatio adeſt, illaque vehementer increſcit, mox eius plurimum detrahi debet ex brachio lateris dolentis, et poſtea iterari poteſt in pede. Sanguis Imo, Ildo IIItioque die, ſi ingraueſcentia ſymptomata illud deſiderant, mitti poteſt; poſt quartum autem diem ſanguinis miſſio non ita bona eſt, vrgente tamen neceſſitate, et ſi ſuffocatio imminet, ſexto etiam ſeptimoque die ſanguinem mitti oportet.

§. 219.

Valde neceſſariae cum his ſunt lotiones crebrius in aluum immittendae, quae parari poſſunt ex ſero lactis, addito melle, nitro, et ſale prunellae, vel ex decocto emollientium. Numquam calidae ſint, ſed tepidae. Reliqua curatio abſoluitur diluentibus et ſaponaceis, et optimum eſt oxymel, cuius vncia j. vel vna cum dimidia admiſceri poteſt decocto hordei, vel aquis deſtillatis, Scabioſae, Veronicae, addito ſyrupo de Althea. Etiam proficit decoctum radicis Altheae, Glycyrrhizae, Graminis, cui ſyrupus de Althea Fernelii cum pauco nitro addi debet. Eiusmodi decocti vero aeger plurimum et omni dimidia hora vnciam vnam imo et alteram ſumat. Nec alienae ſunt emulſiones ex ſemine Cardui Mariae, ſeminibus frigidis, papaueris et ex amygdalis, addito pauxillo nitri et antimonii diaphoretici. Decoctum dilutius auenae cum paſſulis *ευπορίστον* eſt. Illud tamen cauendum eſt, ne, dato oxymelle, vel quodam ſyrupo, periculoſior ſiat diarrhoea ſymptomatica. In pleuritide quae ſine ſputo eſt, et in qua adhuc ſperari poteſt diſcuſſio, dari poſſunt interdum puluere cum nitro et antimonio diaphoretico; vbi vero excretio fit per pulmones, terrea aliena ſunt, quippe quae ſputum minus mobile reddunt. In ſenibus atque imbecillibus, quorum pulmones atonia laborare videntur, proficit extractum Caſcarillae cum aqua paratum. Nonnulli in hoc caſu extollunt corticem Peruuianum.

§. 220.

Vbi autem coctionis ſigna apparent, dari poſſunt infuſa calida, radicis Cichorei, Saſſaparillae, herbae Veronicae, Chaerephylli, Capillorum Veneris flor. Sambuci, Chamomillae Romanae, ſem. Foeniculi, Aniſi ſtellati, cum Syrupo de Althea vel Capillorum Veneris. Etiam proficit et expectorationem adiuuat Eſſent. Glycyrrhizae cum Eſſent. Pimpinellae albae et Caſcarillae. Ad expectorationem iuuandam etiam alia bechica proficiunt, ſupra laudata eclegmata,

mata, decoctum Glycyrrhizae, Paſſularum, Caricarum pinguium. Etiam ſyrupus Capillorum Veneris, ſyrupus de Althea, infuſis calidis loco ſacchari admiſceri poteſt. Poſt reſolutionem et ceſſante ſputo per aliquot horas dari poteſt infuſum aquoſum, cum Eſſent. alexipharmaca vel Tinctura antimonii.

§. 221.

Regimen ſeruandum eſt, et ante omnia vitandus nimius calor. Extrinſecus, dum dolor vrget, loco adfecto admoueri poſſunt fomenta ex emollientibus, veſicae cum lacte calido et oleo liliorum alborum repletae. Proſtant in officinis vnguenta, antipleuritica dicta. Si ſymptomata vehementiora ſunt, parti dolenti et vicinis admoueri poſſunt cucurbitulae, tum ſiccae, tum etiam praemiſſa ſcarificatione. In corporibus raris proficiunt veſicatoria, ſi, vrgente dolore, ſuris artubusque inferioribus imponuntur.

HEPATITIS.

§. 222.

Iecur, quod copioſiſſima vaſa habet, raro inflammari ſolet. Frequentius in eo oriri videtur obſtructio, raro in veram profundamque inflammationem tendit. Ex obſtructione crebrius fit ſcirrhus, immo hepar nonnumquam in immenſam molem increſcit. Ex ſcirrho hepatis hydrops aſcites naſcitur, quod vaſa lymphatica copioſiora, ex hepate educta, a mole huius indurati viſceris compreſſa, a quieſcente humore diſtenta, tandem rumpuntur. Etiam accidere ſolet, vt hepar, ſine magnae inflammationis notis praegreſſis, purulentum fiat, id quod a corruptis humoribus, partim in ipſo hoc viſcere natis, partim aliunde ad illud per metaſtaſin delatis, fieri ſolet.

§. 223.

§. 223.

Duplicem vero notauerunt inflammationem Auctores. Aliquando enim, et forte etiam frequentius, inflammari poteſt pars exterior, cum ligamentis et peritoneo, quae inflammatio, ſi non ita magna eſt, nec profunda, difficilius dignoſcitur. Alterum autem inflammationis genus interiora occupat, quae incipit cum magno horrore, quem excipit aeſtus, ſitis, ſumma reſpirandi difficultas, vomitus, ſingultus. In hac ſpecie hepatitidis color faciei totiusque cutis fit ictericus. Vrina craſſa eſt, turbida, pulſus celer, aſt non ita durus et magnus, hypochondrii dextri accedit dolor. Inflammatio haec ſubinde a cauſſis externis, vehementiori ictu et vulnere, proficiſcitur. Si a cauſſis internis oritur, occaſionem ei dare ſolent malus corporis habitus et cachexia quaeuis, praeſertim atrabilaria, vitium pancreatis, lienis, rheumatiſmi per metaſtaſin et poſt vſum externorum huc delati, arthritide et podagra male curatis, haemorrhagiarum ſuppreſſio, ira vehementior, moeror, potus frigidus calente corpore ſumtus, &c. Soluitur quandoque inflammatio non ita profunda multo ſudore, vrina cum ſedimento, interdum etiam deiectionibus biliosis, quae vero eſſe debent cum coctionis ſignis. Aliquando enim euenire ſolet, vt, ſi deiectiones poſt ſe remittentem febrem purulentae fiant, cum ſumma proſtratione virium, mors in propinquo ſit. Nam inflammatio vehementior plerumque in gangraenam ruit, raro ſoluitur magna multaque haemorrhagia.

§. 224.

Abſceſſum futurum eſſe intelligitur, ſi febris dolorque ſine mutatione in vrina ſe plurimum remittunt, manente febricula lenta, cum tuſſi ſicca et ſpirandi difficultate. Color cutis ictericus cum his non in melius mutatur, ſed fere in peius. Talis abſceſſus ſi rumpitur, pus effluit in abdomen, et aeger tabe perit. Aliquando, prout dictum eſt, pus per poros biliarios et ductum cholodochum in inteſtina fertur,

id

id quod raro feliciter cedit, praecipue ſi illud non ſincerum, ſed cum eo multa purulenta, ſanguinolenta, foetidaque per aluum deſcendunt. Manet enim verus fluxus hepaticus. Raro etiam tumores abſceſſusque fiunt in parte gibba hepatis, vt eo loco etiam muſculi abdominis, praecipue ſi peritonaeo hepar inhaereſcit, intumeſcant. Plerumque tamen, vt dictum eſt (§. 222.), inflammatio in ſcirrhum mutatur. Vrina, ſi ſedimentum habet, bona eſt; ſi vero illa turbida, bilioſa, obſcura, matulam colore albicante inficit, nullum ſedimentum demittit, peſſima eſt.

§. 225.

In curatione ſanguinis miſſio non ſemper neceſſaria eſt. Protinus ad hanc confugiendum eſt, ſi ictus vehementior hypochondriis fuit illatus, et ex hoc metuenda eſt inflammatio; item etiam, ſi in inflammatione ab internis cauſſis orta febris mox vehementior et dolor profundior eſt. Nocere vero poteſt, ſi iam lenta vel vehementior inflammatio ad ſuppurationem ſpectat. Lenta illa et obſcura inflammatio ſanguinis miſſione ſaepe mutatur in ſcirrhum. Etiam in hoc caſu, ſiue praemiſſa fuerit Venaeſectio, ſiue omiſſa, protinus adhibenda ſunt ſaepe laudata enemata, praecipue decoctum Tamarindorum, Prunorum ſiccatorum, addito nitro, nec non decoctum herbarum emollientium cum lacte et ſero lactis, addito melle. Potioni danda ſunt et adfatim haurienda decocta, praecipue herbae acetoſae cum ſero lactis, vel ptiſana cum ſuccis et ſyrupis acidis. Cum his dari poſſunt oxymel ſimplex, ſuccus acidus Citri, cui adiici poſſunt lapides cancrorum. Prima ſunt in curatione diluentia. Potioni praeſtanda eſt vel ptiſana, vel aqua Selterana. Parari etiam poteſt decoctum radicis Graminis, Scorzonerae, Taraxaci, Cichorei, flor. Papaueris rhoeados, Verbaſci, Chamomillae, cui decocto adiici poteſt ſyrupus Violarum, vel quinque radicum aperientium, aut ſimilis. Si vero coctionis ſigna in vrina conſpiciuntur, dari poteſt decoctum vel infuſum calidum, ex radice Cichorei, Apii, herba Chaerophylli,

phylli, Saluiae, floribus Rosarum, Sambuci, &c. Si resolutio fieri coepit cum aegrotantis euphoria, cum tali infuso dari possunt pauciores guttulae Essentiae alexipharmacae cum Liquore anodyno.

§. 226.

Si dolor vehemens est, extrinsecus imponi possunt emollientia, praecipue flores Sambuci ex lacte cocti, quo decocto repleri potest vesica et imponi. HOFFMANNVS extollit epithemata ex herba Scordii, Cardui benedicti, Absynthii, Rutae, floribus Sambuci, Chamomillae romanae, quae herbae coqui debent ex vino cum aqua, et imponi. Emollientia vero, si inflammatio vehementior profundiorque est, fere praeferri merentur. Si tumor sub cute percipitur, isque attollitur, dolorque pulsans, aliaque symptomata docent, abscessum futurum esse, sine mora imponi debent emollientia, et ex his efficacioribus parata cataplasmata. Tumor maturus factus, sine mora, sectis etiam musculis abdominis et peritonaeo, incidendus est, atque abscessus purgandus. Raro tamen res bene cedit, et plerumque aeger tabidus perit. Pus aequale, boni coloris, coctum, nullum odorem spirans, aliquam spem facit. Si vero illud sanioſum, flauum, nigricans, foetidum, specillum argenteum peregrino colore inficit, mors imminet lenta. Aegrum conualuisse cum ceteris docent, si tum facies, tum ea, quae per aluum efferuntur, naturalem colorem habent. Vid. quae infra dicentur de Ictero.

INFLAMMATIO VENTRICVLI.

§. 227.

Est vel idiopathica, vel symptomatica. Prior autem oritur quandoque a vulnere, de quo in Chirurgia dicendum. Praeterea a rodentibus acribusque, tum venenis, tum medicamentis, tum etiam alimentis. Inter medica-

mente

menta primo loco ſunt draſtica emetica et purgantia, praecipue ſi talia protinus poſt iram, et bilem in ventriculum effuſam, ſumuntur. Etiam inflammationem ex abuſu vini aduſti fieri, experientia cognitum eſt. Symptomatica vero inflammatio, quae frequentior eſt, oritur in febribus malignis, ex repreſſis exanthematibus. Ceteroquin etiam inflammatio fieri poteſt in febribus peſtilentibus a deglutita ſalira, ſi illa contagio infecta fuit. Non ſolum in febribus, ſed poſt vehementem etiam exercitationem ea naſcitur, ſi calente corpore frigidus potus ingeritur.

§. 228.

Haec inflammatio cognoſcitur interdum ex praegreſſa cauſſa, et ſi aeger, cum aliis febris inflammatoriae ſignis, conqueritur de ſummo ardore et dolore praecordiorum. Sed ventriculus alium ſitum habet, vbi is vacuus eſt et ieiunus, alium vero, vbi plenus eſt. Pro vario hoc ſitu variat etiam dolor. Certius ſignum eſt, ſi aeger protinus, poſtquam aliquid aſſumſit, nouam exacerbationem doloris ſentit, et illud, quod adſumtum fuit, inter vehementiores cruciatus, vomitu iterum reiicit. Spaſmos varios, varias etiam corporis partes adficientes, ex huius neruoſi viſceris inflammatione oriri, experientia docet. Accedit ſitis ferina, reſpiratio breuis, pulſus durus, per dolorem impeditior, creberrimus, vomitus ſummo cum dolore, anima foetida, cum frequenti ſingultu atque delirio. Aeger conuulſus moritur, et ſub finem deglutitio ſonora fit. Haec tamen ſymptomata non ita vehementia ſunt, ſi lentum venenum datum fuit, vel ſi ex aliis cauſſis, ab acriore etiam bile, morbus ortus fuit. Confundi poteſt cum aliis inflammationibus, v. g. iecinoris, maxime illius eius partis, quae ventriculo incumbit. Diſtinguitur ſymptomatum vehementia, quae in ventriculi inflammatione acerbiora. In cardialgia dolor fere eſt idem, ſed nulla adeſt febris. Rarum eſt, ex inflammatione ſcirrhum oriri. Quibus hoc incidit, ii ſine febre ſunt, omnia autem, quae aſſumunt, vomitu

reii-

reiiciunt, et tabidi moriuntur. In diſſectis poſt mortem cadaueribus notabile diſcrimen eſt inter eroſionem ventriculi, quae a ſolis venenis rodentibus, arſenico prae ceteris, oritur, et inter inflammationem, cuius variae occaſiones eſſe poſſunt. Vbi eroſio eſt cum aliis inflammationis ſignis, deducta et abraſa tunica villoſa cum aſſumtis in ventriculo fluctuat, quamuis mutata; adhuc ceteris tunicis adhaeret in ſimplici inflammatione. Hoc in Medicina forenſi, et ſi de dato veneno ſuſpicio eſt, notari oportet.

§. 229.

Summum huius inflammationis periculum eſt, nec ſeruari poſſunt, niſi, quibus minimum diſtans curatio adhibetur. Peior tamen eſt inflammatio ſymptomatica, et quae oritur ex febribus exanthematicis, vel podagra in ventriculum conuerſa. Signa peſſima ſunt, ſonora deglutitio, diarrhoea, ſudor frigidus, ſingultus, conuulſio, delirium.

§. 230.

In curatione ſanguinis miſſio tunc tandem neceſſaria eſt, quando in corpore robuſto pulſus iam celerior fortisque eſſe ſolet. Nocere poteſt in febribus exanthematicis et inflammatione ſymptomatica. Si vero inflammatio a veneno aut draſtico emetico vel purgante orta fuit, certiſſimum auxilium eſt vomitus, qui, ingeſtis copioſioribus diluentibus et pinguibus, ita tamen cietur, vt talia crebrius, ſed pauca in quantitate deglutiantur. Primum eſt aqua calida et cum hac lac calidum, cremor lactis, oleum quoduis vegetabile, dulce, non rancidum, quae omnia cum aqua calida remiſceri debent. Optimum eſt lac dilutius tepidum, cum multo butyro non ſalito. Si inflammatio lenta eſt, parari poſſunt decocta ex furfure, ex auena excorticata, ex herba Lactucae, floribus Verbaſci, Maluae, Papaueris erratici, addito ſyrupo de Althea, vel ſyrupo Violarum, vel etiam emulſio ex amygdalis, pineis, ſeminibus frigidis, &c. Simul cum his protinus in aluum immitti debent atque iterari

lotio-

lotiones, ex decocto emollientium cum lacte, addito oleo et nitro. Extrinsecus emollientia ventriculo imponi possunt, praecipue vesica oleo calido plena. His enim et dictis lotionibus spasmi, qui semper in laborantibus partibus fiunt, mitigantur. Nihil magis nocet, quam si dantur frigida, vel etiam adstringentia specifica, crystallus montana, terrae sigillatae, vel etiam theriaca et similia. Postquam mala materia vomitu exturbata fuit, lene conducit sopiens, Diacodium Montani, quod cum oleo amygdalarum dulcium misceri potest; item Theriaca et Diascordium Fracastorii.

§. 231.

Si inflammatio a bile effusa post vehementiorem iram orta fuit, etiam dari debet multa aqua tepida cum melle, roob ribesiorum, et si dolor iam vehemens est, cum oleo amygdalarum dulcium. Praeter ea bilem obtundunt iuscula tenuiora pullorum, vel carnis vitulinae, cum herba acetosae vel multis passulis minoribus decocta. Prosunt etiam decoctum hordei, Tamarindorum, Scorzonerae, Passularum. Aegre ferre solet ventriculus puluerulenta et nitrosa, aliquando tamen, et quidem mox ab initio, antequam inflammationis signa deprehenduntur, proficit Magnesia, addito nitro.

§. 232.

In inflammatione, quae orta fuit ex febre exanthematica, plerumque maximum periculum est. Mutandum est regimen, et dari debent emulsiones ex aquis diapnoicis, semine Cardui Mariae et Amygdalis. Aliquando inflammatio ventriculi in febribus pestilentibus oritur, si contagium saliuam infestauit, et si in ventriculum descendit. Prostant obseruationes, in peste repertos fuisse in supremo ventriculo anthraces. Alibi (§. 60. 61.) consilium datum fuit de vomitorio in similibus casibus exhibendo, id quod fieri potest, vbi pulsus aliaque significant, nullam adesse inflammationem febremque, et vbi sine his aeger intolerabili

nauſea vexatur. Non alia emetica locum inueniunt, quam quae nullam habent acrimoniam. Vbi vero nauſea eſt cum febre et inflammationis ſignis, vomitorium mortem maturare poteſt.

NEPHRITIS.

§. 233.

Cuius tria genera ſunt, vera, ſeu inflammatoria, ſpuria, ſeu rheumatica et calculoſa. Haec quandoque ex inflammatoria oritur, ſaepe in eam degenerat. Inflammatio interdum non niſi exteriora renis occupat, et quaſi erysipelatodes eſt; aliquando vero profundior, quae totum renem tenet, et quae non raro in ſuppurationem tendit. Spuria, ſeu rheumatica ſedem habet in muſculis externis horumque tendinibus et variis membranis. Calculoſa tandem oritur, ſi tartarus in ipſo rene, eius pelui, vel tubulis Bellini concreſcit, qui in dies mole augetur. Calculus, ſi a re quauis commouetur, oriuntur ex eo etiam ſpaſmi et nonnumquam inflammationes, atque ab his vehementes vtriusque generis dolores.

§. 234.

Omnes hi morbi in eo conueniunt, vt lumbi doleant, eorumque illa praecipue pars, quae a dorſi ſpina propior eſt. Dolor tamen quaedam diſcrimina habet. In inflammatione is ab initio profundus eſt, obſcurus, mox ardens, pulſans atque inflammatorius. Per conſenſum etiam dolor eſt partium vicinarum, qui acerbior fit, vbi corpus erigitur vel inclinatur. Accedunt alia inflammationis ſigna, praecipue febris. Plerumque etiam vnum latus magis dolet altero. Febris tamen in hoc genere inflammationis plerumque non ita vehemens eſt, ac eſſe ſolet, ſi partes neruoſae inflammantur. Aegri conqueruntur de dolore ac ſtupore

pedis

pedis atque teſticuli illius lateris. Vrina ab initio pauca eſt, rubicunda, aſt vero, ſi malum increuerit, et maior facta eſt obſtructio, pallida et aquoſa. Accedunt frequentes vomitus, vomendique conatus, pertinaces alui obſtructiones, quae omnia oriuntur propter conſenſum, quem renes et vreteres habent per neruos cum meſenterio, ventriculo, inteſtinis, vnde ſpaſmi, dolores, ſtupores atque conuulſiones harum partium ex nephritide oriuntur.

§. 235.

In nephritide ſpuria, quam SYDENHAMIVS *lumbaginem rheumaticam* appellat, dolor ſatis vehemens eſt, ſed ſine febre, qui etiam non niſi alterum latus plerumque infeſtat, aliquando tamen vtrumque. Dolor ſi interdum remittit, mox iterum exaſperatur. Aeger vero vel numquam vomit. In nephritide calculoſa, quamdiu calculus quieſcit, grauitatis cuiusdam in lumbis ſenſus eſt, qui curſu omnique motu augetur. Si vero calculus a variis rebus, victu crudo flatulentoque, potu meraco, exercitatione, animi pathemate, Venere, &c. commouetur, dolor vrget vehementius, accedit colica, nauſea frequens, bilioſus vomitus, vrinae et deſidendi crebra cupiditas, ſed magna difficultas, vel tenesmus. Interdum nihil per veſicam, et nec per aluum ſpiritus redditur. Si vrina non prorſus ſuppreſſa eſt, illa paullatim redditur et per guttas interdum ſine voluntate deſtillat, eſtque pallida et aquae ſimilis. Pulſus ſatis compoſitus et ſine febre, ſaepe plenus et durus. Inter ſpasmos et vehementes cruciatus calculus per vreterem deſcendit, quem aeger in inguine ſentit. Leuamen adfert, et calculi excretionem maturat, vomitus, praecipue bilioſus. Irritum vomendi conatum nulla ſequitur excretio. Vbi calculus in veſicam deuolutus fuit, aeger protinus leuamen ſentit, et niſi calculus interdum vrethram praecludat, vrina multa craſſa, arenoſa, interdum etiam aliquid ſanguinis trahens, redditur. Quandoque difficile eſt hanc colicam nephriticam a ſimplici diſtinguere. In ea dolor eam-

dem ſedem infeſtat; in hac vero anterius in abdomine circa vmbilicum inteſtina quaſi conuertuntur, et dolor ſe per interualla remittit, vel ſedem mutat. A dolore iſchiadico diſcernitur nephritis vrinae potiſſimum excretione, quae in dolore iſchiadico libera eſt, in hac vero impedita. Dolor etiam non tam lumbos, quam coxas tenet.

§. 236.

Nephritis inflammatoria raro diſcutitur. Hoc fit, quando cum aliis bonis et coctionis ſignis vrina mittitur copioſa, ruffa, craſſa, vel aliquando in foeminis menſtrua proueniunt, et tunc omnes ſpasmi aliaque ſymptomata ſe remittunt. Si inflammatio profundior eſt, ea non raro tendit in ſuppurationem, et relinquit vlcus malignum in rene. Immo ex inflammatione ortoque pure ſaepe calculi naſcuntur, dum pus cum materia tartarea concreſcit. Calculus vero maior, qui vel in rene haeret, vel in vretere, inflammationem mouere poteſt. Haec inflammatio, quae in rene interiori incipit, non tam facile in gangraenam ruit, propter ſalſum, quo lotium abundat, et quo putredo auertitur. Inflammationem ad ſuppurationem ſpectare ſignificat febris, ſe communibus ſuis ſymptomatibus, ſine facta notabili excretione, remittens, manente horripilatione et febricula vaga. Suppurationem futuram eſſe confirmat vrina arenoſa, foetida, cum qua purulentum redditur. Vlcus in rene latius ſerpit, et interdum totum renem exedit, ita, vt nonnumquam non niſi exterius velamentum, et quaſi veſica quaedam fuerit relicta et poſt obitum reperta. Sequitur tabes renalis, tandem funeſta. Et nephritis inflammatoria et ſpuria interdum haemorrhoidum, interdum etiam menſium fluxu ſoluuntur. Inflammationem in gangraenam mutari diſcimus, ſi poſt vehementiora ſymptomata, febrem prae ceteris, quae ingentem feruorem habuit, dolor ſe protinus ſine leuamine remittit, ſi vrina craſſa, foetida eſt, atque carunculas trahit, et ſi alia ſigna ortae gangraenae accedunt.

§. 237.

§. 237.

Nephritide inflammatoria frequentius laborant plethorici, quibus haemorrhoides et catamenia non recte fluunt; arthritici, qui valentioris generis potu et Venere abutuntur, qui aduerſus gonorrhoeam multa diuretica et balſamica ſumſerunt, qui cantharidibus, aphrodiſiacis, aliisque ſtimulantibus abuſi ſunt, quibus aluus ſegnior eſt, qui ſub ſomno ſupini in lectulis molliter cubant, qui potu parciore vtuntur, nimium quieſcunt, vt ſanguis etiam quiete concreſcat et iuſto craſſior fiat, et qui exercitatione quadam, praeſertim curru vel equo vecti, renes ſuccutiunt, et copioſiori ſanguini ad eos aditum faciunt. Hoc etiam ſub valido nixu fieri poteſt, dum pondus aliquod leuant, quoniam ſub eo, dum pulmo valide diſtenditur, ſanguis maiori impetu in vaſa maiora et etiam in arterias propellitur. Inflammantur etiam renes ex vulnere ictuque illis illato. Nephritis inter morbos eſt, qui per haereditatem propagantur. Alia eius occaſio eſt, ſi renes ab iis comprimuntur, quibus colon multum diſtenditur. Si quaedam morbi materia per renes educitur, facile in minoribus tubulis oriri poteſt obſtructio et inflammatio. Inflammationem etiam ab arenulis, nec non iam concretis calculis produci, dictum fuit.

§. 238.

Nephritis calculoſa ſaepe ex inflammatoria relinquitur. Materia vero tartarea ſeu calculoſa conſtare videtur ex terra, ſale, praecipue vegetabili acido, accedente oleo rancido, ipſoque aëre, quae inter ſe concreuerunt. Augetur tartarus potione quauis meraca, fermenteſcente, vino inprimis, quod copioſum tartarum habet, nec non caſeo, in quo multa terra eſt, cum acido et oleo, quod rancidum fit. Obſeruatio docuit, multum conferre decubitum ſupinum in lectulis mollioribus, quo maior ſanguinis aditus datur ad renes calore nimio adfectos. Etiam ſic decumbentibus vrina non ita bene in veſica deſtillatur.

§. 239.

In curatione nephritidis inflammatoriae iam ſupra dictum fuit, conſiderandam eſſe vrinam, quae ſi craſſa eſt, rubra, et ſedimento abundans, tolerabilior eſſe ſolet. Longe peior alba et aquoſa, quae vehementiorem obſtructionem et malae materiae infarctum oſtendit. Funeſta vero eſt nigra, foetida, cum carunculis praecipue, ſi alia ſphaceli ſigna accedunt. Si in hac nephritide vera aeger plethora laborat, et febris protinus vehemens eſt, ſanguis mox ab initio mitti poteſt ex brachio. Habenda tamen ratio haemorrhoidum et menſtruorum, quae ſi inſtare videntur, fatius eſt, ſanguinem mitti ex talo. Sanguinis miſſio nocere poteſt in corpore infirmo, et ſi lenta valde eſt inflammatio. Poſt ſanguinis miſſionem, eamque largiorem, lumbis et poſt etiam brachiis cucurbitulae, conciſa prius cute, admoueri poſſunt. Dandum vero cum his eſt Apozema antiphlogiſticon. Plurimum etiam proficiunt clyſteres paregorici ex decocto emollientium cum lacte, addito oleo, pauco nitro et melle. Oportet enemata minime calida eſſe. Cum his dari debet potus diluens, aquoſus, addito pauco melle. Optimae ſunt aquae Selteranae maiori in quantitate expotandae. Proficit etiam ſerum lactis, et ſi aeſtus valde vrget, lac ebutyratum vel decoctum radicis Althaeae, Glycyrrhizae, Scorzonerae, cum Paſſulis et Caricis pinguibus, quibus vel ex aqua, vel, id quod melius, ex ſero lactis decoctis, nitrum adiici poteſt. Etiam emulſiones proficiunt dilutiores, cum ſemine papaueris vel diaſcordio et pauco nitro. Sedulo videndum eſt, vt aluus aperta ſit, et quamuis haec ſatis fuerit ſoluta, nihilo minus vtendum eſſe clyſteribus paregoricis et humectantibus. Nocent diuretica, balſamica, ſtimulantia, ex terebinthina et ſimilibus. Neceſſaria eſt abſtinentia, et victus dari debet, qui aegrum ſuſtinet, non qui alit. Nocentiſſima ſunt dyſpepta, flatulenta, aromata, et omnia ſtimulantia, nec non valida exercitatio corporis, et Venus. Extrinſecus admoueri poſſunt emol-

emollientia, vesica decocto vel oleo calido plena. Si suspicio est, haemorrhoidum vel catameniorum profluuium futurum esse, quo saepe nephritis soluitur, fomenta genitalibus, aut locis haemorrhoidalibus admoueri possunt. Vbi malum in remissione consistit, dari debent leniora diuretica, aqua Petroselini, Fragorum, decocta radicis Foeniculi, Petroselini, Graminis, Apii, additis floribus Papaueris rhoeados. Victus tenuis sit, a fame propior, et ex molli blandaque materia, decocto oryzae, hordei, fagopyri, auenae excorticatae.

§. 240.

Si inflammatio suppuratione finitur, idque ex supra dictis signis (§. 237.) cognoscitur, dari debent medicamenta abstergentia, aquae illae diureticae, decoctum ex radice Glycyrrhizae, Foeniculi, Graminis, florum Chamomillae, baccarum Iuniperi, addito Syrupo de Althaea Fernelii. Plurimum tribuunt infuso radicis Pareirae brauae, quod etiam alienum non est. Ex efficacioribus diureticis sunt millepedae, quarum X-XV. circiter conquassari, vino admisceri, sicque propinari possunt. In puluere minorem habent efficaciam. In victu eum in finem proficiunt radix et herba Petroselini et Turiones Asparagi. Ex radice Petroselini parari possunt decocta cum iusculis tenuioribus. Efficacissimum remedium ad repurgandos renes est in aquis mineralibus, quibus, si hectica imminere videtur, lac caprillum vel asininum admisceri potest. Potari debent per vnum alterumque mensem. Si vero harum aquarum copia haberi nequit, saepe dari possunt dilutiores emulsiones ex aquis diureticis, addito syrupo de Althaea vel Capillorum Veneris. In hisce, quibus tabes imminere videtur, plurimum nocent balsama acriora, Thermae et Acidulae valentiores, nimium diuretica vel adstringentia, nec non vehementior corporis exercitatio. Auxilio est victus tenuis, potio aquosa, abstinentia a dyspeptis, aromatis, inebriantibus, Venere &c. Conducit lac cum aquis Selteranis, serum lactis dulce.

§. 241.

Nephritis calculoſa frequens eſſe ſolet corporibus raris et aetate prouectioribus. Si iam calculus renem occupat, illa difficillime curatur. Nec adeo fides habenda videtur ſpecificis medicamentis, quibus calculus ſolui dicitur. Sunt, qui calcis viuae aquam extollunt. Quibus nephritis imminet, illi tempeſtiue materiam tartaream ex renibus eluant potu aquoſo, diuretico, et vſu aquarum mineralium. Vbi vero calculus in renibus commotus eſt, et aeger intolerabili dolore excruciatur, adhibenda ſunt omnia, quae calculi excretionem iuuant. Ante omnia, ſi homo plethoricus eſt, ſanguis mitti debet ex brachio, et eius non parum detrahi. Protinus etiam, et ſingulis fere horis in aluum immitti debent lotiones emollientes, addito minori ſtimulo ex melle et nitro. In balneum ſe demittat aeger, cui adiiciendum decoctum furfuris vel herbarum emollientium. Balneum haud calidum eſſe oportet, ſed tepidum: lumbis admoueantur ſacculi cum emollientibus ex lacte decoctis, vel veſicae oleo emolliente aut ſimili decocto plenae. Vix vllum auxilium eſt in medicamentis, ſi lubricantia excipias, et primum eſt oleum amygdalarum recens ſine igne expreſſum, quod crebrius cum iuſculo calido aut cereuiſia calida ſumi debet, quamuis etiam illud vomitu deiiciatur. Dari etiam poteſt decoctum ex radice Althaeae, Maluae, florum Maluae, Verbaſci, Papaueris rhoeados, addito ſyrupo de Althaea Fernelii. Nec minus conueniunt emulſiones dilutiores, quibus parum nitri adiici poteſt. Temperantia enim et anodyna, ſi pauca in quantitate adhibentur, ſpaſmis medentur, et excretionem iuuant. Quare ſi dolores valde vrgent, et his nihil excernitur, praeter emulſiones cum ſemine papaueris dari poteſt Laudanum Sydenhamii ad gutt. x-xv-xx. pro doſi.

§. 242.

Vbi tandem calculus excretus eſt, renes ab inhaerescentibus ſordibus et arenis repurgari debent, omnibus iis, quae

quae ſupra dicta ſunt (§. 240.). In victu moderatus vſus ceparum concedi poteſt cum potu diluente. Virtutem ſpecificam tribuunt allio, nec non Saponi, de quibus conſulenda eſt experientia. Certioris efficaciae ſunt Thermae et Acidulae, quae tamen alienae ſunt, ſi renes exulcerati relinquuntur, id quod ex vrina purulentum trahente intelligitur. Vitanda eſt calculoſis omnis cruditas, omnis tum animi tum corporis motus, quibus ſanguis cieri poteſt.

DE ILEO MORBO, SEV INTESTINORVM INFLAMMATIONE.

§. 243.

Dicitur CELSO Chordapſus. A Graecorum εἰλεὸς ab εἰλέω, verto, nomen habere videtur. Alii vocant voluulum. Diſtinguunt tamen inter ileum et colicam ex natura ipſius inteſtini, quod adficitur. In inteſtino enim, non cum adſumtis tantum, ſed etiam ex vicinis viſceribus varia feruntur, quae inflammationem, vel prius obſtructionem, et poſt hanc inflammationem mouere poſſunt. Ileus igitur eſt violentus eorum, quae inteſtinis continentur, ſiue ingeſtorum, ſiue ex vaſis huc delatorum, vomitus, cum dolore, alui obſtructione, et aliis ſymptomatibus. Saepiſſime oritur ab hernia incarcerata, aliquando a ſpaſmis fit invaginatio. Hac inteſtina vaginae quaſi in modum ita inuertuntur, vt vna pars alteram ingrediatur, id quod incidere videtur, vbi inteſtina per flatus diſtenta ſpaſmis commouentur, vt ſic pars contracta ampliatam diſtentamque ſubeat. Non raro oritur ileus a fecibus induratis, a rebus deglutitis, v. g. nucleis, aliisque, quibus inteſtinorum iter praecluditur. Occaſio etiam, quamuis rarius, datur, vi ab-

ſceſſus, ſcirrhus, cancer, aliusue tumor, in inteſtinis vel viſceribus etiam vicinis haerens, inteſtina premit et ſic coarctat. Spaſmi etiam, et per hos inteſtinorum varii morbi, oriuntur a vermibus. Nonnumquam ſpaſmi excitantur a frigore, a repreſſis exanthematibus, a cohibito menſium et haemorrhoidum profluuio, ab adſumtis acribus et venenis. Rarum morbi genus eſt, ſi inteſtini coli portio in illum hiatum vrgetur, quem inter muſculorum, diaphragmatis adpendices eſſe nouimus, et per quem naturaliter nerui intercoſtales deſcendunt, id quod cum magna epiploi et pancreatis parte aliquando factum fuiſſe legimus in *Transactionibus Anglicanis in Compend. Vol. V. p.* 266. In hoc caſu ſpaſmi conuulſiuusque, motus diaphragmatis et muſculorum abdominis plurimum conferre videntur. Vide ſingularem in modum coarctatum inteſtinum in RVYSCHII *Obſeruat. medico chirurg. fig.* 74. et ibi etiam inuaginationis exemplum. Hoc optime delineatum vid. in *Ephem. Nat. Curioſ. Cent. VIII. Obſ.* 79. *p.* 382. Controuerſia eſt, num motus periſtaltieus inuerſus et verſus ſuperiora adſcendens in hoc morbo accuſari poſſit; num vero illi frequentes atque conuulſiui motus a ſola diaphragmatis et muſculorum abdominalium contractione oriantur; et num etiam ex colo per Bauhini valuulam alui fex ad ventriculum vsque vrgeri, et vomitu reiici poſſit? Sed prius probant variorum obſeruationes, et in animalibus viuis diſſectis facta experimenta. Diaphragma tamen et muſculos abdominis plurimum ad omnem vomitum et ad hunc etiam retrogradum rerum in inteſtinis haerentium motum, conferre, a vero propius eſt. Valuula illa vero laxari, immo paralytica fieri videtur ſub finem. Nam ex vehementi ſpaſmo relinquitur ſub finem paralyſis. Etiam hoc accidit, ſi inflammatio circa valuulam orta deſiit in ſphacelum.

§. 244.

Inflammationem iam inteſtina tenere praeter ſigna communia inflammationis, indicat dolor manens, acutus, et quaſi

quaſi ardens, a dolore colico ſimplici, vago et ſpaſtico diuerſus. Aluus, quae ab initio ſegnior erat et ſiccior, iam adſtricta eſt, vt nec fex, nec ſpiritus reddantur. Creberrimus eſt vomendi conatus, et vomitus ſequitur ab initio pituitae, poſt bilis, tandem materiae gryſeae, ſub finem ſtercoris, immo etiam clyſterum in aluum immiſſorum. Accedit teneſmus frequens, ſed irrita deſidendi cupiditas, abdominis inflatio, ita, vt aluus etiam enemata vix admittat, ſumma anxietas. Si cauſſa tolli non poteſt, ſuperueniunt ante mortem delirium, ſingultus, conuulſio, et ſi inflammatio in gangraenam ruit, ſe remittunt ſubito dolores, deſcendunt citra aegri ſenſum et voluntatem feces cadauerosae, foetidiſſimae. Pulſus fit tremulus, intermittens. Sudor effertur multus, et qui quaſi glutinoſus corpori inhaeret, ſub finem is, vt in omnibus inflammationibus, gelidus fit. Rarius inflammatio inteſtinorum mutatur in ſcirrhum et carcinoma, id quod ſi incidit, aeger tabe perit. Etiam cauſſarum datur quaedam diagnoſis. Ab inflammatione ſi ortus fuit morbus, id nota inflammationis ſigna manifeſtant. Si a fecibus induratis, aliisque in inteſtina delatis rebus, praecedit obſtructio dolorem, qui non niſi ſub finem accedit. Si vermes adſunt, illos appetitus auctus, narium pruritus, abdominis tumor, ſignificant. Scirrhus et abſceſſus ſine inflammatione praegreſſa vix oriuntur, quare repetenda eſt prima morbi vel praegreſſorum morborum hiſtoria. Voluuli diagnoſis difficilior eſt; dolor tamen fixus, et in eodem loco manens, cum ceteris ſignis, eum ſignificant.

§. 245.

Itaque hic morbus, qui ab obſtructione oritur, et cui inflammatio accedit, periculoſiſſimus eſt, niſi protinus inteſtinorum iter expediatur, et id, quod illud praecludit, tollatur. Si malum a deuolutis in hernia inteſtinis ortum eſt, id curari nequit, niſi his repoſitis. Non minus tamen periculum eſt, ſi ab inflammatione ex materia acri ortus fuit voluulus. Quandoque ischuria ſolet eſſe cum ileo, quando

inteſti-

inteſtinum, fecibus induratis aliisque repletum, vreteri incumbit, et quo minus lotium in veſicam deſtillare poſſit, prohibet. Iam HIPPOCRATES, *in Coacis*, id funeſtum ſignum eſſe, docuit. Omnis ſalus dependet ab auxilio, quod ſine mora, et a primis initiis praeſtandum eſt. Singultus, delirium, conuulſio ſi ileo ſuperuenerint, mortem ſubeſſe teſtantur.

§. 246.

Ex cauſſis petenda eſt curatio. Quomodo inteſtina deuoluta reponi debeant, docet Chirurgia. Saepe et hanc rem plurimum iuuat ſanguinis miſſio. Si a fecibus induratis et pertinaci obſtructione morbus ortum habuit, praeter enemata, crebrius, etiam addito ſtimulo, iteranda, dari debent laxantia ex Tamarindis, Paſſulis, Cremore Tartari, Manna et ſimilibus, etiam ex Pilulis Becheri ſolutis, addito nitro. In inflammatione inteſtinorum ſymptomatica, ſeu ab aliis morbis orta, quae plerumque funeſta eſt, conſiderari debet morbus princeps. Vbi aſſumta fuerunt acria venena, proficiunt, quae de inflammatione ventriculi dicta ſunt (§. 231.), et ex his tum ea, quae ore ſumuntur, tum alia, quae in aluum immittuntur. Si inflammatio orta eſt ex voluulo, iterari debent clyſteres omni bihorio, quibus ſub finem ſtimulantia, v. g. Petum ad drachm. j. vel jj. adiici poſſunt, cuius etiam fumus, ſingulari machina in aluum immiſſus, plurimum proficit. Deglutiat aeger iuſcula calida cum oleo amygdalarum dulcium, quae crebrius et maiori in copia, quamuis etiam vomitu reiiciantur, ſumi debent. Si omnia haec non proficiunt, ad anceps remedium recurrendum eſt, et dandus Mercurius viuus, per corium preſſus et depuratus, ad libram dimidiam vel integram. Huic praeferre ſolent alii glebam plumbeam. Pondere enim harum rerum quandoque voluulus exſoluitur, quae vero mortem maturare poſſunt, ſi inteſtinum iam gangraena affectum eſt, quod tunc laceratur. Hoc vero ſi incidit, ad vltima ventum eſt. Nec facile imitari debemus eos, qui, praeeunte

HIPPO-

HIPPOCRATE, aëra mediante folle in aluum immittunt, et colon vehementius diſtendunt. Sedes enim morbi frequentius in ileo, non in colo eſt.

§. 247.

Si inteſtinorum inflammatio imminet ex materia purulenta et cancroſa, quae ex alio viſcere abdominis, veluti hepate et pancreate, ad inteſtina fertur, aeger bibat multam ptiſanam ex decocto hordei, cornu cerui, eboris, radicis Althaeae, Scorzonerae, Glycyrrhizae, auenae excorticatae, furfuris, hordei excorticati. Quo vero materia melius abſtergatur, dari poteſt tertia quaque hora Rheum, minori tamen doſi. Etiam ſolui poteſt maſſa Pilularum Stahlii, in aqua Meliſſae ſine vino, addito pauco nitro. His iuſto tempore datis, et adhibitis clyſteribus emollientibus, quandoque auerti poteſt inflammatio. Si vero haec inualuit, periculum fere certum eſt, et ſanguinem, vt in aliis inflammationibus, mitti oportet.

§. 248.

Extrinſecus abdomini illiniri poſſunt in voluulo olea cocta, anethi, florum chamomillae, verbaſci, additis paucioribus guttulis olei carui deſtillati. Imponi abdomini poſſunt epithemata vel cataplasmata ex emollientibus cum lacte coctis. Proficit etiam fotus animalis viui, vel ad minimum calidi diſſecti. Si morbus profligatus fuit, danda ſunt, quae nouum robur impertiuntur inteſtinis. Idonea ſunt carminatiua, illae ſupra laudatae trageae (§. 107.), conſerua viſceralis, cortex caſcarillae, Peruuianus, nec non tincturae martiales, praecipue vero victus a fame propior et abſtinentia, cum corporis exercitatione.

* *

FEBRIS LENTA ET HECTICA.

§. 249.

In his febribus eſt perpetua imbecillitas, et homini maior in dies accedit macies. Calor vrget, qui prae ceteris ſedibus in volis manuum et plantis pedum percipitur, et qui tertia quartaque circiter hora poſt paſtum augetur, quo tempore nouus chylus ſanguini adfunditur, tuncque pulſus celerior, frequentior et maior, poſtea vero lenior eſt, et his ſuperuenit magnus ſudor, qui non leuat, ſed imbecillitatem auget. Vrina craſſa eſt, ex qua plerumque multa ſubſidunt. Appetitus fere nullus eſt, et aegri iracundi ſunt, qui etiam nocturna vigilia premuntur. Haec et hecticae et lentae communia ſunt. Eſt tamen magna differentia. Lenta plerumque ex alio morbo relinquitur, frequentius ex quacumque febre, tum intermittente, tum continua, ſi haec male curata fuit, et ſucci non recte fuerunt purgati, etiam ſi aeger malo victu, animi pathemate et haud obſeruato regimine, turbatis ſordibus aliisque excretionibus febrem pertinaciorem reddidit. Febris etiam diutius tolerata, et nimia copia ſalium ac terrarum curata, lentam relinquit. Ex aliis fere innumeris cauſſis principes ſunt, ſuccus ex quacumque cauſſa corruptus, et exſuperans cruditas, viſcerum aliarumque partium ſolidarum infirmitas. Quare etiam lenta ſaepe naſcitur ſine alio praegreſſo morbo, ex ingluuie nimia tum aquae, tum alius potulenti fermenteſcentis, nec non vini, vinique aduſti potu et ebrioſitate, ex otio inerti et defectu exercitationis. Etiam ex contrariis, ex diu tolerata inedia, vigiliis, nimis contentioſa actione et litterarum nimio ſtudio; ex cura, moerore, zelotypia, amore. Praeterea ex nimia Venere, frequenti et diuturna benigna gonorrhoea, fluore albo copioſo et diuturno; ex diarrhoea, magno ſanguinis ex genitalibus, haemorrhoidibus, etiam ex vulnere profluuio, ſi foeminae debiles robuſtiores pueros

mam-

mammis alunt; ex ptyalismo cum mercurio concitato; ex menſium et haemorrhoidum defectu, repreſſo ſudore totius corporis, maxime vero pedum vel alarum; ex repreſſa vel retrocedente podagra; ex abuſu medicamentorum calidorum, antiuenereorum, nec non purgantium aliorumque euacuantium; ex ſcabie tineaque repreſſa, aliisque morbis cutaneis, nec non ex vlceribus et ſuppurationibus male curatis. Morbo huic interdum etiam materiam praeſtat occultum virus venereum, maxime ſi illud iam oſſibus labem intulit. In hectica vera autem iam adfectae ſunt partes ſolidae, ſi illae vel naturali robore penitus defectae ſunt, vel ſi in aliqua parte, non ſolum in viſcere, ſed etiam in aliis externis ſedibus, eſt vomica, abſceſſus, vlcus, fiſtula, cancer, caries vel ſpina ventoſa, quibus haec febris vt ſymptoma accedit. Ex lenta febre aegri ſaepe conualeſcunt, vix autem vel numquam ex vera hectica, quae vel citius, vel tardius mortem infert. Lenta vel erratica eſt, vel illius febris, veluti intermittentis, ex qua orta fuit, typum ſeruat, et aeger non ſudat, perpetuus calor eſt et ſiccitas, cutis non tam arida, quam dura et coriacea, ſudor vero pinguis, qui talis induſiis inhaeret, cum his aegritudo et magna imbecillitas eſt, nec ſudor vllum leuamen adfert. Vrina in lenta varia eſt, et vbi ſedimentum demiſit, ac ſimul, vt mox dicetur, pingue traxit, per vices iterum ad naturalem colorem et habitum reuertitur. In hectica vero illa ab initio tenuis et ſpumida eſt, et vbi morbus adoleuit, illa ſemper craſſa trahit, quae ſubſidunt, et habet cuticulam pinguem, coeruleam, ſupernatantem, qua etiam vitrum inficitur. Haec pinguis cuticula ſi conſpicitur, in vtraque febre aeger multum extenuatur, et in dies magis emaciatur. Nam ipſa pinguedo ſoluta ſic cum lotio effertur. Tandem in hectica ſumma oritur macies, et facies ea, quae Hippocratica dicitur. Peſtifera eſt hecticis ſanguinis miſſio; ſi tamen miſſus fuit ſanguis, ille rubicundus eſt, et qui minime cogitur.

§. 250.

§. 250.

Lenta tamen ſaepe in hecticam mutatur, id quod metuendum, ſi tempora caloris longiora ſunt, illa ſemper aequalis eſt, ſi nullis medicamentis cedit, ſi augetur imbecillitas ciborumque faſtidium, ſi accedit tuſſis ſicca, impedita reſpiratio, pedum tumor. Mortem inſtare cognoſcimus, ſi, exacerbatis omnibus, pulſus celerior eſt, valde debilis, et qui vix percipi poteſt, vrina pauca, lixiuioſa, pinguis et nigricans, ſi capilli defluunt, ſi accedit ſudor et diarrhoea colliquatiua.

§. 251.

Cauſſa harum febrium eſt ſuccus vitiatus ſanguini ac lymphae admixtus, vel crudus, vel putris, qui, dum ſanguini nouus chylus adfunditur, ſemper agitatur, et quod is a laeſis imbecillisque viſceribus arteriisque ſubigi excernique nequit, nouam exacerbationem caloris et febris adfert. Quare ſi fons illius crudi et mali humoris exhauriri poteſt et ſiccari, tolli poteſt febris. Humor vero ille oritur in lenta ex ſupra commemoratis cauſſis. Hectica vero partim a ſimilibus cauſſis, ſi illae adeo inualuerunt, vt nullam curationem recipere poſſint, oritur, partim a pure vomicae, vlceris, carcinomatis et his ſimilibus, qua pars laborat.

§. 252.

In curatione lentae ſedulo animus ad primam originem cauſſasque aduertendus eſt. Si relicta fuit a febre intermittente et citius ſuppreſſa, confert quandoque morbum nouare et febrem incendere. Dari itaque debent Pilulae Becheri, vel infuſa aquoſa calida, et tempore, quo aeſtus vrget, nitrum cum terreis acido citri ſaturatis et arcano duplicato, tartaro vitriolato. Plurimum proficit in eiusmodi febribus, praecipue in corporibus imbecillis vrbanorum hominum, liquor terrae foliatae tartari, qui ad drachmam j. vel vnam cum dimidia aliquoties per diem dari poteſt. Huic liquori etiam adiici poteſt, methodo ſupra expoſita, Extractum herbae Abſynthii, Centaurii minoris, Cochleariae, Fumariae,

riae, Cardui benedicti, &c. Cum his aeger frequentius ſumat Pilulas Becheri. Virium ratio habenda eſt, et concedi debet tempore, quo remiſſio eſt, hauſtus vini generoſi. Si febris nouata fuit, illam recte curari oportet. Si vero febris intermittens non ſuppreſſa, ſed diutius tolerata in lentam degenerauit, id quod crebrius ex intemperantia et peruerſo regimine incidit, imperanda eſt abſtinentia. Dandum eſt aliquoties Rheum in puluere, et dein cortex Peruuianus cum Conſerua viſcerali.

§. 253.

Vbi lenta relicta fuit ex febre acuta, diu perſeuerandum eſt in vſu leniorum reſoluentium. Dari poſſunt infuſa calida ex radice Cichorei, Caryophyllatae, Scorzonerae, Saſſaparillae, Chinae ponderoſae, Foeniculi, Graminis, &c. herba Veronicae, Saluiae, Cardui benedicti, ſemine Foeniculi. Potioni praeſtanda eſt aqua Selterana, vel Ptiſana ex decocto radicis Chinae, Scorzonerae, Caſſiae ligneae. Horis veſpertinis et vbi noui febrilis motus plerumque fit initium, dari poteſt liquor terrae foliatae tartari, vel puluis ex nitro, antimonio diaphoretico et terreis. Sudor nec cohibendus, nec augendus eſt. Prae ceteris crebrius, et quantum vires id permittunt, primae viae purgandae ſunt, iterato vſu Rhabarbari vel Pilularum Stahlii. Tandem ſi febris diutius hominem tenet, et Medicus certus eſt, in viſceribus eſſe atoniam, non vero ſcirrhum, nec aliud vitium, confugiendum eſt ad Corticem Peruuianum. CELSVS *Cap. IX. Lib. III.* aliud auxilium proponit, et iubet, vt morbus mutetur, atque ſic curationi oportunior fiat, corpus aqua frigida, cui oleum adiectum ſit, pertractari, et ſic futurum eſſe, vt horror oriatur, et fiat initium noui motus.

§. 254.

Si vero lenta non ex alio morbo, ſed ex erroribus in diaeta et cruditatibus primarum viarum oritur, id quod et

cauſſa, et praecordiorum anxietas, ardor ventriculi eiusque imbecillitas teſtantur, ante omnia illae eruditates tollendae ſunt. Non niſi robuſtioribus, et ſi morbus admodum recens eſt, conducit emeticum, praemiſſis tamen prius digeſtiuis. Aliis infirmioribus dari debet Rhabarbarum, quod et in hoc caſu optimum eſt. In valde imbecillis ei adiici poteſt nitrum cum abſorbentibus, et diu in horum vſu perſeuerandum eſt. Paullo robuſtioribus conueniunt infuſa vinoſa per epicraſin laxantia, maxime ſi in ventriculo non tam acor, quam iners pituita haeret. Optimum leuamen adferunt Thermae et Acidulae, quae vero aegri viribus accommodari debent. Valde imbecillis minus valentes, addito etiam lacte, proficiunt: nec ſerum lactis alienum eſt. Ante omnia euitandus eſt omnis potus fermenteſcens ſeu cereuiſia. Cum aqua, vel interdum ptiſana, concedi poteſt, immo ſalubris eſt hauſtus vini generoſi. Imperanda eſt abſtinentia ab omnibus dyſpeptis, fermenteſcentibus, acidis, pinguibus et rancidis, flatulentis. Plurimum confert moderata, diuturnior et aequalis corporis exercitatio; ſine his ex diaeta praeſidiis medicamenta parum poſſe, experientia docuit.

§. 255.

Si febris lenta orta eſt ex defecta vitali virtute, a nimia Venere, gonorrhoea diuturna, ptyalismo per mercurium concitato, ſedulo aegro imperandum eſt regimen et abſtinentia. Propinari debent iuſcula carnium iuniorum cum herbis recentibus, Acetoſae, Chaerephylli, Millefolii, Cardui benedicti, vel radicibus, recentibus, Apii, Petroſelini, Cichorei, additis Cancris fluuiatilibus, qui viui contundi et parum ex iuſculo coqui debent, vel etiam additis cochleis. Proficiunt iuſcula tenuiora cum viperis decocta, quae praecipue in morbis ex malo venereo ortis aliquam efficaciam habent. Nec alienae ſunt gelatinae ex cornu cerui, vel, quae meliores ſunt, ex oſſibus iuniorum animalium. Proficiunt etiam emulſiones ex amygdalis, pineis et piſtaceis.

Si

Si in ventriculo lac non coaceſcit, cuius rei experimentum paucis ſaltem deglutitis vnciis fieri poteſt, ſaluberrimum eſt lac aſininum cum aquis Selteranis. Aliena eſt omnis potio fermenteſcens. Potioni praeſtandum eſt decoctum cornu cerui, eboris, Scorzonerae, hordei, vel decoctum Chinae cum pauco cortice Caſſiae ligneae. Videndum eſt, vt aluus ſemper aperta ſit, quae ſolui debet clyſteribus ex decocto Tamarindorum. Non negligi debent balnea aquae dulcis, quae vero, quantum aeger ea tolerare poteſt, debent eſſe frigida. Si primae viae repurgatae ſunt, et imbecillitas manet in viſceribus, oportet huic mederi idoneo victu, exercitatione et vſu corticis Peruuiani. Haec ſi paullum ſaltem iuuant, haud remoueri oportet, quia profectus tempore expletur. Eum in modum etiam aliis cauſſis, ſcabiei, tineae, haemorrhoidum, menſtruorumque vitiis accommodanda eſt curatio.

§. 256.

In hectica, ſi ſemel inualuit, leuamen, non vero perfecta curatio ſperari poteſt. Eſt tamen magnum diſcrimen inter morbi initia, et ſi is iam in exitum ruit. Nam etiam hic morbus, curatius obſeruato regimine et accommodato victu, per longum tempus, immo plures annos interdum trahi poteſt. Magis periclitantur corpora rara, ſucco plena, quam adſtricta. Eiusmodi homini interdum dari debet infuſum vel decoctum aquoſum radicis Cichorei, Scorzonerae, Saſſaparillae, herbae Chaerephylli, Veronicae, Milleſolii, Capillorum Veneris. Quam primum vero deprehenditur his decoctis vel infuſis aeſtum augeri, ea omitti debent. Potioni praeſtandum eſt decoctum ex radice Scorzonerae, Glycyrrhizae, raſura cornu cerui, additis etiam ſub finem paucioribus paſſulis. Talis ptiſana non valde meraca eſſe debet. Si febris aeſtusque vrgent, huic ptiſanae adiici poſſunt ſucci acidi, roob ceraſorum et ribeſiorum. Aluus interea ſoluenda eſt crebrioribus lotionibus emollientibus, et ſi vires id permittunt, dari ſimul poteſt

Rhabarbarum, vel decoctum Rhabarbari cum Tamarindis. Semper melius eſt ab omni curatione abſtinere, quam valentioribus medicamentis aegrum praecipitare.

§. 257.

Nihil vero his ſalubrius eſt, quam lac aſininum cum aquis Selteranis, vel etiam ſolum, et, ſi morbus iam invaluit, lac foeminae iunioris recte valentis. Cum hoc vero ab omni fere alio medicamento abſtinere debet aeger, ita, vt praeter lac, paucumque panem candidum et aliquam ptiſanam, parum vel nihil ſumat. Etiam lac cum ptiſana vel eiusmodi decocto herbarum et radicum miſceri darique poteſt. Animal, vel etiam foemina, cuius lacte vtitur aeger, ali debet exquiſitiori pabulo atque victu. Interdum conducit ſerum lactis, ea ratione, de qua alibi dixi, parandum, vel etiam ſerum lactis dulce. Vid. *Frid.* HOFFMANNI *Diſſert. de Seri lactis virtute longe ſaluberrima.* *A Resp. Würtzburg.*

§. 258.

Nonnumquam in his aegris magna partium ſolidarum atonia eſt, quare modo dictis infuſis atque decoctis adiici poſſunt tonica, ex herba Veronicae, Millefolii, Scabioſae, floribus Hyperici, Roſarum rubrarum. Proficit hic multum illud decoctum radicis Chinae cum Caſſia lignea. Nimia adſtringentia ſaepe nouum infarctum parere, et malum augere poſſunt. Cum his aeger verſari debet in aëre magis frigido, quam calido, eoque puro et montano. Sedulo etiam in vehementiori aeſtu aër refrigerandus eſt. Victus ſit, qui ſuſtinet, non alit. Optima ſunt iuſcula valde tenuia carnium iuniorum, cum lactuca, portulaca, bugloſſa, chaerephyllo, cancris fluuiatilibus decocta. Pernicioſa ſunt nimium virulenta, nec non quaeuis, quae difficilius coquuntur. In hectica conſummata dari debent acidulata, iulapia, ſucci acidi, ſerum lactis dulce, quod *Frid.* HOFFMANNVS deſcribit in *Med. Conſult. Tom. VIII. Dec. I. Caſ. III.*

§. 259.

§. 259.

Hecticae quoddam genus est Marasmus senilis, seu tabes torrida, quae oritur in senibus, in quibus etiam, ceteroquin sanis, tandem humores lenti fiunt et partes solidae rigidae. Marasmum hunc significant aucta imbecillitas, appetitus prostratus, febricula, quae horis vespertinis plerumque intenditur. Morbus si inualuit, morte finitur, nec aliam curationem, quam quae hectica, recipit. Auerti potest in senibus corporis modica exercitatione, aëre salubri, victu laudabili, vino pauco, sed meraco, et si aluus crebrius lenioribus soluitur. Si adsuefacti sunt sanguinis missioni, illa temere negligi non debet.

FEBRIS SCARLATINA ET VRTICATA.

§. 260.

Sunt febres ex genere catarrhalium et exanthematicae. Oriuntur a sero represso, alias per cutim exire solito. Scarlatina frequentissima est infantibus, et proxime cum erysipelate conuenit. Saepe epidemicae et post repentinas aëris mutationes oriuntur. Quandoque in scarlatina non solum rubor est, sed etiam singularis tumor cum magno pruritu. Omnia tamen haec, veluti erysipelas, et locum mutant, et mox iterum euanescunt. In febre vrticata maiores vesicae et pustulae repente nascuntur in cute, iis similes, quae oriuntur, si cutis vrticis caesa fuit. Vtrumque genus morbi plerumque sine periculo est, et paucis diebus finitur. Rarius ex epidemica constitutione, et nimio aëris aestu, in corpore impuro, funesta accedit malignitas. Nec harum febrium curatio alia est, quam aliarum exanthematicarum. Si benigna febris est, nullam medicationem postulat. Vitari

oportet repentinas aëris viciſſitudines perflatumque. Poſt ſuperatam febrem alvus duci debet, et dari infuſum aquoſum, quo ſanguis purgatur, et lene catharcticum.

DE PLETHORA ET MORBIS, QVI EX PLETHORA ORIRI DICVNTVR.

§. 261.

Plethora dicitur abundantia tum ſanguinis, tum aliorum ſuccorum ad corpus alendum idoneorum, qua natura ita grauatur, vt corpus ad debitas functiones peragendas minus ſit promptum aptumque. Diſtinguunt inter Plethoram ad vires et vaſa. Prior eſſe ſolet in corporibus raris, in quibus a nimio ſanguine vaſa maiora ampliantur, minora vero et cum his nerui ab aucta tumenteque adipe premuntur arctanturque, quam ob cauſſam vitalis renixus inter fluida et ſolida impeditur ac quaſi ſuffocatur, ita, vt ſequatur languor totius corporis et ad conſueta munia peragenda ineptitudo. Alterum genus dicitur plethora ad vaſa, quod eſſe ſolet in corporibus adſtrictis atque ſiccioribus, in quibus omnia vaſa maiora, prae ceteris venae, ſuper paucam adipem eminent, et ſanguine turgidae in oculos incurrunt. Sedulo vero notandum, venas aliaque vaſa ſaepe etiam tumida et turgida videri in corporibus valde infirmis, immo funeſta tabe abſumtis, quae res non a plethora proficiſcitur, ſed ab atonia tunicarum, ex quibus vaſa compoſita ſunt, atque ab ipſius cutis laxitate.

§. 262.

Pleni ſunt et vera plethora laborant homines, quibus omnia viſcera, praeſertim chylopoea, integra ſunt et naturale ſuum robur habent, qui in aëre ſalubri degentes ſe alimentis

mentis boni ſucci implent, corporis exercitationem negligunt, ſomno indulgent, nec animum intendunt, ſed otio torpent, atque poſt cibum conquieſcunt. Pleni autem vel Plethorici fiunt prae ceteris iuniores atque foeminae, quibus corpus magis rarum eſt ac viris. Plurimum confert, ſi ſanguinis miſſiones conſuetae negliguntur, deinde ſi ſanguinis profuſio per nares aliasque ſedes, quae olim frequentius incidit, iam conquieuit vel ſuppreſſa fuit. Etiam poſt praeciſa maiora membra ſanguinis copiam in reliquo corpore augeri neceſſe eſt.

§. 263.

Plethorici conqueruntur de corporis laſſitudine, difficultate ſpirandi, ſomno difficili atque per vanas imagines et tumultuoſa ſomnia turbato, quauis etiam leui exercitatione laſſantur atque moleſtiam ſentiunt. Plethoram etiam manifeſtat color et corporis habitus.

§. 264.

Foecunda mater eſt plurimorum morborum. Ex vaſis enim dilatatis, tandemque infirmatis eorum fibris, ſanguis erumpit. Sanguinis vero profuſiones corpus aliis morbis opportunum reddunt. Turbantur omnes ſe - et excretiones, ſucci omnes et ipſe ſanguis in viſceribus non recte digeruntur, rubicundus ſanguis vrgetur in dilatata nimis oſcula arteriarum lymphaticarum, vnde tandem cruditatem, obſtructionem, inflammationem oriri neceſſe eſt. Praecipue vero plethora nocet, ſi illa ab aliis cauſſis procatarcticis, veluti vehementi et repentina animi perturbatione, corporis exercitatione, potu inebriante, oeſtro venereo, aliisque agitata fuit. In grauidis ex plethora ſaepe abortum fieri, compertum eſt. Diu tamen ſincera plethora in corpore eſſe nequit, ſed protinus mutatur in cacochymiam. Omnes plethorici ex quouis morbo magis atque alii periclitantur.

§. 265.

Plethorae optime mederi poſſumus tenui parcoque victu, potu diluente, praecipue aqua, ſomno breui, et tum

corporis, tum ingenii exercitatione. Caueant tamen plethorici, ne ſe potione minus valente eaque nimia impleant, et corporis exercitationem cum hac negligant, qua re corpus cacochymiae aliisque grauiſſimis morbis obnoxium reddunt. Quia plures hanc, quae per abſtinentiam fit, medendi rationem contemnunt, ii confugere ſolent ad ſanguinis miſſiones. His tamen non temere adſuefieri debet iuuenilis aetas, quum, iis in conſuetudinem adductis, corpus infirmum fiat, et aliis aduerſae valetudinis generibus obiiciatur. Etiam in corporibus infirmis et valde obeſis modus ſeruandus eſt. Crebra enim ſanguinis detractione corpora non raro obeſiora fieri compertum habemus, quod ex tardiori ſanguinis motu adeps augetur. Proficiunt tamen, immo non raro neceſſariae ſunt, ſanguinis miſſiones prophylacticae, et eo tempore is detrahendus eſt, quo aeger recte valere videtur. Poſt ſanguinis miſſionem ſemper corpus exercendum eſt, vt exercitatione nouum robur accipiant ſolida, digeranturque humida. Antequam vena inciditur, aluum duci commodum eſt.

§. 266.

Sunt etiam alia, quae ſanguinem minuunt, dum eum efficacius reſoluunt. Prima ſunt: Thermae et Acidulae. Quum vero harum vſu vorandi facultas augeri ſoleat, corpora aliquantum extenuata protinus iterum ad priſtinum habitum reuertuntur, immo raro in hoc ſubſiſtunt, ſed vltra progreſſa pleniora fiunt. Ceteroquin laudantur ad id ex purgantibus Sal catharcticus, aqua Seidſchüzenſis, Cremor Tartari, folia Sennae et Aloë, ſi ei Tartarus vitriolatus aliusue Sal adiicitur. Raro tamen his vtendum eſt, quum ex eorum nimio vſu maiora mala metuenda ſint.

HAE-

HAEMORRHAGIAE.

§. 267.

Sanguis, ſi eius copia corpus male habet, ſaepe cum multo leuamine excernitur. Sed etiam is ex aliis ſaepe cauſſis, ſi corruptus eſt, et ſi ſolida infirmata vitiataque ſunt, non ſine periculo profunditur. Non enim haemorrhagiae ſemper a plethora, ſed non raro ab his modo dictis aliisque cauſſis, praecipue a viſcerum obſtructione et impedito circuitu, oriuntur. Sanguis etiam ex variis occaſionibus, ex tabe, inedia, morbis malignis, ex carcinomate, vel interiores, vel exteriores ſedes infeſtante, tum tenuior, tum acrior fit, et qui celerius prorumpit. Accedunt aliae cauſſae procatarcticae: aeſtus, frigus, aër rarus denſusque, humidus, vehemens exercitatio, nixus valentior, potus inebrians, medicamenta calida, Venus, animi pathemata, &c. Etiam vbi aliae ſanguinis, per catamenia, haemorrhoidesque, excretiones diu non reſponderunt, illae nonnumquam cum vi et periculo erumpunt. De vulnerum haemorrhagia videnda eſt Chirurgia. In haemorrhagiis, quae ſponte fiunt, conſiderandus potiſſimum eſt locus. Nam ſi ex ſedibus minus aptis fiunt, v. g. ex pulmone haemoptoë, ex ventriculo vomitus cruentus, etiam ex minori profluuio magnum periculum imminet. Narium vero haemorrhagia et haemorrhoides, nec non ſanguinis profluuium per vterum, raro nocent, niſi hominem prorſus exhauriant. Priores excretiones omni adhibita diligentia auerti debent, vltimae vero, niſi immodicae fuerint, tolerari. Numquam autem ſanguinis profluuium, niſi vltima hoc requirit neceſſitas, vi et reprimentibus ſubito coërcendum eſt, quum nec hoc in vulneribus tutum eſſe Chirurgia docuerit. In morbis aetatum obſeruatum fuit, pueris et adoleſcentibus frequentiorem eſſe narium haemorrhagiam, iunioribus haemoptoën, viris haemorrhoides, ſenibus mictum cruentum. Foeminae, ſi iis

catamenia non reſpondent, interdum ſanguinem vomunt, raro vomitu hoc cruento laborant viri. Nimia ſanguinis profuſio, tum per nares, tum per alia loca, facta, vel nimis frequens, quamuis ab initio a plethora profecta fuerit, et corpori ſalubritatem attulerit, tandem tamen corpus infirmat, humorum omnium coctionem impedit, fibras ſolidarum partium relaxat, et ideo cacochymiam, cachexiam, neruorum ſummam debilitatem, in foeminis hyſtericum morbum, in omnibus hydropem, immo viſcerum ſcirrhum et tabem relinquit. Mala funeſtaque ſigna cum ſanguinis profuſione ſunt: Sudor paucus, frigidus, hebetudo ſenſuum, ſurditas, ſingultus, horror, rigor, ſopor, conuulſio, deiectio fecum cruentarum vel nigricantium.

§. 268.

Si ſanguis non tam impetuoſius, quam crebrius profluit, id auerti quandoque poteſt accommodato exiguoque victu et aquae potu. Si vero cum impetu ſanguis erumpit, videndum eſt, num hoc a plethora, num ab aliis cauſſis proficiſcatur. In plethora adhibenda ſunt omnia auxilia, quae aduerſus eam poſſunt (§. 265.). Sanguis etiam interdum mitti poteſt longiſſime a parte, ex qua erumpit, vt ei aliud iter detur, quae res tamen prudentiam medentis deſiderat, ne aeger omni vi effuſa praecipitetur. Dari poſſunt pulueres ex nitro et coralliis rubris, qui pulueres ex aqua gelida ſumi debent, et ſaepius iterari. Proficit etiam hauſtus aceti. Nec alienae ſunt emulſiones dilutiores cum ſemine papaueris et nitro, vbi tamen acida omittenda ſunt. Ante omnia et hic curandum eſt, vt aluus reſpondeat, quae vero non aliter, quam lotione, etiam frigidiuſcula, duci debet. Potioni praeſtanda eſt aqua, addito ſucco Citri, decoctum cruſtae panis domeſtici, decoctum Tartari. Primum eſt quies, et hominem in tenebris eſſe, ab omni ſtrepitu remotum, ſine animi contentione et ſollicitudine. Si nimium vrget ſanguinis profuſio, locis remotioribus admoueri poſſunt cucurbitulae, vel ſiccae, vel conciſa prius cute. Aër

ſit

ſit frigidus, cui etiam ſupra expoſitis auxiliis refrigerium afferri oportet. Si vero homo ſanguinis profuſione exhauſtus eſt, is debet contineri in loco obſcuro, et ab omni ſtrepitu remoto. Alendus eſt iuſculis ita, vt horum non niſi parum atque egelidum aegro afferatur. Si metus eſt, ne iterum erumpat ſanguis, potioni praeſtandum eſt decoctum furfuris, panis domeſtici, hordei excorticati. In victu adhibeantur auſtera. Aeger abſtineat a vino, aromate, cibo valentiori, Venere, corporis exercitatione, negotioſa actione et omnibus, quibus ſanguis cietur.

HAEMORRHAGIA NARIVM.

§. 269.

Hoc ſanguinis profluuium per nares in febribus eſt vel criticum, vel ſymptomaticum. Si autem ſine febre et ſine alio morbo incidit, nec morbum relinquit, dicitur nonnullis ſpontaneum. Hoc vltimum pueris frequentius eſt, prae ceteris iis, qui ab infirmis geniti, debilesque, pleno lautoque victu aluntur, corpus vero parum exercent. Experientia docuit, hos, niſi a tali victu et a potione valentiori abſtineant, adoleſcente aetate ſanguinem exſpuere. Senibus, quibus praeter conſuetudinem ſanguis frequentius per nares erumpit, metum apoplexiae facit. De critica haemorrhagia ſupra dictum eſt, quam morbos acutos, phrenitidem, febrem ardentem, hepatitidem, immo et pleuritidem, apoplexiam, interdum etiam chronicos, diuturnam cephalalgiam, grauedinem, neruorum diſtentionem, ſoluere compertum eſt. Retulimus etiam, criticam profuſionem a ſymptomatica diſtingui tempore et coctionis ſignis. Alius generis mentio facta eſt, quod, quamuis morbum non prorſus ſoluat, eum tamen plurimum leuet, quod in variolis

lis potiſſimum eruptionis tempore accidit. Symptomatica profuſio, a morbo eiusque cauſſa profecta, nocet, et interdum non ſine periculo eſt. Hominibus enim valde infirmis quandoque vita cum ſanguine effunditur, vel relinquitur tabes, cataracta et glaucoma, gutta ſerena, et ex his oculorum caligo atque coecitas. Symptomatica non raro oritur propter maiorem viſcerum obſtructionem, quae hecticam relinquit. Vbi vero hecticis, quibus ſanguis valde tenuatus, omniaque vaſa reſoluta laxaque ſunt, ſanguis copioſior profluit, mors in propinquo eſſe ſolet.

§. 270.

In curatione animus aduertendus eſt ad omnia, quae ſupra de haemorrhagiis in genere praecepi (§. 268.). In corporibus robuſtis vegetisque non eſt, quod paullo longius profluuium timeamus, quod non raro ſalubre eſt. Tanto magis de criticis haemorrhagiis haud ignorari oportet Medicum, nihil paucum criticum eſſe. Certiora ſigna habemus, quae oſtendunt, aegrum ex ſanguinis profuſione periclitari. Abſumi, immo et rapi illa poteſt aeger, ſi ei corpus per naturam tenuius eſt et imbecillum; ſi ſanguis cum impetu erumpit, vt breui tempore aliquot eius librae profluant; ſi cum his corpus, facies, vngues et prae ceteris labia cum pallore inalbeſcunt, extrema frigent, arteriae ſubeunt et quieſcunt, homo ſomno vrgetur, et anima etiam deficit. Nec tamen ſemper animae defectio terrere debet. Nam non raro ſub hac imbecillitate ſanguis, qui artis auxiliis ſupprimi haud poterat, ſponte conquieſcit. Si autem hoc profluuium ſaepius reuertitur, id etiam metum cachexiae, lentae febris atque tabis facere poteſt. Quare ſi corpori pleno atque iuuenili periculum ex profuſione imminere videtur, aduerſus eam adhibenda ſunt omnia, quae eam auertere poſſunt. Primum eſt ſanguinis miſſio, qui ex talo detrahendus eſt, longiſſime ab ea ſede, ex qua erumpere ſolitus eſt. Nam haec ſanguinis detractio facere poteſt, vt e naribus fluero deſinat, ſi illa aliquoties iteratur. Non niſi

parum

parum detrahendum eſt, et interdum loco inciſae venae cutis concidi poteſt, et ex hac impoſitis cucurbitulis ſanguis extrahi. Aeger abſtineat ab omni re, qua ſanguis cietur. Vita ſit debilis, aër quantum fieri poteſt frigidiuſculus, potio dilutior, cibus ex materia minus valente atque talis, qui aegrum ſuſtinet, non alit.

§. 271.

Haec quum idonea ſint, vbi haec profuſio ſaepius revertitur, iam videndum, quid agere oporteat, quo tempore ſanguis cum periculo ex naribus funditur et metum facit, ne hominem interimat. Plures etiam hic iubent ſanguinem ex alia parte, et ex inciſa iuxta talum vena emittere. Hoc vero in vehementi malo non ſine periculo eſt, quum homo facile exhauriri poſſit, et experientia docuerit, ſanguinis curſum hac per artem facta detractione haud cohiberi cucurbitulis. Confert extremos artus, manus pedesque, lino ita deligari atque conſtringi, vt ſanguinis curſus per arterias liber ſit, eius vero reditus per venas tardetur. Admoueri debent collo, nuchae, fronti, epithemata frigida ex aqua roſarum, addito ſale communi; ſi tempus id permittit, radices Biſtortae, Tormentillae, herba Millefolii, Saniculae, Sigilli Salomonis, Alchimillae, coquantur ex oxycrato, addito ſale. Saepe proficit, ſi aegro haud opinanti gelida aqua adſpergitur. Aluus ducenda eſt enemate frigido, vt retenta materia euocetur; poſt in eam immittendae ſunt lotiones ex aqua frigida, addito nitro. In nares immitti poſſunt linamenta, cum alcohol vel tinctura terrae Catechu expreſſa madefacta. Valentius eſt vitriolum, ſi id aqua ſoluitur, et eo linamenta madefiunt. Neceſſe vero eſt, vt haec linamenta oris venarum adprimantur. In Chirurgia traditur methodus, qua illa, filo per nares faucesque traiecto, valentius adduci et adprimi poſſint. Vid. Cap. de Polypo. Praeſtanda eſt frigida, dandum eſt nitrum cum coralliis. Abſtineat aeger ab omni calido.

§. 272.

§. 272.

Quia haemorrhagia narium plures morbos ſoluit, alios leuat, plures hanc excretionem moliti ſunt, et varia tum a Graecis, tum ab Aegyptiis excogitata fuerunt ferramenta, aliaque ad id idonea. Anſerinam pennam, cuius extrema ora in longum inciſa et retorta eſt, a recentioribus adhibitam eſſe legimus. Id quod ex ARETAEO diſcimus, nec non Aegyptii, auctore ALPINO, de ſcarificandis naribus cogitauerunt, et varia inſtrumenta inuenerunt. Vid. noſtra Diſſert. *de Scarificatione oculorum.*

HAEMOPTYSIS.

§. 273.

Eſt ſanguinis paullo copioſioris profluuium per pulmones. Diſtinguitur a ſputo cruento, quod quandoque a faucibus eroſis vel exulceratis, a gingiuis, dente carioſo, crebrius a naribus fertur. Ex naribus enim exit et ſaepe in fauces defluit ſanguis, qui vel ſcreatu, vel leui tuſſicula reiicitur. Hoc ſputo cruento, in quo nullum periculum eſt, ſoluitur quandoque cephalalgia. Aliud ſputum cruentum eſt in peripneumonia, vbi ſanguis cum pituita remixtus, poſt praegreſſam febrem coctionemque tuſſi extunditur. In vomitu cruento ſanguis magna cum nauſea ex ventriculo reiicitur per vomitum, qui plerumque nigricans eſt et coactus. Quibus haemoptyſis imminet, ii ſentiunt aliquam ſpirandi difficultatem, moleſtam faucium et pectoris intra ſcapulam ſtrictūram, horripilationem et frigus extremorum, dolorem in pectore, cordis palpitationem. Poſt aeger paullum tuſſire incipit, ſentit pruritum et aliquem calorem in trachea adſcendentem, ſanguis in os fertur, ſine dolore, qui coccineus, multo aëre remixtus, ſpumidus reſpuitur. Si ſanguis ex inferioribus pulmonibus procedit, tuſſis vehementior

mentior eſt, quam ſi ex ſupremo pulmone fertur. Si ſanguinis maior modus fuit, et aeger tempore, quo is prorupit, ſupinus cubauit, accidere poteſt, vt eius aliquid deglutitum fuerit, quod poſt vomitu reiectum Medicum fallere poteſt.

§. 274.

Morbus hic frequentior eſt iunioribus, quibus corpus procerum eſt et tenue, et fibrae infirmae ſunt, qui ex re quauis protinus rubore ſuffunduntur, et qui pectus depreſſum habent, praecipue ſi illis ſanguis abundat, isque tenuis et rubellus eſt. Morbus haereditate propagatur. Aliae cauſſae procatarcticae plures ſunt, obſtructio menſium et haemorrhoidum, citatior curſus, vehementior nixus, et ſi homo graue portat onus, maxime ſi tales exercitationes in aëre vel iuſto frigidiori, vel etiam calidiori fiunt. His cauſſis adnumerari debet ira cum multa vociferatione et voce acuta, tibiarum inflatio, potus inebrians, balneum calidum, diuturnior alui obſtructio, nixus ad deponendam aluum, vel ad partum edendum, arctiores veſtes thoracesque, quibus foeminae amiciuntur. Plurimum confert aër vel nimis tenuis, in altiorum montium cacuminibus, vel nimis frigidus. Vtroque enim ſanguinis tranſitus per pulmones et perſpiratio tardantur cohibenturque. Raro ſanguis effertur ex arteriis venisque per halitus ſulphureos acidos exeſis. Alii metallici halitus occaſionem dare poſſunt, dum iis pulmo conſtringitur et ſanguinis motus impeditur. Interea humorum acrimonia, quamuis non ita facile vaſa arrodat, tamen minima vaſcula ſtringit arctatque, ſanguinem cogit, qui in vaſcula lateralia transfuſus, haec ſubſiſtendo diuidit, et ſpaſmos, ſtricturam, ſanguinis ſputum aliosque morbos excitat. Ab interna acrimonia malum ortum eſſe, notam habemus ex ſapore ſalſo, de quo aeger conqueritur. Phthiſicis non raro ſanguis ex pulmonibus prorumpit, quae res hominem ſubito ſtrangulat, vel mortem certo maturat. Haemoptoë ex menſtruis ſuppreſſis orta, eorum plerumque

perio-

periodum ſeruat, quam praeterea ex vulnere ictuue grauiore, pectori illato, interdum oriri nemo ignorat.

§. 275.

Sanguis ex naribus et faucibus in pulmonem deſtillans, qui etiam in aſpera arteria titillationem tuſſimque excitat, decipere poteſt Medicum. Tunc vero aegri moleſtum ſenſum habent in palato, non vero in pectore vel trachea. Vera haemoptoë numquam ſine periculo eſt. Sanguis enim, qui ex receptaculis ſuis erumpit, non ſolum in pulmonis veſiculas, ſed etiam in contextum celluloſum, qui inter illas medius eſt, ingreditur, in quibus calore corrumpitur, vt vlcera ſequantur. Raro haemoptoë repente funeſta eſt, niſi phthiſicis. Crebrius Phthiſis et Aſthma eam ſequuntur. Maior metus eſt, ſi corpus cacochymia vel alio morbo laborat. Plus periculi habet, ſi ſanguis ex rupto vaſe maiore et ex imis pulmonibus procedit. Si poſt haemoptoën pus exſcreatur et febricula accedit, phthiſis ſequitur. Mali morbi teſtimonium eſt, ſi is per haereditatem relictus fuit. Minus periclitantur aegri, quibus ab aëre nimis raro, vel a catameniis ſuppreſſis orta fuit haemoptoë. Ex cauſſarum enim notitia atque aeſtimatione petenda eſt et prognoſis et medendi ratio.

§. 276.

Vbi itaque ſanguis cum impetu ex pulmonibus effertur, isque exſpuitur, protinus eius non parum, et ad minimum libra pondo, ex talo detrahenda eſt. Sanguinis miſſio iterari debet, ſi homo plenior eſt, atque calor et febricula manet. Dari poſſunt nitrum cum coralliis ana gr. xv. vel loco coralliorum lapides cancrorum cum acido Citri. Aluus ſoluenda eſt lotione emolliente frigida, addito melle et nitro. Quamprimum ſanguis conquieuit, dari debet Apozema ex Tamarindis, Paſſulis, cum Manna, vel Syrupo de Cichoreo cum Rhabarbaro. Sales alieni ſunt. Si malum vehementer vrget, crura quoque et femora, immo et brachia pluribus locis deligari poſſunt. Primum eſt quies,

tum

tum corporis, tum animi, maxime pectoris et pulmonum. Nocet aër nimis calidus, nimis frigidus, nimis etiam rarus et concretus. Peſſimus vero aër, qui morbum fecit, ſi is non mutatur. Dari poſſunt emulſiones ex ſemine Cardui Mariae, Papaueris, Pineis, addito pauco nitro. Adſtringentia non ita tuta ſunt, quod ex iis tubercula vel vomicae naſcuntur, et ex his phthiſis relinquitur. Ceteris tolerabilior eſt Tinctura terrae Catechu. Extollunt ſuccum recentem Centumpodii, vel Vrticae minoris, qui aquis deſtillatis, vel decocto hordei, admiſceri poteſt. Nocent omnia acria et volatilia. Victus ſit modicus, a fame propior. Conueniunt pulticulae ex oryza, auena, hordeo excorticato, gelatina ex Cornu Cerui cum ſucco acido et alia ſimilia, fructus etiam horaei aëre exſiccati. Aeger ab omni tum corporis, tum maxime pectoris exercitatione, a Venere etiam et a balneo abſtineat. Aëris rationem habeat, et conclaue calidum incluſum, multa veſtimenta eaque arctiora, vitet. Numquam aluus adſtricta ſit vel iuſto ſiccior. Si malum vehementer vrget, quandoque ad ſanguinem ſiſtendum proficit hauſtus frigidae aquae.

§. 277.

Si ſanguis prorſus conquieuit, relicta tamen fuit ſpirandi difficultas, ſemper metuenda eſt phthiſis. Omne praeſidium in abſtinentia et regimine poſitum eſt. Plurimum proficit lac aſininum, quod per vnum alterumue menſem potandum eſt. Si homo lac ferre nequit propter imbecillitatem, et quod illud in eius ventriculo coaceſcit, is potare poteſt ſerum lactis dulce ad methodum HOFFMANNI. Etiam conducunt infuſa aquoſa dilutiora, nec valde calida, ex herba Veronicae, Chaerephylli, Scabioſae, floribus Arnicae, Bellidis et Roſarum. Floribus Arnicae, quos ex aqua vel cereuiſia coquunt, magnam virtutem tribuunt. STAHLIVS laudat aquam pectoralem ex herbis recentibus fermentatis paratam. Vid. eius Diſſert. *de Affectibus pectoris* §. 53. Plures extollere ſolent balſama acriora, quo-

rum vnam vel alteram guttulam cum vitello oui, vel etiam emulsione subactam, interdum dare licet. Quam primum vero deprehenditur, his anxietatem sanguinisque motum augeri, ab iis abstinendum est. MORTONVS plurimum tribuit Cortici Peruuiano, qui vero etiam caute adhibendus est. Quando omnia conquieuerunt, maxime post vsum lactis asinini, in corpore, cuius fibrae relaxatae, ille admitti posse videtur. Nocent becchica sine moderamine data, quibus pulmonum fibrae relaxantur. Primum et optimum auxilium est abstinentia et continentia aegri, cui nocet omnis potus inebrians, victus aromaticus, sale conditus. Nam etiam medicamenta ex salibus nocere possunt, dum nimium stimulant et tussim excitant. Nocet etiam omnis valentior exercitatio, animi perturbatio, maxime etiam repletio tum ventriculi, tum intestini coli, quibus tumidioribus diaphragmatis motus impeditur. Aluus sit libera, numquam cohibeatur sudor, et vitetur, quantum fieri potest, sternutatio et tussis. Conuenit vectio in curru, in aëre puro, nec nimis frigido, nec calido, et pro valde imbecillis gestatio in lectica. Robustioribus, vbi sublatus est sanguinis motus, equitatio. Victus ab initio parcus sit, a fame propior, ex vegetabilibus, lacte et fructibus horaeis aëre siccatis, hordeo et auena. Diligentius omnia obseruanda sunt, et sanguis mittendus ex talo, idque ab initio secundo et tertio quoque mense, si homo plenus est, et cetera viscera ei bona sunt. Etiam interdum cruribus admoueantur cucurbitulae, concisa prius cute. Si malum ab haemorrhoidum moliminibus profectum esse videtur, prosunt hirudines. Summum remedium est aëris salubritas, quare ab huius mutatione nonnumquam omne praesidium petendum est.

VOMITVS CRVENTVS.

§. 278.

De vomitu cruento, qui ab adſumtis acrioribus, venenis et draſticis medicamentis oritur, et qui cum inflammatione eſt, ſupra diximus. Aliud genus eſt, quod a cauſſis externis, ictu atque vulnere illato, profectum, raro ſanari poteſt, et violentum cum priori vocatur; ſpontaneus vero vomitus dicitur, ſi ſanguis ex dilatatis ruptisque vaſis ſanguiferis in ventriculum effertur et vomitu reiicitur. Differt ab haemoptyſi, in qua ſanguis extuſſitur, non vero vomitu editur. Obſeruatio docuit, in iis, qui ex hoc morbo perierunt, repertas fuiſſe venas, quae ex ventriculo ad lienem deſcendunt, et vaſa breuia dicuntur, ſanguine distentas ruptasque, lienem vero tumidum atque induratum, interdum etiam iecur affectum atque durum.

§. 279.

Vomitus cruentus fere ex iisdem cauſſis, ex quibus haemoptyſis, oritur (§. 274.), maxime a catameniorum et haemorrhoidum ſuppreſſione, et ſi ex his humida corporis, ipſe praeſertim ſanguis, corrumpitur. Dum enim ab humorum acrimonia ſpasmi fiunt, iis ſanguinis motus per vaſa, praecipue per venas, impeditur, vaſa intumeſcunt, et tandem horum extrema et vaſcula e lateribus educta ampliantur et ſanguinem transmittunt. Contingere etiam poteſt, vt haec receptacula rumpantur et ex iis ſanguis feratur. Occaſionem ceteroquin dare poſſunt varia: potus ſpirituoſus, emeticorum abuſus, extremorum refrigerium, ira poſt paſtum, ſi ventriculus cibis valentioribus impletus, tanto magis, ſi haec fiunt tempore, quo catamenia fluunt, et ſi haec ex terrore ſubito ſupprimuntur. In genere notandum eſt, ſi menſtrua et haemorrhoides non recte proueniunt, ſaepe laborare ventriculum, aegrum nauſea, dolore

aliisque ſymptomatibus grauiter affici, idque oriri a ſanguinis congeſtione, vel impedito per hoc viſcus tranſitu, non vero ſemper a cruditatibus aliisque, quae alias ventriculum onerant.

§. 280.

Morbus non ſine periculo eſt, eius tamen minus habet, ſi foeminis accidit ex catameniorum ſuppreſſione. Nam his iterum prouenientibus, raro noxa relinquitur in ventriculo vel liene, quod viris longe frequentius accidere experimentis compertum eſt. Foeminis tamen metus eſt, ne morbus, data occaſione, recrudeſcat, quare hic abſtinentia valde neceſſaria eſt. Si enim ventriculum re quauis onerant, vel ſaltim implent, iterum diſtenduntur vaſa, et facile ſequitur nouum ſanguinis profluuium. Praegnantibus ſi incidit, poſt partum quieſcit. Si frequentior recurrit, vtriusque ſexus aegris periculum cachexiae adfert, quae etiam metuenda eſt iis, quibus quartana vomitu cruento ſoluitur. In acutis vix non ſemper funeſtus eſt, quamvis etiam die critico fiat. Etiam vomitus cruentus ex ſuis cauſſis oritur, ſique febrem habet comitem acutam, tunc vel tardiorem, vel ſeriorem mortem denunciat. Raro accidit, vt ſubito iugulet aegrum. Si ſanguis diutius, vel in obſtructo liene, vel in ventriculo vaſisque varicoſis, conquieuit, praeſertim ſi is ab acore hypochondriacorum et melancholicorum coactus fuit, oritur vomitus nigrorum. Haec materia nigra, picea, ex parte per aluum effertur. Hoc ſi incidit, vix ſeruari poteſt aeger, maxime ſi id, quod reiicitur, nares offendit, et cadauer olet, ſi accedit macies, debilitas, et ſi aeger ſaepius animo linquitur. Si autem, poſt ſanguinis nigri coacti vomitum aut deiectionem, ſanguis ſincerus, rubicundus, per aluum deſcendit, vix vlla medicina periculum ſubtrahere poteſt.

§. 281.

Curatio parum differt a curatione haemoptoës (§. 276.). Si multum ſanguinis vomitu editur, et homo plethoricus eſt,

eſt, protinus ſanguis detrahi debet ex talo. Aluus ducatur clyſtere molliente et frigido, addito nitro. Ventriculus plerumque omnium rerum impatiens eſt. Dari poteſt infuſum vel decoctum Millefolii, florum Arnicae et Chamomillae cum liquore anodyno. Nec alienum eſt decoctum Myrtillorum et Meſpilorum ſiccatorum. Valentiora tonica et adſtringentia bona haud ſunt. Si vomitus paullulum conquieuit, dari poteſt puluillus ex Coralliis, Conchis citratis, dente Hippopotami, mandibulis Lucii piſcis vel Cornu Cerui ſine igne, addito pauco nitro. Si tamen morbus vehementer vrget, dari etiam poteſt terra Catechu, vel terra ſigillata. Obſeruatio docuit, in foeminis, praecipue grauidis, ſatius eſſe malum tolerare, quam ſanguinem adſtringentibus coërcere.

§. 282.

Vbi omnia placata eſſe videntur, educendus eſt ſanguis et repurgandus ventriculus. Omnium optime hoc fit dato Rhabarbaro cum lapidibus Cancrorum cum acido citri ſaturatis, et addito pauco nitro. Proficit etiam lene digeſtiuum ex liquore Terrae foliatae Tartari, addito ſpiritu nitri dulci. Tandem vero, vbi omnia conquieuiſſe videntur, dari poſſunt ab initio emulſiones ex aquis tonicis, et tandem aliqua paullo efficaciora, veluti Tinctura Vitrioli martis Ludouici ad guttas XXX-XL. Tinctura Corallio-rum, eadem circiter doſi, et ſimilia. Quo nouus inſultus auertatur, ante omnia euitanda eſt omnis repletio. Nam ſemper oportet ventriculum contractiorem eſſe, quare aegrum ita eſſe oportet, vt parum alimenti ſimul ſumat, numquam ventriculum oneret. Peſtifera eſt ira, omnisque animi atque ſanguinis commotio. Saepe aluus ducenda eſt lotionibus, nec non Rhabarbaro, Apozemate ex Rhabarbaro, Tamarindis, Manna. Pedum refrigerium omni ſtudio vitandum, eorum autem fricationes et pediluuia vtilia ſunt. Potior cura habenda eſt menſtruorum et haemorrhoidum. Victus neceſſarius eſt tenuis et potio dilu-

tior, minime fermentata. Cibus optimus eſt ex iuſculis, quae ex auena, hordeo, fagopyro parantur, niſi ſanguis reiectus acorem ſpiret, vbi iuſcula carnium meliora ſunt. Numquam dari debet homini emeticum vel acre purgans. Plurimum proficiunt temperatiores aquae minerales, praeſertim ſi morbus a catameniorum vitio ortus fuit. His etiam, niſi aliquid obſtet, lac admiſceri poteſt, praecipue vbi iam tabes imminere videtur. Cum cura et haec adhiberi debent, nec etiam his ventriculus impleatur, vel vomitus cieatur. Vrgente malo pedes, ratione ſupra expoſita, deligari poſſunt.

VITIA MENSIVM.

§. 283.

Ab his ſaepius plures grauesque morbi, quibus foeminae conflictantur, naſci ſolent, et ſi hae aliis morbis, ex aliis cauſſis profectis, obnoxiae fiunt, catameniorum vitia ſaepiſſime illis ſuperuenire ſolent. Magnum tamen inter foeminas eſt diſcrimen, non ſolum quoad periodum, ſed frequentius quoad ſanguinis, qui ſingulis periodis excernitur, copiam. Illud cum aliis obſeruatio docuit, ſub coelo frigido puellis iunioribus aliquando, decimum vel duodecimum aetatis annum agentibus, prouenire catamenia. In locis vero ſeptentrionalibus hoc tardius etiam adoleſcentibus euenire. Apud nos decimo quarto aetatis anno ſanguis plerumque fluere incipit, et quadrageſimo octauo circiter deſinit. In omnibus oportet medentem conſiderare corporis habitum, conſuetudinem aliaque, vt ſcire poſſit, quid ſecundum naturam fiat, et quid praeter naturam fit, atque morbum ſignificet. Puellae autem non raro aegrotant, quibus ſolito tempore menſtrua non proueniunt. Nam ſi illae ſine hoc profluuio recte valent, nihil tentandum eſt.

Con-

Conqueruntur de languore, lumborum artuumque dolore, respiratione impedita, palpitatione cordis, ventriculi inflatione, nausea, ventris torminibus, insomniis. Facies fit pallida, oculi obscuri fiunt, vrina est tenuis, vel cruda et turbida, et tandem si morbus ingraueſcit, praesertim si is medicamentorum ingluuie oppugnatus fuit, nausea, aliis morbis, fluore albo, chlorosi, cacochymia, cachexia, imo et hydrope infestantur, quae deinde mortis periculum ostendunt.

§. 284.

Frequens hoc vitium est plethoricis, et quae pleniori victu vsae corpus non exercent, nec non aliis, quibus ante tempus catamenia medicamentis sic dictis emmenagogis mota fuerunt, quale praematurum profluuium plerumque pertinacior obstructio sequitur. Nam tum a plethora, tum a sanguinis defectu menstium vitia oriri, vsus docuit. Non parum conferunt occulta Veneris desideria, amor et moeror. Ex ceteris caussis potiores sunt ingluuies, vel, qua nonnumquam laborant, Pica, et si puellae ventriculum valentioribus alimentis, pane calido, similibusque glutinosis vel alienis, creta, carbonibus, onerant. Acida etiam, veluti acetaria, fermentescentia, aromata, idem efficiunt. Tanto magis haec nocent, si vel imminentibus, vel fluentibus catameniis sumuntur. Pedum et genitalium refrigeria, otium torpidum, parcior potus, vita sedentaria, maxime si varium opus perficientes corpus inclinant et abdomen comprimunt, caussis accenseri debent. Multum etiam nocent arctiores, quibus amiciuntur, thoraces. Raro puellae atretae sunt, quibus scalpelli opera necessaria est, de quo vitio Chirurgia videnda est. Mala etiam esse potest ipsius vteri conformatio.

§. 285.

Curatio caussis accommodanda est. Nam medicamentis emmenagogis sine discrimine datis et spes frustratur, et morbus pertinacior redditur, vt etiam plura alia incom-

moda ex iis naſcantur. Nec ſemper proficiunt ſanguinis miſſiones, quibus etiam puellae, propter alibi dicta (§. 265.), non tam cito adſuefieri debent. Praecipue nocet ſanguinis praematura detractio corporibus tenuioribus, imbecillis et ſimul raris. Animus ad ipſa, quibus puella vexatur, ſymptomata aduertendus eſt. Nam quae e catameniorum moliminibus proficiſcuntur, plerumque certo tempore exaſperantur reuertunturque. Et illo potiſſimum tempore aliquid moliri poteſt Medicus. Si enim illo tempore vehementior ſanguinis motus eſt, et quaſi quaedam febricula, cum lumborum et capitis dolore, abſtinentia et quiete opus eſt. Medicamenta cum his vel nulla danda ſunt, vel pauca et non alia, quam temperantia, veluti pulueres ex arcano duplicato, nitro, conchis citratis. Si vero puella phlegmatica eſt, et illa non tam febricula auctoque aeſtu, quam ſpaſmis vexatur, conueniunt Pilulae Becheri. Nec in his aliena ſunt ſic dicta emmenagoga, Eſſentia Abſynthii, Pimpinellae albae, Vincetoxici, Corticum aurantiorum, Myrrhae, Croci; Elixir proprietatis, Elixir vterinum Crollii et ſimilia. Non nimium tamen his calidis inſiſtendum eſt, et neceſſe eſt prius repurgatas eſſe primas vias. Illo tempore adhiberi poſſunt frictiones pedum cum linteis aſperioribus, pediluuia, fotus genitalibus admiſſi, et alia, quibus ſanguis ad inferiora et genitalia euocatur.

§. 286.

Poſtquam vero omnia conquieuerunt, tunc, quamuis menſtrua non prouenerunt, non medicamentis pugnandum, ſed abſtinentia vtendum eſt, et corporis moderata exercitatione, donec poſt quartam hebdomadem iterum illa ſymptomata ſentiat aegra. Vbi autem ex aliis intelligitur, lentos viſcidosque eſſe humores, vel pituitam in ventriculum et duodenum eſſe contractam, proficiunt infuſa, alibi laudata, per epicraſin purgantia, quae parari poſſunt ex radice Ariſtolochiae, Angelicae, Gentianae rubrae, Ari, Cyperi rotundi, Pimpinellae albae; ex herbis Matricariae, Meliſſae,

Meliſſae, Menthae, Rutae, Abrotani, Sabinae, Rosmarini; ſummitatibus Centaurii minoris, et Abſynthii; ſemine Foeniculi, Aniſi, Carui, baccis Iuniperi; cortice Winterano, Aurantiorum, addito Rhabarbaro, Senna, fibris Ellebori nigri, vel Agarico in petia ligato. Sedulo tamen proſpiciendum, ne his valentioribus vtamur in foeminis imbecillis et valde teneris, quibus maior ſanguinis mobilitas eſt. His proficiunt aquae minerales et acidulae, quibus etiam lac admiſceri poteſt. Interdum dari poſſunt cum his diluentibus Pilulae Stahlii. Plurimum proficiunt Thermae Carolinae. Aliis, quibus corpus valde rarum et partium ſolidarum magna imbecillitas et atonia eſt, conueniunt interdum martialia, quae ideo emmenagogis adnumerantur: Tinctura Vitrioli Martis Ludouici, Tinctura Martis helleborata Wedelii, Tinctura Martis cum ſucco pomorum Borsdorfianorum, ipſa limatura martis. Haec aliena ſunt, vbi fibrae rigidae ſunt, ſanguis abundat, vel vbi corpus vitiato humore abundat. Plurimum vero proficiunt, ſi poſt graues haemorrhagias menſtrua deficiunt, corpus autem prius iurulentis diluentibusque impletum fuit. His omnibus accommodandus victus eſt, vt eo tempore, quo molimina percipiuntur, puella ab omnibus, quae ventriculum onerare vel offendere et ſpasmos excitare poſſunt, abſtineat. Plurimum etiam confert corporis exercitatio, praecipue ſaltatio. Peſſimum vitium eſt mala conformatio vteri.

MENSIVM SVPPRESSIO.

§. 287.

Catamenia naturaliter nec grauidis, nec lactantibus proueniunt; nec tamen hoc perpetuum eſt. Etiam poſt partum, poſt magnas euacuationes et venaeſectionem, poſt

diuturnos morbos, interdum catamenia per plures hebdomades desiderantur. Nec semper, si menstrua deficiunt, propterea mulier aegrotat. Saepe sine his satis bene valent foeminae, quae vlcera chronica, praesertim in cruribus, habent. Nec in his quicquam moliendum est. Verae autem suppressionis caussae variae sunt, quibus aptanda curatio est. Si oritur a defectu humorum, tolerari debet, et dandus est victus laudabilis, iurulentus, praecipue iuscula cum herbis recentibus et radicibus Apii, Petroselini, Cichorei et similibus decocta. In nonnullis vero Plethora est sine cacochymia, id quod ex Plethorae signis et corporis habitu intelligitur. His proficit sanguinis missio ex talo, quae medio, inter duas mensium periodos, tempore suscipienda est. Simul aluus lenioribus ducatur, veluti Tamarindis, Passulis, Manna, Cremore Tartari, foliis Sennae. Cum his puluere ex nitro, arcano duplicato, conchis cum acido citri praeparatis, conueniunt. Plerumque nihil magis proficit, quam potus diluens aquosus, aquae minerales, quae etiam potioni praestari queunt. Eadem medendi ratio quandoque necessaria est foeminis valde robustis et exercitatis, et quae corpore adstricto sunt, quibus sanguis propter nimium solidorum robur et exercitationem valde coactus est. Etiam his multum proficiunt balnea ex aqua dulci, vel ex decocto emollientium, quae minime calida esse oportet. Quibus humores viscidi sunt et lenti, quae colore pallido sunt, quae corpus satis non exercent, somno indulgent, et quibus pulsus debilis est, iis conducunt emmenagoga. Praemitti debent purgationes ex massa Pilularum de Succino Cratonis, Extracto panchymagogo Crollii, Mercurio dulci, Resina Ialappae, Diagrydio. Deinde dari debent infusa vel decocta ex supra dictis emmenagogis (§. 286.), quorum decoctorum aliquot vnciae bis per diem epotari, ante cubitum vero sumi possunt Pilulae Stahlii. Optime his proficiunt infusa per epicrasin laxantia. In his omnibus vero curationibus duo potissimum notanda sunt, vt primo semper a lenioribus incipiamus, et vt omnia accommodemus periodo

men-

menſtruorum. Quare, ſi quid moliendum eſt, illud potiſſimum eo tempore, quo catamenia fluere ſolita erant, fieri oportet. Plurimum proficit, praeſertim in corporibus pituita redundantibus, corporis exercitatio et frictio pedum cum linteis calidis. Multi etiam vſus ſunt pediluuia.

§. 288.

Si catamenia ſubito terrore fuerunt repreſſa, quandoque vehementiora ſymptomata oriuntur. Si haec vehementer vrgent, venaeſectio neceſſaria eſt in pede et frictio pedum. Dari debent antiſpaſmodica, nitrum, cinnabaris, et cum his Pilulae iſtae (§. 287.). Optime Pilularum ſcrupulus, cum nitri granis decem, ſoluitur in vino vel aqua meliſſae et protinus aegrae propinatur. Multum iuuant pedum frictiones et pediluuia. Interdum, ſi accidit paſſio hyſterica, proficit opiatum, Laudanum liquidum Sydenhamii ad guttas x. xv. vel Laudanum opiatum, cuius gr. j. commode admiſcetur illis pilulis, quibus etiam adiici poteſt Extractum Caſtorei. Nam opiata etiam emmenagoga eſſe poſſunt, ſi menſtrua a concitatioribus ſpaſmis ſupprimuntur. Si ex frigore catamenia repreſſa fuerunt, adhibenda ſunt pediluuia, immo ſemicupia et balnea, cum frictione partium inferiorum; ſi vehementiora vrgent ſymptomata, quandoque neceſſaria eſt venaeſectio.

MENSTRVA NON BONI COLORIS.

§. 289.

Non aliam fere curationem poſtulant catamenia, quae non boni coloris ſunt. Si ſanguis, qui excernitur, nigricans eſt, et fere aduſtus, metuendum eſt, ne ſanguinis craſſitudo et illa diatheſis oriatur, quam vulgo ad atram bilem

lem referunt. Plerumque ex parciori potu naſcitur. Diluentia imperanda ſunt, atque egregie proficiunt aquae minerales, quae quum variae ſint, corporibus, quorum diuerſus admodum habitus eſt, accommodari oportet. Vbi vero ſanguis pallidus eſt, et pituita abundat, videndum, num fluor albus accedat, de quo ſeorſim dicendum eſt. Saepiſſime a ſpaſtica contractione vteri non ſincerus, ſed dilutior ſanguis et pallidus profluit, vbi adhibenda, quae ſpaſmos atque horum cauſſas tollunt. Non paucis proficiunt balnea, fomenta genitalibus admiſſa, et alia iam ſupra propoſita. Interdum ſpaſmi oriuntur a ventriculo, quem pituita vel alia mala materia infeſtauit, vel foemina hyſterico morbo obnoxia eſt. Si vero ſanguis pituita abundat, proficiunt illa infuſa per epicraſin laxantia, Thermae et Aciduiae valentiores diu potandae, cum ſubinde datis Pilulis Stahlianis. Thermae etiam extrinſecus adhibitae, veluti Toeplicenſes, et ſi harum copia non datur, balnea ex aqua fluuiatili, multum prodeſſe ſolent, potiſſimum poſt finitum aquarum mineralium potum. Omnibus accommodandus eſt victus, et caueant ſibi foeminae, ne tempore, quo catamenia inſtant vel proueniunt, ventriculum onerent, quo tempore etiam alia, quae in rerum non-naturalium vſu committi ſolent, prae ceteris animi perturbationes, magnam nocendi poteſtatem habent.

SANGVINIS NIMIVM PROFLVVIVM MENSTRVVM.

§. 290.

Raro menſtrua modum excedunt. Nam multa differentia inter foeminas eſt, et pluribus, quibus viſcera integra ſunt, ſingulis menſibus magna vis ſanguinis cum euphoria profluit. In his, ſi ſanguis ſupprimitur, maiora pericula

ricula oriri neceſſe eſt. Igitur non ſemper fides habenda foeminis, quibus hoc profluuium moleſtum eſt, et ſaepe de eo vt nimio conqueruntur. Conſiderari debet corporis habitus, et num profuſionem ſequatur imbecillitas vel alius morbus. Nec ignorari poteſt, poſt ſuppreſſa per aliquot menſes catamenia, id quod poſt partum aliasque occaſiones fieri ſolet, ſaepe ſanguinem copioſiorem fluere, et hoc etiam tolerandum eſſe. Si vero ſanguis cum impetu erumpit, atque ex hac profuſione periculum imminet, vel ſi, hoc profluuio per plures dies perſeuerante, foemina valde debilitatur, videndae ſunt cauſſae. Id enim quandoque oritur a vini iunioris et meracioris abuſu, a victu aromatico, a vehementi corporis exercitatione, ab iracundia, terrore, ab abuſu emmenagogorum calidorum. Peſſimum eſt, ſi vel in ipſo vtero, vel in aliis viſceribus abdominis, qua parte vel tumor, vel ſcirrhus eſt, et ob hunc humorum circuitus turbatur. Scirrhus vteri ex frequentioribus cauſſis eſt. Ex hac profuſione metus oritur cacochymiae, cachexiae, hydropis et hecticae.

§. 291.

Etiam aduerſus hoc profluuium proficiunt temperantia, non raro nocent adſtringentia. Si foeminae id metuunt, ante catameniorum periodum aluus liberanda eſt lotionibus emollientibus fere frigidis, aqua etiam ſimplici, addito nitro, in aluum immiſſa. Praeter enemata aluus etiam, antequam catamenia proueniunt, duci poteſt Apozemate ex decocto Tamarindorum, Paſſularum minorum, Manna, Cremore Tartari. Cum his dari poſſunt pulueres temperantes ex nitro et coralliis, atque cum his alibi propoſitae emulſiones cum nitro. Si foemina valde plena et plethorica eſt, paucus ſanguis ex brachio detrahi poteſt. Ante omnia neceſſaria eſt quies, et aegra ſupina iaceat in lectulo, coxis elatioribus, ita, vt eam nec lux, nec ſtrepitus, nec nimius calor offendere poſſit. Animi tranquillitas valde neceſſaria eſt. Sunt, qui hoc caſu Pilulas Becheri plurimum extol-

extollunt, quae interdum ſalubres ſunt, ſi haemorrhagia oritur a retenta aliqua parte placentae in praegreſſo partu vel abortu, et ſi inteſtinum rectum fecibus repletum eſt; ſed alia eccoprotica tutiora ſunt. Interdum his foeminis, quibus tales profuſiones frequentiores ſunt, hectica imminere videtur. His ſollicite imperanda eſt quies, aptusque victus et regimen. Neceſſe eſt, vt tales per longum tempus lac aſininum, vel ſolum, vel cum aqua Selterana potent, cum quibus poſſunt balneis vti frigidioribus ex lacte. Plurimum foeminis nocent thoraces aliaeque veſtes adſtrictiores. Si ventriculus id tolerare poteſt, potioni praeſtanda eſt aqua frigida fontana. Tempore vero, quo ſanguis cum impetu effertur, bibat foemina decoctum Tartari crudi cum ſucco citri. Ceterum ea ſeruanda ſunt, quae dicta fuerunt de haemorrhagia in genere.

ABORTVS.

§. 292.

In hoc etiam maximum periculum eſt ex ſanguinis profuſione. Dicitur vero abortus excluſio foetus nondum matūri, per ſpaſmos vteri et muſculorum abdominalium, quibus ſpaſmis diducitur ab vtero placenta, et aperitur orificium internum vteri. Auulſa placenta, ex dilatatis vteri vaſculis ſanguis cum impetu profluit, quae profuſio vix ſupprimitur, antequam excluſo partu vterus contrahi poteſt. Foemina abortum feciſſe dicitur ab altero circiter geſtationis menſe ad finem ſexti vsque menſis. Vltimis menſibus partus praecox adpellatur. Quum menſtrua etiam interdum in grauidis proueniant, neceſſe eſt, eorum profluuium ab ea profuſione diſtingui, quae in abortu fieri ſolet. Diſcrimen vero eſt in modo ipſius ſanguinis, in cauſſa et periodo menſtrua. Abortus fieri ſolet cum doloribus, qui ſimiles

ſunt

ſunt iis, qui in partu ſunt. Praeter haec menſtrua grauidarum ex vagina proueniunt, non ex vtero, quum os vteri his fluentibus clauſum ſit, quod, vbi abortus imminet, aperitur. Hoc vero manus obſtetricia tactu experiri poteſt. Ceteroquin abortum imminere oſtendunt dolores vagi in abdomine, et illae etiam notae, quae partum in vtero obiiſſe oſtendunt. Nam mortuus partus interdum per plures dies atque etiam hebdomadas in vtero relinquitur. Sunt illae notae, inſolitum pondus, quod etiam mutato ſitu voluitur, languor, facies lurida, mammarum macies et extenuatio, et ſi foemina nullum foetus motum percipit, et aliquando inhorret. Ipſe abortus, ſeu illud, quod ex vtero eiicitur, aliquando molam repraeſentare poteſt. Nam ſubinde accidit, vt carnoſa eiusmodi moles excludatur, quae vero intus embryonem continet, id quod incidere poteſt, ſi ſanguis, ex minore parte auulſae placentae fluens, vteri ſe contrahentis preſſione denſatur atque coagitatur. A ſecundo ad quartum vsque menſem abortus frequentiores eſſe, experimentis compertum eſt.

§. 293.

Quod ad cauſſas attinet, deprehendimus abortum frequentiorem eſſe foeminis imbecillis, plethoricis, hyſtericis, gulae, Veneri aliisque voluptatibus deditis, vel animo concitatioribus. Quidquid igitur in his vel ipſum vterum, vel muſculos abdominis, vel genus neruoſum in vniuerſo corpore, et maxime neruum intercoſtalem in abdomine vehementer irritat, illud abortui occaſionem dare poteſt. Igitur abortus fit ex terrore, ira, aliisque vehementioribus animi perturbationibus, ex plethora, praeſertim ſi illa commota eſt, ex aluī obſtructione diuturna, quoniam vterus, inteſtino recto incumbens, hoc male affecto etiam irritatur. Idem accidit ex medicamentis purgantibus acrioribus, dyſenteria, diarrhoea, praeterea ex abuſu medicamentorum calidorum, eorum etiam, quae aliquando aduerſus abortum laudantur, quibus omnibus ſanguis vehementius

mentius cietur. Abortus etiam contingit, si abdomen valde premitur, vel thoracibus arctioribus vestitur, praecipue si foeminae cum his altioribus calceamentis incedunt, et si abdomen casu ab alto, ictu illato, aliisque externis iniuriis laeditur, vel si corpus vomitu, saltatione, saltu, sternutatione, tussi, clamore, vectione super loca asperiora, aliisque vehementius concutitur, si corpus repente inclinatur, vel brachium nimium extenditur. Accidit hoc etiam ex fortiori nixu, dum pondus tollunt, vel aluum siccam deponunt, nec non ex aliis morbis, ex febribus acutis vel intermittentibus, ex haemorrhagia, vel casu, vel ex vulnere orta, ex defectu virium et nephritide, colica et similibus, nec non ex venenis. Foeminae aetate prouectiores aeque ac valde iuniores huic malo obnoxiae sunt. Priores propter fibrarum omnium rigiditatem, reliquae propter imbecillitatem. Sic etiam valde tenues aeque ac valde obesae, si vtero gerunt, periclitantur. Nec ignorari oportet, foeminas, quae semel abortum passae sunt, eidem iisdem fere mensibus obnoxias fieri. Saepe aliquid conferre potest vmbilici breuitas, et si is circa caput foetus vel aliquod eius membrum circumuolutus est.

§. 294.

Numquam sine periculo est abortus, maximus tamen metus est propter sanguinis profusionem. Optime is auertitur, si illae occasiones, de quibus mox dixi (§. 293.), vitantur, si plethoricis medio gestationis tempore, immo etiam, si id necessarium videtur, ante hoc tempus sanguis mittitur, et si aluus frequentius Rhabarbaro et Manna ducitur. Multum etiam proficit, cum victu idoneo, quotidiana et corpori accommodata exercitatio.

§. 295.

Si vero abortus imminet, et aegra spasticos dolores, cum his vero adhuc ipsius partus motum sentit, atque sanguis ex genitalibus effertur, protinus imperanda est quies. Iaceat supina, coxis elatioribus, ita tamen, vt nec ex hoc situ, nec

nec ex nimio calore incommodum ſentiat. Si valde plethorica eſt, et non niſi paucus ſanguis effertur, vel etiam ſi vehementior animi et corporis commotio praeceſſit, mox mittendus eſt ſanguis ex brachio. Quantitas mittendi ſanguinis ex ipſius aegrae habitu et ſanguinis per genitalia profluuio aeſtimari debet. In aluum immitti poteſt, praecipue ſi illa adſtricta fuit, lac, vel decoctum emolliens, lene, tepidum, frigidum potius, quam nimis calidum, addito pauco nitro, ſaccharo, vel melle, et oleo leniente. Cum his dari poſſunt pulueres temperantes atque tonici. Potioni praeſtanda eſt ptiſana ex hordeo vel decocto Tartari cum ſucco Citri, nec non cum gelatinis, quibus admixti ſunt ſucci acidi; vehementiora vero adſtringentia fere aliena ſunt. Vbi his ſanguinis profluuium conquieuit, dari debent iuſcula cum acetoſa vel ſucco Citri, quae ea ratione offerenda ſunt, ac alibi dixi (§. 136. 186. 190.). Per plures vero dies quies et regimen neceſſaria ſunt. Non vero ſanguis fluere deſinit, ſi is coactus os vteri internum praecludit, qui vero mox cum impetu iterum erumpit, quare quietem diutius ſeruari neceſſe eſt. Si cum magno periculo ruit ſanguis, etiam artus ea ratione, quam ſupra propoſuimus, deligari poſſunt. Nec etiam alienum eſt epithemata frigida, aceto vel oxycrato madefacta, lumbis et inguinibus imponi, quae vbi incaluerunt, remoueri oportet.

§. 296.

Si vero foetum mortuum eſſe quaedam indicia ſignificant, maxime, ſi foemina ante haemorrhagiam inhorruit, ſi abdomen mutatum eſt, et quaſi pendulum factum, ſi aegra ab aliquo tempore non infantis motum, ſed pondus quoddam in abdomine ſentit, ſi mammae emacuerunt, cum colore faciei lurido, tunc potius allaborandum eſt, vt foetus excludatur, quare ea, quae in partu fiunt, fieri debent; aduerſus profuſionem ſanguinis vero ſola temperantia adhibenda ſunt.

§. 297.

Eſt aliud genus haemorrhagiae, quod quandoque cum partu maturo accidere poteſt. Sanguis maximo cum impetu ex vtero effertur, antequam foetus os internum occupat. Oritur haec vel ab auulſa placenta, id quod ex omnibus illis cauſſis, ex quibus abortum fieri poſſe diximus (§. 292.), accidere poteſt, vel foetus vmbilico irretitus, dum deſcendit, placentam deducit. Inter rariores caſus eſt, ſi placenta non vteri fundo, ſed eius ori interno inhaereſcit, et dum os vteri internum ſpaſmis ampliatur, diducitur, dilaceratur atque ſanguinem fundit. Hoc vltimum tactu cognoſcere poteſt manus obſtetricia, ſi, dum ſanguis cum impetu et periculo ruit, digito nec foetus, nec eius humore diſtenta et aquis turgida membrana, ſed corpus aliquod molle rarumque, quale placentam eſſe nouimus, occurrit. In hoc caſu, qui fere deſperatus eſt, nihil proficiunt medicamenta, et minime diſtans curatio, per manus obſtetricis operam, requiritur. Demittenda protinus eſt manus, perrumpenda etiam placenta ipſaque, qua partus comprehenditur, membrana, et is conquiſitis pedibus extrahendus eſt. Si etiam os vteri apertum non eſt, illud vi aperiri oportet, inſerto vnctae manus digito indice, et demiſſis poſt etiam aliis digitis, donec tota manus intus eſſe poſſit. Etiam dum ſic digitis afficitur irritaturque os vteri internum, ſpaſmi excitantur, quibus illud aperitur, excluſio etiam iuuatur acceleraturque.

LOCHIORVM FLVXVS.

§. 298.

Lochiorum nomine ſignificatur ille humor, qui poſt partum ex dilatatis vteri vaſis, dum is ſi vterus ſe contrahit, et ad naturalem habitum reuertit, exprimitur. A primis

mis poſt partum diebus ſanguis ſincerus, ab initio multus, poſt vero paucus, tandem magis pallidus, et ſub finem humor viſcidus ac gelatinoſus, male plerumque olens, profluit. Primo die poſt partum ſaepe ſanguis per moram in vtero concretus excernitur, id quod in iis, quae olim partum iam ediderunt, continuatis vehementioribus doloribus *(Nachwehen)*, fieri ſolet. Maxima tamen in foeminis varietas eſt. Nam, quibus menſes abundantiores eſſe ſolent, iis etiam lochia diutius et maiori in copia profluunt. Quae vero in partu magna ſanguinis profuſione exhauſtae ſunt, illis lochia pauciora eſſe ſolent. Lochia etiam copioſa feruntur iis, quarum vtero placenta pertinacius inhaeſit, et vi fuit auellenda. Neceſſe etiam eſt, vt Lochia magis fluant iis, quae lac reprimunt et infantem non alunt. Si recte exeunt lochia, ſola quies neceſſaria eſt, et regimen; aliena ſunt omnia medicamenta. Si vero ſanguis cum periculo ruit, placentae pars in vtero relicta eſt, qua vterus impeditur, quo minus ſe contrahere poſſit. Medici igitur officium eſt, qui puerperae curam habet, vt diligenter inſpiciat ſecundam. Etiam lochia quandoque immoderatius fluunt foeminis tenuioribus valde imbecillis, viribus defectis, nec non aliis, quibus ſub partu medicamenta cardiaca, vel alia ad ciendos dolores, data fuerunt, quae citius, quam par eſt, partum laborioſis nixibus adiuturae, ex iis, vel etiam ex vino, quo ſe ingurgitarunt, incaleſcunt. Non parum conferunt animi pathemata, perturbationes, nimius calor, alui obſtructio.

§. 299.

Si Medicus certus eſt, aliquid placentae in vtero relictum fuiſſe, et ſi vterus iam iterum contractus eſt, ſanguis vero cum impetu et cum aliquo periculo fluit, ſeruanda eſt quies, danda ſunt temperantia, et cum his Pilulae Stahlianae. Dari etiam poſſunt decocta florum Chamomillae ex cereuiſia, cum oleo amygdalarum dulcium recenti non rancido. Si aluus ſub partu non fuit ſoluta, ante omnia ad-

hiberi debent lotiones ex decocto emollientium, vel auenae excorticatae, cui adiiciatur oleum modo dictum cum pauco ſale. Lotiones non calidas eſſe oportet, ſed frigidiuſculas. Omnia ſimul adhibenda, quae in vrgente haemorrhagia praecepimus. Iterari poſſunt modo dictae Pilulae. Aliena ſunt omnia valentiora pellentia, quae haemorrhagiam augent, vel vteri inflammationem relinquunt.

§. 300.

Longe frequentius incidit, vt lochia deficiant, id quod tanto magis metuendum eſt, ſi hoc protinus poſt partum et repente a cauſſa etiam repentina incidit. Hoc enim fieri poteſt ex partu difficili, ſi vterus manu obſtetricia violatus, vel valde vexatus fuit, et ob id ille, et praecipue os internum, intumuit, vel ſi protinus poſt partum in vterum illapſus eſt aër frigidus. Nam ſub partu, quam primum foemina foetum enixa eſt, genitalia linteo calido contegi debent. Etiam lochia ſiſtuntur, ſi foemina debilis citius, quam par eſt, ex lectulo ſurgit, et genitalia aëri exponit. Plurimum etiam nocet, primis poſt partum diebus, potus frigidus et fermenteſcens, inprimis cereuiſia et ipſum, quod ſanguinem mouet et inflammationem excitat, vinum. Magnam nocendi facultatem habent etiam in hoc profluuio animi pathemata, prae ceteris terror atque ira. Ceteroquin plurimum confert plethora, et ſi plethoricis ſanguis ante partum non fuit detractus. Saepe etiam hoc efficiunt varii generis medicamenta, quocumque ſub titulo, vel in partu, vel poſt partum data. Faſcia, qua abdomen poſt partum deligatur, ſi vel nimis adſtricta eſt, vel nimis laxa, id efficere poteſt.

§. 301.

Ex lochiorum obſtructione ſaepe maxima ſequuntur pericula, dolores cum tenſione abdominis, huiusque tumor et durities, alui obſtructio, anxietas praecordiorum, languor, nauſea, vomitus, animi deliquium, frequentiſſime etiam

febris

febris continua et exanthematica, vteri inflammatio. Interdum relinquuntur morbi chronici, melancholia, phantasia corrupta, mania, &c. Saepe in vtero, si eius interior pars inflammata fuit, et inflammatio suppuratione finitur, manent vlcera, quae magis et magis cacoëthea fiunt, ex quibus post mala sanies sine intermissione effluit. Vterus etiam ex inflammatione scirrhosus fit; scirrhus vero non raro in verum carcinoma mutatur. Si lochiorum suppressionem spastici morbi sequuntur, illi tolerabiliores fiunt, quam si accedit febris, et vteri inflammatio, quae, si paullo profundior est, raro feliciter cedit.

§. 302.

Si lochiorum suppressio est sine febre, protinus danda sunt diluentia, quibus sanguis mobilior redditur, et vasa magis aperiuntur, sanguis vero concretus ex vtero expellitur. In hoc casu proficiunt illa iuscula tenuiora pullorum cum oleo amygdalarum dulcium, nec non decoctum florum Chamomillae, et alia similia. Cum his diluentibus dari possunt saepe laudatae Pilulae, vel quoque Apozemata laxantia ex decocto Rhabarbari, Cremoris Tartari, Tamarindorum. Euitentur dulcia; Manna, si adiicitur, oportet illam recentem esse. Si lochia fluere incipiunt, leniore stimulo opus est, veluti Essentia carminatiua cum liquore anodyno. Foeminis autem, quae corpore adstricto sunt, magis prosunt lubricantia, v. g. oleum amygdalarum dulcium cum iusculo calido. Si abdomen tumet et durum est, imponi potest cataplasma, quod componitur ex emollientibus, additis carminatiuis ex lacte decoctis. Vel parari possunt cataplasmata ex pane mellito (germanice *Pfefferkuchen*) cum aqua, addito pauco vino. Etiam conducunt olea emollientia, additis paucioribus carminatiuis. Omnia, quae imponuntur, nec calida, nec frigida esse oportet. Si, his omnibus frustra adhibitis, lochia non fluunt, sanguis mitti potest ex talo. Rarius reperiuntur foeminae, quibus naturale est, vt nulla vel pauca admodum lochia fluant.

§. 303.

Haec vero plerumque aliena ſunt, ſi lochiorum defectus cum febre eſt, id quod pulſus et alia ſigna oſtendunt. His proſunt temperantia, potiuncula ex aquis deſtillatis Meliſſae, corticum Aurantiorum. Si mulier dulcia aduerſatur, dari poſſunt pulueres ex lapidibus Canerorum cum acido Citri, additis paucioribus granis nitri et cinnabaris, qui pulueres etiam ſumi poſſunt ex aqua Meliſſae ſine vino, et aqua corticum Aurantiorum. Cum his vero neceſſarium eſt, vt aluus aperta ſit, quare ducenda eſt clyſtere emolliente, vel leni aliquo ſuppoſitorio, veluti globulo moſchato. Dari cum his debent diluentia, ptiſana ex radice Scorzonerae, Hordeo excorticato, Auena excorticata, addito Syrupo corticum Aurantiorum. Si lochia fluere incipiunt, proficit infuſum aquoſum ex floribus Chamomillae, Chaerephylli, corticibus Aurantiorum, ſemine Foeniculi, quibus ſanguis coactus expellitur. Nec contemnendum eſt decoctum florum Chamomillae. Vbi febris ſe paullulum remiſit et lochia fluunt, dari poſſunt Pilulae Stahlianae, addito nitro. Poſt aliquod tempus iis, quibus lochia non ſatis prouenerunt, dari poteſt infuſum per epicraſin laxans.

§. 304.

Saepe multa controuerſia eſt de ſanguinis miſſione. Illa prodeſt, ſi foeminae plethoricae nullus ſanguis ante partum fuit detractus, et ſi cum ipſo partu non magnum fuit ſanguinis profluuium. Maxime vero conſiderari debet tempus. Nam quae breui poſt partum ſaluberrima eſt, nocere poteſt, et mortem maturare, ſi iam febris inualuit. Nam vteri inflammatio ſoluitur vel catameniorum profluuio, vel orta in eius parte interiore ſuppuratione, vel facta metaſtaſi, per purpuram in cute ortam. Si tardius mittitur ſanguis, ſaepe turbatur et ſuppuratio et purpura. Sanguis, ſi is protinus poſt partum mittitur, plurimum pro viribus aegrae detrahi debet.

HAE-

HAEMORRHOIDVM FLVXVS.

§. 305.

De Haemorrhoidibus multa inter Medicos controuerſia eſt. Obſeruatio docuit, iis fluentibus corpus a variis grauiſſimisque morbis tutum praeſtari, plures etiam magnos morbos iisdem ſolui; e contra vero, ſi haemorrhoides internis externisque reprimuntur, graues, immo funeſtas valetudines naſci. Sed tamen hoc non perpetuum eſt, et docente id etiam obſeruatione, hoc profluuium non ſemper criticum, ſed ſaepe ſymptomaticum eſſe ſolet, quod a fecibus induratis, in inteſtino recto haerentibus, a viſcerum abdominis obſtructione, et impedito ſanguinis circuitu, a ſpasmis ortum, corpus imbecillum reddit et aliis morbis obnoxium, immo aegrum interdum celerius praecipitat.

§. 306.

Eſt vero haemorrhoidum magna diuerſitas. Diſcrimen inter internas et externas docet Anatome. Arteriae enim haemorrhoidales internae oriuntur a meſaraica inferiori, et venae his reſpondentes pertinent in venam portae, quandoque in ramum ſiniſtrum ſeu ſplenicum, interdum in ipſam commiſſuram vel angulum. Arteriae haemorrhoidales externae oriuntur ex iliaca interna, quae alias epigaſtrica vocatur, quibus reſpondent venae, quae ideo ad venam cauam pertinent. Plerumque ſanguis ex internis fertur, raro ex externis, quae vero longe frequentius, quam internae, intumeſcunt. Ex anatomicis repeti oportet, ex arteriis haemorrhoidalibus in inteſtini lacunis mucum ſecerni, quo aluus lubricatur. Vaſa haemorrhoidalia, praecipue venae, multa mollique pinguedine comprehenduntur, quae, dum illae ſanguine plenae intumeſcunt, iis cedit, et quae vaſo-

rum tunicas multum laxat atque infirmat. Hoc, et ſitum corporis erectum, ac difficiliorem ſanguinis per venas reditum conſideranti, ratio apparet, cur haemorrhoidum tumores adeo frequentes ſunt, et ex leui data occaſione naſcuntur. Nonnumquam, loco haemorrhoidum, albus tenaciorque mucus ex internis excernitur cum leuamine. Vocant nonnulli *haemorrhoides albas*.

§. 307.

Salutares plerumque ſunt haemorrhoides, quae anno circiter xxxmo fluere incipiunt. Si pueris proueniunt, plerumque adoleſcente aetate iterum conquieſcunt et varias valetudines relinquunt. Salubriores ſunt, quae certam periodum ſeruant, quam vagae. Illa vero periodus varia eſt. Nonnullis ſexto quoque menſe, aliis ſingulis menſibus recurrunt. Sunt, quibus hoc profluuium fere perpetuum eſt. Nec foeminae iis deſtituuntur, quibus frequentiores ſunt coecae, quam fluentes. Prae ceteris eis obnoxiae fiunt grauidae et parturientes, quippe quibus ab vtero venae hypogaſtricae comprimuntur, et quibus ſub vehementioribus in partu nixibus capitula venarum intumeſcunt. Peſſimus eſt mos obſtetricantium, ſi digito in anum demiſſo os coccygis deprimunt, vt partui exitus detur. Sic enim vexatum inteſtinum intumeſcit inflammaturque, in quo illae haemorrhoidales venae attolluntur, quae quaſi capitula prominent et conſpicuae fiunt. Quibusdam haemorrhoides cum catameniis fluunt, pluribus vero ſingulis menſibus poſt catamenia, nec non poſtquam catamenia per aetatem ceſſauerunt, hoc incidit. Ex viris haemorrhoidibus obnoxii ſunt plethorici maxime, quibus ſanguis ater craſſusque eſt, ita, vt propterea is difficilius per abdominis viſcera circuire poſſit. Plurimum confert vita ſedentaria, hypochondriorum compreſſio, aluus ſicca, liberalior vini, praecipue recentis valentiorisque, potus, Veneris et aphrodiſiacorum abuſus, victus cum aromate, allio, cepis, purgantia, et ex his prae ceteris aloë et elleborus, abuſus Pilularum Becheri et Stahlii,

Stahlii, frequens vſus diureticorum, ex quibus, et ex ipſa gonorrhoea maligna, praecipue ſi purgantibus curatur, ſaepe haemorrhoides coecae concitantur. Equites et Rhedarios, qui dum equo vel rheda vehuntur, valde ſuccutiuntur, haemorrhoidibus laborare, obſeruatio docuit.

§. 308.

Quibus haemorrhoides criticae fluunt, illos oportet idem regimen ſeruare, quod foeminis, quibus menſtrua proueniunt, neceſſarium eſt. Euitanda eſt omnis medicatio, abſtinendum ab omnibus, quibus ventriculus onerari poteſt, vel ſanguis citari. Nocent, cum Venere, animi perturbationes, extremorum refrigeria, vehementior exercitatio. Videndum, vt aluus libera ſit, quae etiam leniorибus, Manna, Tamarindis et ſimilibus, non vero aloëticis, ſolui debet.

§. 309.

Raro haemorrhoides ſanguinem ita fundunt, vt ex profluuio metus eſſe poſſit. Id vero magis ex aegri debilitate, quam ſanguinis modo aeſtimari debet. Semper enim conſiderandus eſt in homine corporis habitus, victus, temperamentum. Si poſt diuturnas valetudines haemorrhoides proueniunt, etiam illud verum eſſe deprehenditur, nihil, quod paucum eſt, eſſe criticum. Tunc demum fluxus ſuſpectus eſt, vbi magnam et indies creſcentem imbecillitatem adfert, et ſi ex eo cachexia imminet. Si cachecticis fluere incipiunt, ab initio leuamen afferre videntur, breui vero aegrum ſanguine et viribus exhauriunt. Nimia ex haemorrhoidibus profuſio interdum deprehenditur in corporibus adſtrictis, ex vini, Veneris, exercitationis, aloëticorum abuſu, interdum ex pertinaciori alui obſtructione.

§. 310.

Aeque periculoſum eſt, haemorrhoides, ac menſtrua, repente ſupprimi, quare et in hac haemorrhagia abſtinentia et quies prae aliis omnibus proficiunt. Aluus ſi adſtricta

eſt, liberari debet a fecibus vel induratis, vel etiam acrioribus, medicamentis minus valentibus. Immittendae in aluum ſunt lotiones ex lacte, in quo coquantur emollientia, addito vitello oui et oleo liliorum alborum recenti, minime rancido. Etiam conducunt Apozemata antiphlogiſtica. Vbi magna acrimonia eſt, et ex hac ſtimulus in inteſtino recto, dari poteſt Rhabarbarum in puluere, additis terreis et paucioribus granis nitri. Si aluus ſoluta fuit, dari poſſunt pulueres ex Coralliis cum acido Citri, Cornu Cerui vſto, lapide Manati, addito nitro. HOFFMANNVS extollit liquorem anodynum, quem vehiculo adiicit, quo hi pulueres excipiantur. Etiam experiri licet infuſum aquoſum ex Millefolio et Arnica. Clyſteres tamen et infuſa minime calida eſſe oportet. Victus ad haec componendus eſt, circumcidendum eſt omne vinum, omnisque potio valentior. Proficiunt aquae Selteranae, vel aqua fontana, decocta ſupra laudata ex furfure, hordeo excorticato. Cibus eſſe debet ex vegetabilibus acidiuſculis, Cremore hordei, auena. Plerumque et in hoc caſu optimum leuamen afferunt temperatiores aquae minerales cum lacte aſinino, in qua tamen curatione diu et ſaepe per plures menſes, atque diligentius obſeruato regimine, perſeuerandum eſt.

§. 311.

Frequentius accidit, vt haemorrhoides fluere ſolitae ſupprimantur, id quod non rarum eſt iunioribus, et quibus ante aetatem hoc profluuium contingit. Saepe etiam hoc accidit ex imbecillitate viſcerum, et totius corporis, ſi homines, olim cum profluuio robuſti, vitam mutant, exercitationes, vel vini largiorem potionem omittunt, otio vel litterarum ſtudio et vita ſedentaria corpus imbecillum reddunt. Repente quandoque ſupprimuntur frigore, animi perturbatione, crapula, Venere. Etiam ſupprimuntur ex alio diuturno morbo, praecipue febre. Hoc ſi incidit, ſequuntur plura mala, morbus hypochondriacus, viſcerum infar-

infarctus et ſcirrhus, haemoptyſis, vomitus cruentus, tuſſis, aſthma, catarrhus ſuffocatiuus, cephalalgia pertinacior, vertigo, apoplexia, arthritis, nephritis, et plura alia morborum genera. Difficilius reſtituuntur, praecipue in corpore ſeneſcente, et quod olim robuſtum, poſt ex modo dictis aliisque cauſſis infirmum redditum fuit. Obſeruatione conſtat, plures, qui olim haemorrhoidibus obnoxii fuerunt, poſt has ſuppreſſas laborare ſudoribus, quos tolerare et conuenienti regimine excipere, numquam reprimere, oportet.

§. 312.

Quum valde difficile ſit haemorrhoides, praecipue infirmato corpore, reſtituere, non nimium in hac indicatione perſeuerandum, ſed potius incommoda, quae inde naſcuntur, alia ratione leuanda ſunt. Tanto magis hoc fieri debet, ſi malum iam inueteratum eſt, et ex eo morbi chronici orti ſunt. Si vero haud ita pridem haemorrhoides ſuppreſſae ſunt, ſi ſine aliis cognitis cauſſis lumborum dolor, inteſtini recti pruritus, et ſaepe ardoris ſenſus, vel etiam vaſorum capitula, quae circa anum conſpiciuntur, naturam hoc profluuium moliri manifeſtant, experienda ſunt auxilia, quibus interdum haemorrhoidum fluxus reuocari poteſt. Eſt tamen quaedam differentia. In corpore phlegmatico dari poſſunt Pilulae Stahlianae, addito gr. j-ij extracti Hellebori. Illa tamen omittenda ſunt, quam primum iis haemorrhoides externae excitantur, et venae intumeſcunt. Cum his Pilulis proficit Elixir Proprietatis ſine acido, Eſſentia amara, Elixir ſtomachicum, aliaeque ſimiles compoſitiones. Qui vero cholerici atque corpore adſtricto ſunt, iis ſub ipſis illis moliminibus vtiliora ſunt temperantia, ſales praecipue digeſtiui non admodum terendi, ſed qui groſſo modo pulueriſati deglutiri debent. Cum his pulueribus dari interdum poſſunt ſaepe commemoratae Pilulae. Id vero praeſtantius eſt, ſi cum his Pilulis potantur aquae minerales paullo valentiores, praecipue Pyrmontanae et Egranae, pro imbecillis Schwalbacenſes. Potioni quotidianae praeſtanda

eſt

eſt aqua fontana, aqua Selterana, ptiſana ex hordeo, ex radice Chinae, Graminis, Cichorei. Victus etiam ad omnia accommodandus eſt.

§. 313.

De Venaeſectione ita exiſtimo, illam neceſſariam eſſe, ſi, repente cohibitis haemorrhoidibus, varia incommoda naſcuntur, nec non, ſi corpus robuſtum eſt et ſanguine valde abundat. Multum vero nocet corpori imbecillo, etiam cacochymia laboranti. Nec facile ſanguis mittendus eſt eo tempore, quo aeger molimina ſentit, niſi hoc propter metuendam inflammationem in haemorrhoidibus coecis ſumme neceſſarium videatur. Ceteroquin omnis curatio accommodanda eſt periodo, ſi olim haemorrhoides talem ſeruauerunt. In corporibus valde infirmis, raris, tenuioribus, ſaepe proſunt tonica, maxime praeſentibus iam moliminibus. Igitur dari poſſunt Tinctura martis Ludouici, vel Crocus martis antimoniatus, qui Pilulis adiicitur. Etiam praemiſſis aquis mineralibus, et adhibitis tum in victu, tum ex medicamentorum numero iis, a quibus partes ſolidae nouum robur accipiunt, veluti infuſum corticis Peruuiani cum Limatura martis. Multum etiam in his hominibus profuit cortex Peruuianus cum Conſerua viſcerali. Magnum vero praeſidium eſt in hirudinibus extrinſecus admouendis. Corporis exercitatio, praecipue equitatio, valde vtilis eſt. Non prorſus negligi debent fomenta, frictiones tum ipſius loci affecti, tum pedum, et pediluuia. In omnibus his curationibus non nimis properandum eſt.

§. 314.

Haemorrhoides coecae, quae acerbiſſimos dolores afferunt, a nonnullis diuiduntur in turgentes et tumentes. In prioribus tumor eſt ſine magno dolore. Tumentes proprie ſunt coecae, quae cum inflammatione et intolerabili dolore eſſe ſolent. Eſt genus furunculi. Non ex ſolis critici profluuii moliminibus oriuntur coecae, ſed non raro ex morbis

morbis venereis, gonorrhoea maligna, inueterata, et diureticorum abuſu, pertinaci alui obſtructione, ex abuſu vini valentioris recentis, ex vlcere et calculo veſicae, equitatione et vectione in rheda. Saepe iis etiam vexantur grauidae, et poſt partum puerperae. Nonnumquam in fiſtulam degenerant, ſi tumor pus alere et in abſceſſum mutari incipit. Hoc et infinita mala naſcuntur. Non confundi cum hoc aliud vitium debet, vbi ſcilicet inteſtinum relaxatum deſcendit, quod non prius dolet, nec tumet, quam vbi, dum aluus deponitur, illud foras pellitur et a ſphincture ſtringitur. Haemorrhoides enim coecae pedetentim et non raro intus intumeſcunt, et tunc protinus dolent.

§. 315.

Etiam in hoc caſu medendi via a cauſſae notitia trahenda eſt. Venereis ſuccurrendum eſt adhibito Mercurio, non facile medicamentorum antiuenereorum calidorum et ſanguinem cientium, nec acriorum purgantium vſu. Quibus ſanguis ſpiſſior eſt, his opitulatur potus diluens. Interdum neceſſaria eſt ſanguinis miſſio. Prae ceteris aluus ſemper libera ſit et ſoluta, quae vero non aliis, quam leniſſimis, duci debet. Optimum eſt decoctum Tamarindorum, Paſſularum et Mannae. Tale decoctum ſaepe etiam puerperis in hoc caſu profuit. Vbi malum inueteratum, etiam adhibendae ſunt aquae minerales temperatiores, et ſi reliqua id deſiderare videntur, cum his lac aſininum. Acidulae Schwalbacenſes et Spadanae aliis fere praeferri debent.

§. 316.

Remedia externa docet Chirurgia. Aliena ſunt omnia reprimentia et diſcutientia. Peſtifera vero ſpirituoſa, maxime alcohol cum Camphora. Optime conducunt epithemata ex decocto emollientium, vel cum lacte, vel cum aqua, quae parti dolenti ſuperhabentur. Sedulo autem curandum eſt, ne illa humida ſint, nec etiam frigida. Domeſticum auxilium eſt puls ex auena excorticata. Cum his

in

in aluum, quae prius liberanda eſt, immitti debet leniens, idque recens oleum, v. g. Liliorum alborum, Verbaſci. Si quaedam acrimonia in inteſtino eſt, his oleis circiter ſexta pars vnguenti de Linaria admiſceri ſolet.

MICTVS CRVENTVS.

§. 317.

Eſt, vbi ſanguis cum vrina excernitur. Fluentibus catameniis ſanguinem vrinae admiſceri naturale eſt. Vrina craſſa, rufa vel nigra, et cui multa bilis admixta eſt, opinionem ſanguinis facere poteſt. Huius rei vero certior nota eſt, ſi calida adfunditur, qua vrina diluitur. Sanguis vero, ſi admixtus eſt, concretus, carunculas quasdam aut quaſi capillos repraeſentat. Si ex renibus ſanguis fertur, is cum vrina intime permiſtus eſt, vt in ea parum vel nihil, praeter illos concretos capillos, conſpiciatur. Si vero ſanguis ex venis in veſicam perrumpit, is in hac concreſcit, qui poſt haud fluidus, ſed ſub cruciatibus vehementiorique nixu exprimitur. Aliquando is ſic concretus et per vrethram expreſſus opinionem lumbricorum fecit. Si concretum aliquid ex ſanguine intus in veſica ſe opponit, id vrinam reddi naturaliter prohibet. Veſica tunc diſtenditur, et circa pubem interiores partes dolent, vbi etiam tumor extrinſecus tactu ſentitur. Paucum admodum ſanguinem trahit interdum vrina in febribus malignis, id quod a ſanguinis reſolutione profectum, ſignum malum eſſe ſupra retulimus. Si vitium in veſica eſt, in vrina non cruenta ſolum, ſed ſaepe etiam purulenta ſubſidunt. Mictum cruentum, qui ex renibus prouenit, antecedunt comitanturque vehementes lumborum dolores, ſpaſmi, tormina, iſchuria, frequens mingendi et aluum deponendi cupiditas, vel vtriusque ſphincteris, tum veſicae, tum ani, teneſmus. Interdum tamen ex

renibus

renibus valde relaxatis ſanguinis et vrinae miſtura ſine vllo dolore.

§. 318.

Varia horum morborum occaſio eſt. In renibus interdum hoc ſanguinis profluuium incidere poteſt per diaereſin, ex vulnere ictuue, quibus illi extrinſecus offendi poſſunt. Alibi dictum eſt, Cantharides, Millepedes, aliaque valentiora diuretica ſanguinem cum vrina mouere. Frequentius vero hoc fit per anaſtomoſin in hominibus infirmis, et quorum corpora rara ſunt ac reſoluta, qui vero cum his pleni ſunt et ſanguine abundant. Plurimum confert abuſus emollientium, oleoſorum, diureticorum atque ſi aeger equitando alioque motu, quo corpus concutitur, ſanguinem ad renes euocauit. Nocent etiam his veſtimenta arctiora, quibus abdomen multum comprimitur. Ex frequentioribus cauſſis eſt calculus aſperior in rene haerens. Hoc ſi incidit, illas huius rei notas habemus, quae ſupra occaſione Nephritidis fuere propoſitae. Ex his primae ſunt et reliquis certiores, lumborum dolor, ſtupor pedis, et in viris ſtupor dolorque teſticuli in adfecto latere. Si a repreſſis haemorrhoidibus ſanguinis mictus oritur, is illis temporibus recurrit, quibus olim haemorrhoides fluere ſolitae fuerant. Obſeruatione cognitum eſt, arthriticis, podagricis et chiragricis interdum ſanguinem ex renibus erumpere, praeſertim illi articulorum dolores, ſi reuertuntur, mictum cruentum leuant.

§. 319.

Senibus prae ceteris hoc frequens eſt, vt illis ſanguis in veſicam deſtillet, maxime, ſi his haemorrhoides, olim fluere ſolitae, ſuppreſſae ſint. Hoc profluuio, ſi diu manet, et ſi multum ſanguinis cum vrina redditur, vel vbi haec ſanguinis profuſio perpetua eſt, et ſe haud remittit, tandem aegri exhauriuntur, vt ſenes, quibus ſemper maius imminet periculum, maraſmo, alii tabe conſumantur. Minus malum eſt, vbi a cauſſa manifeſta ortum ſuit, et quod breui iterum conquieſcit.

§. 320.

§. 320.

Curatio illius vitii, vbi ſanguis ex renibus profluit, quietem, abſtinentiam, multamque medentis moderationem exigit. Aliena ſunt, quae a pluribus extolluntur, adſtringentia, vt et acriora et calidiora balſamica. Si id res et corporis habitus poſtulare videntur, ſanguis mittendus eſt ex brachio, id quod magis neceſſarium eſt, ſi morbus recens et ex ictu caſuque ortus eſt. Illis etiam ſanguis detrahendus eſt, qui, ſanguinis miſſionibus olim adſueti, eas neglexerunt. Cum his aluus ſoluenda eſt enemate, quod nec calidum eſſe oportet, nec acre. Dari poſſunt emulſiones dilutiores cum nitro et diacodio Montani. Vbi autem renes ab acri diuretico, veluti cantharidibus, arroſi ſunt, vel vbi ab aſperiori calculo conuulnerantur, alia etiam lubricantia vtilia ſunt: decoctum auenae excorticatae, oleum Amygdalarum dulcium, quod cum iuſculo dari, vel vitello oui excipi et emulſionibus adiici poteſt. Si autem malum pertinax eſt, conueniunt lac aſininum vel caprinum cum aquis Selteranis, ſerum lactis dulce, et alia huius generis remedia, quibus renes eluuntur, et ab inhaerentibus calculis ac ſabulo liberantur.

§. 321.

Vbi autem renes relaxati ſunt, et ſanguis ſine intermiſſione profluit, vel vbi is conquieſcit, ſed nihilominus ex leui corporis et animi commotione iterum erumpit, vitium, praecipue in ſenibus et quibus malus corporis habitus eſt, difficilius tollitur. Aliena ſunt valentiora emollientia, et ſi adſtringentia adhibemus, in renibus concitatur inflammatio et a coacto ſanguine iſchuria. Sunt, qui extollunt decoctum Equiſeti et Vrticae minoris. Experiri poſſumus ſerum lactis chalybeatum, ſeu in quo ferrum candens fuit exſtinctum. Quies imperanda eſt et abſtinentia; his enim neglectis nihil proſunt medicamenta. Cibus ſit mollis et ex minus valenti materia: iuſcula ex auena et hordeo, lac, pulticulae ex lacte et amygdalis vel caſtaneis, addito pauco

ſaccharo,

ſaccharo, conueniunt. Nocent omnia acria et calida. Potioni praeſtandum eſt decoctum Scorzonerae, Hordei, Cornu Cerui, Glycyrrhizae. Extrinſecus admoueri poſſunt epithemata adſtringentia, quae commode ex vino rubro, vel ex oxycrato coquuntur. Nonnumquam in viris, quibus olim haemorrhoides ſanguinem fundere ſolitae ſunt, malum auertitur, ſi ano admouentur hirudines. Tandem illud ignorari non debet, inter rariſſimas obſeruationes eſſe, quod apud SCHENKIVM atque HILDANVM refertur, pleuritidem nempe, aliosque morbos, mictu cruento critico fuiſſe ſolutos.

§. 322.

Si ſanguis ex veſica excernitur, id praecipue, ſi vitium certis temporibus reuertitur, non adeo magnum metum facit. Multum tamen exaſperari poteſt mala medicatione. Sanguis mittendus ex brachio, aluus liberanda eſt lenioribus, dari debent temperantia, pulueres ex Coralliis, Cornu Cerui vſto, lapidibus Cancrorum, cum acido Citri, pauco nitro. Potioni praeſtanda eſt ptiſana, vel decoctum radicis Chinae atque Graminis. Quies et omnia reliqua, quae ſupra praecepimus, hic neceſſaria ſunt. Proficiunt hirudines.

§. 323.

Aſperius vero malum eſt, ſi ſanguis concretus ſe intus in veſica opponit, et vrinam naturaliter reddi prohibet, ita, vt iſchuria oriatur. Cum hac circa pubem interiores partes dolent, et veſica etiam vrina plena et tumida facta ſentitur. Proficiunt aduerſus hoc malum balnea, cum his oleoſa, et prae ceteris oleum Anethi, abdomini illiniendum, atque Cataplaſmata perinaeo imponenda. Intus dari poteſt Oxymel cum aqua. Si haec omnia non proficiunt, demittenda eſt in veſicam argentea fiſtula incurua, Catheter vocatur, quo concretus ſanguis, qui intus ſe adpoſuit, perrumpi et vrina euocari poteſt. Raro neceſſe eſt, vt veſica acu triquetra aperiatur, de quibus videnda Chirurgia.

VARICES.

§. 324.

Varices, graecis κίρσοι, ſunt venae ſanguine turgidae et tumentes. Illi annumerantur haemorrhagiis, quia interdum rumpuntur, et ex iis ſanguis effertur, et quia etiam ex aliis ſuppreſſis haemorrhagiis naſcuntur. Frequentius infeſtant crura, a quibus ſanguis difficilius per venas remeare poteſt. Interdum tamen intumeſcunt venae ſpermaticae, quod genus vulgo herniis annumeratur, dicitur enim κιρσοκήλη; de quo herniae genere videnda eſt Chirurgia. Varix tumor eſt oblongus, obſcuri coloris, minime pulſans, quare differt ab aneurismate vero, in quo tumor magis rotundus eſt, et pulſat. Varices ſolent eſſe cum magno pruritu et ardore, quae res occaſionem dat, vt, dum homines ſcalpunt ſcabruntque, concitetur eryſipelas. Nonnumquam ex varice rupto oritur ſanguinis profuſio, ad quam ſupprimendam non ita feſtinandum eſt. Si vero id neceſſarium videtur, ſufficit ſola faſcia paullo adſtrictior.

§. 325.

Si varices ſponte et ſine manifeſta cauſſa oriuntur, hoc incidit, quod homini vel ſanguis craſſior eſt, vel maior partium ſolidarum imbecillitas, vel vtrumque. Plurimum iisdem vexantur grauidae, propter compreſſas ab vtero venas iliacas. Hoc etiam accidit hominibus, qui frequentius pedes calentes ſubito in frigidas aquas demittunt. Ceterum praeter has occaſiones varices quandoque naſcuntur in haemorrhoidariis, arthriticis, podagricis, nephriticis. HIPPOCRATES *Aphoriſm.* 21. *Sect. VI.* docuit, maniam varicibus ortis ſolui.

§. 326.

In curatione ſanguis diluendus eſt, quare proficit ſanguinis miſſio, quae grauidis etiam ſalubris eſt. Aluus ducenda

cenda eſt lenioribus. Si vitium ortum eſt ex haemorrhoidum et catameniorum obſtructione, haec reſtituenda ſunt. Haemorrhoidariis quandoque proſunt hirudines. Omnibus accommodandus eſt victus, et prae ceteris potioni praeſtanda eſt aqua vel potio diluens. Vinum non aliud, quam oligophorum, concedi poteſt, cui aqua admiſcenda eſt.

§. 327.

Tandem, adhibitis iis, quae e re ſunt, et quibus ſanguis mobilior redditur, cutis et reliquarum partium infirmitati occurrendum eſt. Optime hoc fit, dum varices faſcia idonea (*Schnürſtrümpfe*) adſtringuntur. Non facile medicamenta ſuperdari debent. Interdum proficit modeſta frictio. Spirituoſa ſi admouentur, duras reddunt partes rigidasque. Lixiuio ſulphuris reprimitur varix, id quod vero tutum non eſt. Si venae et partes vicinae iam induruerunt, id quod crebrius adhibitis illis auxiliis ſpirituoſis et adſtringentibus fieri poteſt, admoueri poſſunt emplaſtra de Meliloto, malacticum, defenſiuum viride Würtzii, addito diaphoretico Mynſichti. Non tamen ſemper emplaſtra ſuper membrum relinquenda ſunt. Venae varicoſae ſi temere inciduntur, ſaepe mala vlcera relinquunt. Ad hoc tamen auxilium confugiendum eſt, ſi omnia fruſtra fuerunt adhibita, tumor vero nec valde magnus, nec valde durus eſt. Grauidis multum nocet et nimia quies, et ſi ſedilibus demiſſioribus inſident. Edito partu varices euaneſcunt.

* *

MORBI CAPITIS.

CEPHALALGIA.

§. 328.

Frequentiſſimus morbus eſt, qui, ſi diutius hominem premit, nullisque remediis obedit, Cephalaea vocatur; ſi vero vnum ex temporibus, totumque illud Latus excruciat, Hemicrania. Peculiare et intolerabile doloris genus eſt circa occipitium, cui veluti clauus infixus eſt, quae cephalalgia ob id Clauus hyſtericus dicitur, quod eo plures laborant foeminae hyſtericae. Quoniam ille dolor quaſi per ſpinam dorſi adſcendit, is a nonnullis Cephalaea ileo-haematitica dictus fuit. Nonnumquam dolor in exterioribus partibus, cute muſculorum, aponeuroſi, et pericranio eſt, id quod cognoſcitur, ſi pili quaſi rigent, atque dolor ſolo capillitii tactu intenditur, ſenſus vero interni externique haud hebetantur. Si autem cum dolore mens ſtupet, vel oculi caligant, auresque grauius audiunt, morbi ſedem ſub caluaria eſſe indicium eſt. Interdum oculi admodum dolent, et lucis impatientiſſimi ſunt, id quod incidit, ſi tunica choroidea laborat. Vbi nerui paris ſeptimi quacumque re male adfecti ſunt, aures intra ſe ipſas ſonant, grauiter audiunt, vel aliis vitiis patent, cuius rei cauſſam Anatome oſtendit.

§. 329.

Plura ſunt, ex quibus cephalalgia oritur. Saepe abundantior ſanguis in iunioribus plenisque hominibus ad caput redundat, quo interna externaque vaſa diſtenduntur, ſpaſmi concitantur doloresque. Aliud genus, a redundante ſero profectum, cum catarrho eſſe ſolet, quo pituitaria tunica, et cum hac aliae membranae afficiuntur. Dolor capitis

pitis etiam non raro contrahitur cruditate, crapula, et si re quacumque ventriculus laborat. Magnum inter ventriculum et capitis interiores membranas ipsumque cerebrum esse consensum, multis experimentis nouimus. Longum etiam cephalalgiae vel cephalaeae genus oritur ex male adfectis visceribus abdominis, praecipue hypochondriis, quod cum morbo hypochondriaco, hysterico, et sic dicta atra bile esse solet. Frequentius igitur cephalaea nascitur a suppressis menstruis, haemorrhoidibus, lochiis, vel repente cohibito fluore albo. Alia est cephalalgia venerea, nec non scorbutica, si mala materia periostium distendit roditque, et tandem alia, quae oritur ab imbecillitate partium solidarum atque neruorum post diuturnum morbum, praecipue febrem, quae interdum cortice Peruuiano tollitur. Cephalalgia etiam symptoma est, quod aliis morbis, prae ceteris febribus, accedit, interdum vero ex aucto dolore febris mouetur. Nonnumquam ex aliis caussis spasmi superveniunt et neruorum distentiones. Spasmos vero cum omni fere Cephalalgia esse, vel pedum refrigerium ostendit, quod ii, quibus caput maxime ex sanguinis abundantia dolet, sentiunt.

§. 330.

Quod igitur ad primum genus, Cephalalgiam sanguineam, attinet, quae a plenitudine et sanguinis redundantia ad caput nascitur, dum in hoc vitalis humor per minimas arteriolas non libere mouetur, illius exacerbatio a multis occasionibus fieri potest. Dolor ab initio plerumque frontem et oculos fatigat, vbi vero inualuit, totum caput, turgentibus venis concitatisque arteriis. Iunioribus haec cephalalgia frequens est, qui cum hac febricitant, et soluitur sanguinis ex naribus profluuio, sudore vel vrina crassa, ex qua multa crassaque desidunt, quae in imum deferuntur. Crebrius illa oritur ab omnibus, quibus sanguis citatur, praecipue in iis adolescentibus, quibus frequens est sanguinis profusio ex naribus. Occasionem dare solent, alui

obſtructio, plenus ventriculus, quo aorta premitur, adſumta acriora et ſpirituoſa, vehemens corporis exercitatio, Solis ardor, omnisque aër feruidus, pedum refrigerium, acre ſtudium, et concitatior mentis perturbatio, vt illa, quibus menſes et haemorrhoides ſupprimuntur, taceamus. Morbus, ſi eius conſuetudo fit, tandem, accedente partium ſolidarum imbecillitate et atonia, degenerat in cephalaeam. Quibus iuuenibus caput multum doluit, illi in ſenectute metuere poſſunt apoplexiam, quam futuram eſſe ſignificat ſonitus aurium, vertigo, torpor, et ſi aeger balbutit. Saepe etiam naſcuntur morbi ſoporoſi.

§. 331.

In curatione proſpiciendum eſt, vt aeger amplo conclaui teneatur, quo purum et frigidum aërem trahere poſſit. Nihil nocentius, quam cubile Sole vel igne calefactum. Oportet vitari omnem ſtrepitum, corporis motum, negotioſam actionem, omnemque curam et animi contentionem, prae ceteris etiam Solis ardorem. Cibus ſit modicus, non iurulentus, ex imbecilla materia; potio diluens, eaque multa, vinum nullum, vel oligophorum. Morbus et vigilia et longiori ſomno exaſperatur. Aluo proſpiciendum, vt fluida ſit, numquam adſtricta vel ſicca. Perniciosum eſt, ſi illa frequentius valentioribus ducitur. Illa lenienda eſt victu molli, vel, ſi res id poſtulat, lotionibus emollientibus, nec non interdum Cremore Tartari, Manna, Tamarindis. Ceteroquin in hoc morbo optimum eſt nitrum, et praecipue illa compoſitio Stahlii. Conducit etiam nitrum cum oxymelle, et ſi dolor vehementius vrget, cum Syrupo papaueris albi vel Diacodio Montani. Etiam emulſio ex papauere, addito nitro, non aliena eſt. Optimum leuamen affert ſanguinis miſſio, cui tamen iuuenes non temere adſuefieri oportet, vt alibi dictum fuit. Multum prodeſt ſanguinis profluuium ex naribus, quod Veteres variis auxiliis concitauerunt. Si in corporibus raris venae latent, et incidi nequeunt, et ſi plethora vrget, ſanguis detrahi poteſt

per

per cucurbitulas. Proficiunt etiam pedum frictiones, quae, si illi algent, fere neceſſariae ſunt.

§. 332.

Non temere in hoc morbo confugiendum eſt ad valentiora opiata. Proficiunt aliquando externa epithemata ex aceto vel oxycrato cum Sale, mica panis ſecalini, baccis Iuniperi et ſemine Carui, nec non alia, quae ſupra occaſione phrenitidis propoſita ſunt (§. 198.). Vbi dolor ſe remittit, dum corpus inſudat, et ex vrina craſſa deſidunt, dari poſſunt diſcutientia interna: Eſſentia alexipharmaca, Spiritus bezoardicus Buſſii, Tinctura Antimonii, quibus Liquor anodynus adiici poteſt. Tenuioribus imbecillioribusque oportuniora ſunt infuſa calida, horis matutinis in lectulis ſorbillanda. Extrinſecus Cucupha admoueri poteſt capiti.

§. 333.

In cephalalgia ſeroſa et caput ex abundante ſero dolere, ex ſopore, torpore, aliisque ſignis, quae cum catarrho eſſe ſolent, nec non ex cauſſis, ex quibus morbus ortus fuit, cognoſcitur. Hoc ignorari non debet, ſaepe et hanc ſeri redundantiam ex plethora venire. Nam qui iuuenes cephalalgia ſanguinea laborauerunt, iis imbecillioribus factis et ſeneſcentibus catarrhi frequentiores ſunt, quos auertere poſſunt, ſi ſanguinis miſſionem non negligunt, et ſi victu atque exercitatione viſceribus totique corpori robur reſtituunt. Sed tamen huius cephalalgiae plures aliae cauſſae ſunt. Frequentius enim hi dolores naſcuntur ex temperantibus, maxime, ſi his perflatu aliisque occaſionibus ſudor reprimitur. Vide cauſſas, ex quibus febrem catarrhalem oriri dictum fuit (§. 125.). Soluitur haec cephalalgia plerumque coryza vel phlegmatorrhagia narium, in qua ſerum flaueſcens copioſum ex ſinubus caluariae non tam deſtillat, quam cum impetu erumpit. Nonnumquam ſudore et diarrhoea.

§. 334.

Quandoque, si mucus, praecipue aucto calore, tum interno, cogitur, is sinubus caluariae inhaeret, et membranam pituitariam grauiter afficit, ex qua re grauedo oritur, et interdum, si hoc in vno latere accidit, hemicrania. Hic dolor, qui etiam cum febricula est, nonnumquam certum circuitum habente, plerumque valde refractarius esse solet, tandemque discutitur, si materia tenacior crassaque ex naribus excernitur.

§. 335.

Cephalalgiae serosae non alia curatio est, quam catarrhi, et si febris accessit, huic sunt accommodanda auxilia. Si protinus post subito repressum sudorem homo validus se multum exercet, vel fricatione vtitur, vel etiam si puluerem diaphoreticum sumit, moto sudore, omnis discutitur dolor, morbusque tollitur. In his, vbi corpus insudat, sudor cieri potest sorbitione calida, vel Essentia discutiente. Si vero morbus inueterauerit, et haec cephalalgia pertinacior facta est, et maxime si in grauedine mucus tenacior sinus frontales occupat, eo tempore, quo dolores vehementer vrgent, dari debet nitrum, spiritus nitri dulcis, vel liquor terrae foliatae tartari cum spiritu nitri dulci vel liquore anodyno. Si corpus siccum est adstrictumque, aeger iura tenuiora vel decoctum emolliens Altheae, florum Chamomillae, Verbasci, decoctum auenae, decoctum cornu Cerui, et his similia maiori in copia bibat. Multum proficit oxymel squilliticum cum multa aqua calida. Remittente se dolore, dari debet infusum Scorzonerae, Sassaparillae, Cichorei. Eo etiam tempore (nam ab initio nocent) proficiunt errhina et ptarmica leniora, Spiritus salis ammoniaci cum calce viua, quae naribus adducuntur. Si dolor valde vrget et contumax est, in homine vrbano ac imbecillo dari debet aliquoties Cascarilla in puluere ad scrup. dimid. vel gr. XV. in extracto ad gr. v-viij. Interdum si dolor

cum

cum febre eſt, ceteroquin vero nimis contumax, proficit cortex Peruuianus.

§. 336.

Tandem vbi mucus tenacior ex naribus cum leuamine excerni cepit, dari poſſunt diſcutientia, Eſſentia Succini cum Tinctura antimonii, Spiritus bezoardicus Buſſii cum liquore anodyno Hofmanni. In pulueribus Succinum praeparatum. Extrinſecus parti dolenti illini poteſt Balſamum, veluti Balſamum Scherzeri, quod ex oleo nuciſtae, addito oleo ligni Rhodii, componitur. Admoueri etiam poſſunt cucuphae ex roborantibus, quae etiam conſpergi poſſunt oleo ligni Rhodii, Lauendulae, vel alio quodam, cuius odor aegro gratus eſt. Diſcuſſo morbo aluus duci poteſt Pilulis de Succino Cratonis, vel Apozemate ex Rheo, foliis Sennae, Manna. Omnia haec diſcutientia, nec non purgantia, nimium errhina, roborantia, primis temporibus, et vbi malum ſe nondum remiſit, aliena ſunt, et dolores augent. Senes, ſi ſanguinis miſſioni adſueti ſunt, illam non negligere debent: cauendum tamen, ne nimia ſanguinis profuſione exhauriantur, et ne illorum imbecillitas adaugeatur. Aluus ſubinde ducenda; adhibenda eſt exercitatio, et poſt hanc fricatio omnium membrorum. Victus ſit congruus cum aromate, pane fermentato, leui tamen, et qui admixtum habet ſemen Carui, Foeniculi vel Aniſi. Vinum paucum ſit, ſed generoſum. Etiam fonticuli excitandi ſunt, qui magnum leuamen adferunt.

§. 337.

Si caput ex ventriculo dolet, quod in hoc cruditas eſt, acor ex vinolentia, vel ex adſumtis fermenteſcentibus, nec non corrupta bilis vel pituita, dolor frontem praecipue infeſtat, et cognoſcitur ex cauſſa, ex ſapore, vel acido, vel amaricante, vel rancido, accedit nauſea, ructus, vomendi conatus et grauitas praecordiorum. Si nullus ſapor eſt, frequens vero ructus, et ventriculi inflatio, multa in eum pituita contracta eſt. Soluitur vomitu aut deiectionibus.

Hanc cephalalgiam optime tollit, ſi malum recens eſt, emeticum, cuius tamen vſus frequens haud ſit, quum aegri, qui luxuriae cauſſa crebrius vomunt, ſtomachum infirmum reddant atque reſolutum. Vomitus cietur radice Ipecacuanhae, vel multa aqua calida cum oxymelle ſquillitico. Tutius eſt cruditatem ſubigere atque educere digeſtiuis, ſub finem dato Rhabarbaro. Non facile danda ſunt nec emetica, nec purgantia, niſi materia mobilis fuerit. Emetica etiam poſt iram nocent. Vbi vero cruditas pedetentim ex pleniori valentiorique victu contracta fuit, in digeſtiuorum et leniorum purgantium vſu per aliquot dies perſeuerandum eſt. Vbi malum inueterauit, ventriculum optime eluunt Thermae et Acidulae cum corporis exercitatione, quae in omnibus ventriculi vitiis certiſſima praeſidia ſunt. Etiam infuſa per epicraſin purgantia, ſi cruditatibus cauſſisque accommodantur, magni vſus ſunt. Praemiſſis abſtergentibus et euacuantibus, conducunt carminatiua et roborantia: Eſſentiae carminatiuae, Elixiria, praecipue, ſi haec methodo HOFFMANNI ex Extractis amaris cum ſale Tartari et vino meraco dulci parantur. Imbecillitati viſcerum tunc medentur Tincturae martiales, puluis Birkmanni, ipſe cortex Peruuianus cum Conſerua viſcerali. Extrinſecus ventriculo ſuperhaberi poſſunt ſcuta ſtomachica. Etiam ex oleo nuciſtae, balſamo Peruuiano et oleis fragrantioribus deſtillatis, pariri poſſunt balſama extrinſecus ventriculo illinienda.

§. 338.

Si dolor capitis poſt praegreſſam iracundiam vrget, non ſemper tutum eſt emeticum. Minus nocet, ſi vomitus copioſiori aqua, eaque non valde calida, addito oxymelle ſquillitico, cietur. Dari poſſunt pulueres ex nitro et magneſia. Aluus ſoluatur lotione emolliente, addito oxymelle, nec non Apozemate Tamarindorum, Cremoris Tartari, Mannae. Si cruditas in ventriculo orta fuit a potu gelido vel glaciali, a cereuiſia non recte fermentata, nec non a deuoratis fructibus horaeis, illi quandoque medetur hauſtus

vini

vini generoſi, vel vini aduſti, vel medicamentum carminatiuum. Pituita eiiciatur, vel emetico, vel dum, praemiſſis digeſtinis ex Tartaro vitriolato, Cremore Tartari, Terra foliata Tartari et huius liquore, aluus ducitur catharcticis, extracto panchymagogo, Pilulis de Succino, et in hominibus imbecillis Rhabarbaro. Aliena ſunt terrea, quibus pituita fere induratur. Proſpiciendum etiam eſt, ne ſalium et catharcticorum abuſu ventriculi imbecillitas adaugeatur. Si malum refractarium eſt, etiam ad infuſa per epieraſin laxantia et aquas minerales recurrendum. Parum omnia opitulantur, niſi victus mutetur, et adhibeatur exercitatio.

§. 339.

Contumax cephalalgia, vel vera cephalaea, talis eſt, vt hominem ſtrepitus, lux et vix non omnis mutatio turbet. Dolor intolerabilis pulſans atque ſpaſticus, modo in toto capite, modo eſt in parte. Si is vnum capitis latus excruciat, dicitur Hemicrania, quae maximis tormentis adnumerari poteſt, interdum non ſolum ſinciput et oculum, ſed aurem etiam dentesque infeſtat, adeo, vt, ſi malum vetuſtum ingraueſcit, atque tandem magis intenditur, in oculis caligo, in aure ſurditas oriatur, vt capilli fluant, dentes cadant. Habet ſua tempora Hemicrania; interdum dolor imminuitur, interdum vix vllae eius reliquiae manent, mox vero iterum reuertitur et vehementer vrget. Nonnumquam circuitum habet quartanae vel tertianae; frequentius autem vagus eſt. Morbus eſt vel idiopathicus, vel ſympathicus. Prioris cauſſa in cerebro et eius membranis haeret; alterius in aliis partibus, maxime in viſceribus abdominis. Igitur hunc dolorem excitant vermes, nonnumquam ſub caluaria reperti, tinea male curata, arthritis per topica repreſſa, oſſicula in falciformi proceſſu et dura matre inuenta. Saepe etiam in aliqua parte durae matris atonia eſt. Etiam ex cauſſa externa, caſu ictuue extrinſecus illato, hoc morbi genus relinquitur, ex quo atonia manet pericranii, quod a quauis re, tempeſtatum inprimis malo habitu, afficitur,

vt

vt vehementer doleat. Ex venereo morbo et Scorbuto oſſa inflantur et dolet perioſtium, quod etiam acri humore, qui inter illud atque os contrahitur, intenditur, atque tandem roditur. Longe tamen frequentius ſympathicus eſt morbus, et naſcitur ab haemorrhoidum atque catameniorum obſtructione, hypochondriaco et hyſterico malo, atra bile, et interdum ab occultis deſideriis venereis, ex diuturno moerore, aliisque cauſſis. Ad hoc vero animus prae ceteris aduertendus eſt, morbum raro ſimplicem eſſe et ab vna cauſſa profectum, ſed a pluribus inter ſe iunctis. Si v. g. foemina hyſterica eſt, cuius etiam ſucci venereo morbo corrupti ſunt. Sympathicus dolor poſtquam deſiuit, ſoluitur interdum alui fluxu, deiectione nigrorum et bilioſorum, quartana, vlceribus hinc inde natis, aliisque morbis, quibus cutis infeſtatur, interdum etiam haemorrhoidum profuſione.

§. 340.

Difficilius tollitur cephalaea, et quandoque grauioris morbi, epilepſiae, apoplexiae, morbi ſoporoſi metum facit. Curatio cauſſis accommodanda eſt. Si cauſſa tolli nequit, imperandus eſt victus modicus, ex imbecilla materia; aër ſit purus, nec frigidus, nec calidus. Interdum leuamen affert fonticulus atque ſetaceum. Parti dolenti admoueri poſſunt emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti cum malactico, emplaſtrum de Cumino, de Cicuta, quibus tamen dolores interdum aſperiores fiunt. Dolores, ſi nimis acuti et intolerabiles ſunt, requirunt anodyna. Vbi autem haec dantur, prius videndum eſt, vt aluus reſpondeat, et vt aliae etiam excretiones haud turbatae ſint. Dari poteſt Laudanum opiatum, Extractum opii ad gr. j-ij. Laudanum liquidum ad gutt. XV-XX. Pilulae Starkeyanae ad gr. ij. Theriacae veteris drachma dimidia ad ſcrupulos ij. Doſes in iis, qui his medicamentis adſueti ſunt, augeri debent. Ceteroquin etiam proficit, ſi capilli non tondendo, ſed forfice praecidendo tolluntur, et ſi id, quod ex capillitio reſiduum

eſt,

eſt, quotidie pectendo fricatur. De ſanguinis miſſione experimentis cognitum eſt, illam, niſi plenitudo adſit, in his refractariis doloribus ſaepius nocere, quum ea nimis infirmentur ſolida. Si horum magna imbecillitas eſt, conducit interdum cortex Caſcarillae in puluere vel extracto, et cortex Peruuianus. Si cauſſa haeret in viſceribus abdominis, his ſuccurrendum eſt, et opitulantur Thermae atque Acidulae, illarumque vſus repetitus, datis cum his Pilulis Becheri vel ſimilibus.

§. 341.

Vbi lues venerea perioſtium irritat, huic medendum eſt. Si tinea repreſſa fuit, plurimum proficit capitis fricatio, datis medicamentis ex floribus Sulphuris, Antimonio diaphoretico, Aethiope minerali et ſimilibus. Propinari etiam poſſunt decocta ex radice Chinae, Saſſaparillae, ligno Sancto, Saſſafras, quibus quandoque reuocatur tinea, quae poſt iisdem medicamentis curanda eſt.

§. 342.

Clauus hyſtericus, nec non cephalalgia ileo-haematitica, vehementioribus pertinacioribusque ſpasmis continetur. Clauus excruciat verticem et occipitium. Deſcribunt aegri, non alium ſenſum et dolorem eſſe, ac ſi clauus infixus illi loco eſſet. Tales aegri ſentiunt praecordiorum dolorem, quem excipit vehementior ſpaſmus, qui quaſi a lumbis et oſſe ſacro per totam vertebrarum ſpinam ad proceſſus maſtoideos et occipitium adſcendit, quo tandem ille grauiſſimus dolor concitatur. Si malum non ita vehemens eſt, aegri, et potiſſimum foeminae, conqueruntur de ſenſu moleſto refrigerii, quo illa ſedes infeſtatur. Cum hoc dolore nauſea eſt, et plerumque aluus adſtricta. Alia ſe- et excretionum vitia concurrunt.

§. 343.

Cauſſa huius morbi eſſe videtur humor corruptus in vaſis haemorrhoidalibus, vterinis, haerens, cum hic morbus

bus plerumque cum haemorrhoidum et menſtruorum vitiis eſſe ſoleat. Plurimum conferre poteſt, praecipue in foeminis, caelibatus, nec non moeror et ſollicitudo. Soluitur haec cephalalgia quandoque, ſi ex modo dictis vaſis humor quidam veluti mucilaginoſus aliusque excernitur. Supra de haemorrhoidibus albis dictum fuit. Morbus refractarius eſt, praecipue in foeminis laute viuentibus, otio deditis, et ſi id, quod morbum fecit, tolli nequit. Spes eſt, ſi dolor non continuus eſt, ſed ſe interdum remittit; maior ſpes eſt, ſi certis temporibus ingraueſcit.

§. 344.

In curatione cauſſis occurrendum eſt, ſiue morbus ex viſcerum imbecillitate et inde ortis cruditatibus, ſiue ab haemorrhoidum et menſtruorum vitiis ortus fuerit. In multis opem ferunt Thermae, quarum vſum iterari oportet. Nec aliena ſunt infuſa per epicraſin laxantia. Congruus victus, exercitatio, animi tranquillitas, et omnia cetera ſedulo obſeruanda ſunt. De ſanguinis miſſione ſupra dixi, eam, niſi manifeſta plethora ſit, plerumque nocere; ad minimum numquam ſanguis ſaeuiente dolore detrahi debet. Caſtoreo multum tribuunt in his caſibus, quod vero reſpondet. Vbi praemiſſa fuerunt congrua euacuantia, illud dari poteſt in puluere vel eſſentia, cum eſſentia corticis Caſcarillae et liquore anodyno. Si quartana ſubeſſe videtur, praemiſſis per longum tempus euacuantibus, dari poteſt cortex Peruuianus. Saeuientibus maiorem in modum doloribus, naribus admoueri poteſt mixtura ex ſpiritu ſalis Ammoniaci et eſſentia Caſtorei. Haemorrhoidariis ſaepe profuerunt hirudines.

§. 345.

Eſt tandem Cephalalgiae quoddam genus, quod nonnumquam praegreditur apoplexiam. Haec repente corripit hominem ita, vt caput vi quaſi conſtringatur, ſuccedit vehemens dolor, vertigo, aurium tinnitus, ſenſuum internorum perturbatio artuumque torpor. Iterum ſponte euaneſci,

neſcit, ſaepe tamen reuertitur, et magnum metum apoplexiae affert, de cuius curatione protinus dicendum erit occaſione Apoplexiae.

§. 346.

Cephalalgia venerea horis potiſſimum veſpertinis vehementior eſſe ſolet, et lectuli calore exaſperatur. Dolor eſt oſteocopos, ſeu quaſi rodens et terebrans in interiore caluariae parte. Naſcuntur tandem gummata, tophi, aliique tumores, de quibus ſuo loco, vbi de morbo venereo agendum eſt. In ſcorbutico plerumque totum caput dolet, et maior ſolet eſſe ſenſuum obnubilatio, quam in morbo venereo.

CORYZA ET GRAVEDO.

§. 347.

Inter catarrhos capitis ſunt Coryza et Grauedo, et Phlegmatorrhagia narium. In priori tenuis pituita et plerumque acris ſalſaque, interdum craſſior et lenior, per nares deſtillat. In grauedine dolor vehemens eſt, ſub quo ab initio nares clauduntur, ſub finem craſſior pituita, aliquando tenax et ſicca excernitur. In phlegmatorrhagia narium humor, qui in caluariae ſinubus concurrit, tandem inclinato corpore, ſine vllo ſenſu et cum impetu quaſi profluit. Cum his morbis frequentia ſternutamenta ſunt, et ſi pituita ſalſa fauces exaſperat, etiam tuſſis. Caput in Coryza leniter dolet, cuius eſt magna grauitas et καροφορία. Cum his pigrior mens tardiorque ſenſus eſſe ſolet. Ex his intelligitur, ipſum etiam cerebrum in his morbis affici, et Veterum ſententiam, cerebrum his deſtillationibus expurgari, propius a vero abeſſe; id quod tamen per factam a natura metaſtaſin vaſorum durae matris cum iis, quae per pituitariam membranam diſcurrunt, non vero facta deſtillatione

per

per foramina oſſis ethmoidei fieri poteſt. De coryza occaſione catarrhi dictum eſt; de grauedine occaſione cephalalgiae. Eſt coryzae genus, quod infirmos, et praecipue ſenes ſomno nimis indulgentes, in aëre paludoſo degentes, diu fatigat. Hoc longum eſt, et ex atonia pituitariae membranae eiusque glandularum naſcitur. Qui diu multumque his longis deſtillationibus obnoxii ſunt, illis non raro aliorum morborum, apoplexiae, lethargi, catarrhi ſuffocatiui pericula propoſita ſunt. In iunioribus deſtillatio vel coryza nullo auxilio indiget. Si vero illa longa et pertinax eſt, cura habenda, vt humorum effluxus auertatur, et partibus infirmis robur reſtituatur. Dari debent, niſi alia hoc prohibent, purgantia ex extracto panchymagogo Crollii, Maſſa pilularum de Succino Cratonis, reſina Ialappae, Diagrydio ſulphurato et ſimilibus. Vbi autem febricula accedit, haec, quando illa aegrum tenet, omittenda ſunt. Potioni praeſtandum eſt decoctum ex radice Chinae, ligno Saſſafras, radice Graminis, addito pauco cortice Caſſiae ligneae. Cibus ſit ex pane bis cocto cum ſemine Carui, Foeniculi, Aniſi, ex carnibus aſſis, aromate conditis, et abſtinendum eſt ab omni alio cibo, praecipue iurulento. Aër ſalubris ſit, haud paludoſus, ſed montanus. Interdum vbi dolor non vrget, ſerenis diebus corpus exerceatur. Aër paludoſus corrigitur ardente camino et ſuffimentis ex baccis Iuniperi, Olibano, Maſtiche, Benzoë. Cum his interdum, vbi dolor non vrget, dari poteſt Liquor cornu cerui ſuccinatus ad gtt. XXX. Eſſentia Succini cum Tinctura antimonii. Proſunt errhina et ptarmica, quorum tamen vſus rarior eſſe debet. Ceteroquin in catarrhorum curatione conſiderari debet ventriculus. Si hunc cruditates onerant, coryza in grauedinem mutatur, et dolor omniaque ſymptomata exaſperantur. In longis admodum catarrhis fonticuli, ad auertendam a capite extrahendamque pituitam, optime valent.

OTAL-

OTALGIA.

§. 348.

Haec inter aurium morbos frequentior eſt. Sedes huius doloris eſt membrana, qua intus meatus auditorius contegitur, et in cuius glandulis cerumen ſecernitur. Eſt vero diſcrimen. Vera enim Otalgia inflammatione illarum glandularum, notha ſpasmis continetur. In vera omnia vehementioris inflammationis ſigna ſunt. Dolor eſt intolerabilis, arteriae pulſant, febris, quae accedit, maximum feruorem habet. In vtroque genere aeger grauiter audit, et aures, quae intra ſe ipſas moleſto ſuſurro ſonant, ob id ſonum externum non accipiunt.

§. 349.

Otalgia, quae cum inflammatione eſt, interdum diſcutitur, ſaepe ad ſuppurationem ſpectat. Pus, vbi maturuit, ex aure erumpit, cum ſenſu vehementiſſimi fragoris, quem aeger ſibi audire videtur, id quod accidit, ſi abſceſſus maior et puris maior modus fuit. Pus fluere ſolet per aliquot dies, tandem vero id plerumque deſinit, et omnia ſine noxa ſaneſcunt. Interdum tamen, ſi auris multis medicamentis agitata fuit, abſceſſus in malum vlcus fiſtulamque vertitur, ita, vt nonnullis pus male olens per totam vitam exeat, quibus ſub finem etiam vſus auditus aufertur.

§. 350.

Otalgiae variae cauſſae et occaſiones ſunt. Frequentius hoc accidit pueris, dentientibus gingiuis maxime, vbi molares poſtici, id quod ſero fit, gignuntur. Ex anatome diſcimus, ramos nerui maxillaris inferioris, qui tertius ramus quarti paris eſt, et qui ad linguam pertinet, committi cum minori neruo, qui ab aure deſcendit, et a ſeptimo pari huiusque portione dura oritur. Inter maxillas itaque

auremque conſenſum eſſe, vel ex eo intelligitur. In aliis otalgia eſt cum catarrho, et oritur ex malo tempeſtatis habitu, et ſi vel caput, vel pedes caloribus relaxati ſubito frigore excipiuntur. Nonnumquam ſi tinea ex toto, ſuperhabitis extrinſecus remediis, prohibita fuit, mala materia in aurem vertitur. Dolor eo vehementior eſt, quo inflammatio propior ab aure interna et membrana tympani eſt. Solvitur otalgia, praeſertim ea, quae cum inflammatione et febre eſt, nonnumquam ſanguinis ex naribus profluuio, vel deiectionibus biliosis. Interdum hominem ad dementiam mortemque praecipitare poteſt: Nam partes, quae afficiuntur, neruoſae ſunt et a dura matre propiores.

§. 351.

Eſt otalgiae genus, quod in febribus ardentibus per metaſtaſin oritur, id quod HIPPOCRATES *Sect. IV. Aphor.* 60. animaduertit. Haec febrem leuat, ſi cum aliis bonis atque coctionis ſignis eſt. Si enim oritur cum cruditate, mortem denunciat. Et HIPPOCRATES CELSVSque animaduerterunt, otalgiam ſurditatemque quandoque ſolui deiectione biliosa, id quod etiam obſeruatio confirmat. Si in otalgia vehemens inflammatio eſt, id quod ex febre aliisque ſignis cognoſcimus, ab initio adhiberi poſſunt omnia, quae aduerſus hanc valent. Magnus cum febre vigiliaque dolor exigit, vt ſanguis mittatur. Imperanda eſt fames et potio diluens. A primis initiis proſunt ſaepe laudata Apozemata ex Tamarindis, Manna, Senna et ſimilibus, quae vbi inflammatio iam adoleuit, atque ad ſuppurationem ſpectat, aliena ſunt. Dari poteſt ptiſana, oxymel ſimplex et alia, quae aduerſus inflammationem maxime valent. Extrinſecus nocent omnia ſpirituoſa, quibus et meatus auditorius et tympani membrana indurantur. Auribus admoueantur vapores, qui et molliendi et diſcutiendi vim habent. Si enim Medicus certus non eſt, num ſuppuratio futura ſit, vtilis eſt fotus ex pane calido ſecalino, cui, antequam coquitur, pii ſendo, plurimum ſeminis foeniculi

et

et anisi admiscendum est. Vbi vero tempus, dolor, aliaque ostendunt, in pus versum iri quiescentem humorem, vapor panis secalini simplicis melior est. Auribus etiam extrinsecus imponi potest cataplasma ex farina seminis lini, foenu graeci, herba Hyoscyami, radice Althaeae, capitibus papaueris, quae coqui possunt ex lacte, addito oleo liliorum alborum. In aurem immitti potest oleum molliens recens, addito oleo Hyoscyami. In his tamen curationibus non nimis diu perseuerandum, ne membranae nimis relaxentur.

§. 352.

Postquam inflammatio finita est, et vel discussa, vel in pus mutata, dari possunt discutientia, veluti Essentia Succini, Tinctura Antimonii. Infirmis prosunt sorbitiones ex radicibus Chinae, Vincetoxici, herba Betonicae, Saluiae, Melissae, semine Foeniculi, cortice ligni Sassafras, ligno Santalino. Sub finem aluus duci potest. Extrinsecus auriculae imponi possunt epithemata, quae vero nec humida, nec frigida esse oportet. Ex vino rubro vel oxycrato coquantur herbae Betonicae, Maioranae, Serpilli, Lauendulae, Rorismarini, Saluiae. Decocto admisceri potest sal ammoniacus. Nec suffimenta aliena sunt, vel ex his herbis fragrantioribus et baccis Iuniperi, vel ex Gummi saepe nominatis. Sed et epithematum et suffitionum nimius calor offendere potest aurem. Quae in meatum auditorium immittuntur, maiorem saepe nocendi, quam iuuandi habent potestatem, quare caute agere oportet medentem. Fere optimum est, si guttula olei, vel essentia Succini gossypio excipitur, idque in parte anteriori meatus auditorii continetur. Vlcus ex tali suppuratione relictum, maxime, si ei vetustas accessit, curari, saepe periculosum est. Exemplum legitur in *du* VERNEY, vbi simile profluuium, per viginti et quinque annos toleratum, post autem curatum, homini interitum attulit (*Lib. III. p.* 121.). Quod itaque sine periculo tolli nequit, ferendum est. Experiri

licet medicamenta ſanguinem purificantia intus danda, cum longiori abſtinentia; crebrius tamen nec haec opitulantur. Extrinſecus in aurem demiſſa parum proficiunt. Saepe vlcera ſponte ſanantur glutinanturque. Vbi in fiſtulas degenerant, nullam curationem recipiunt. Cauendum, ne, demiſſis in aurem variis liquoribus, tympani membrana vel rigidior fiat, vel laxior, et ne aliae partes offendantur.

§. 353.

Si vero otalgia ſine inflammatione eſt, id quod frequentius cum catarrho incidit, et ſi dolor vehementer vrget, auertendus eſt humorum aditus, impoſitis ſupra proceſſus maſtoideos cantharidibus. Vtilia ſunt maſticatoria ex radice Pyrethri, Pimpinellae albae, Maſtiche. Aluus ſoluatur Apozemate ex foliis Sennae, Rhabarbaro et Cremore Tartari. In phlegmaticis corporibus adhiberi poſſunt Pilulae de Succino Cratonis. Si dolor adeo intenditur, vt mentem turbare videatur, periculum adfert primum furoris, deinde interitus. Tunc ad opium, et quae ex hoc parantur, recurrendum eſt. Extrinſecus admoueri poſſunt ſupra laudati fotus ex pane calido cum ſeminibus, vel epithemata, quibus emollientia admiſcentur. In aures immitti poteſt oleum, cui parum olei Succini admiſtum ſit. Nonnulli extollunt Allium ex oleo diutius coctum. Id vero ignorari non debet, omnia, quae in aures demittuntur, prius calefieri debere. Interdum haec otalgia oritur a nucleis aliisque rebus in meatum illapſis, haec prouide ſuſpenſaque manu, lubricatis prius viis, volſella educi oportet; ſi vero dolor ab inſectis oritur, quae quandoque in meatum irrepere ſolent, illa necari poſſunt decocto Mercurii viui, vel decocto meraciori Abſinthii. Etiam, ſi oleum quoduis in meatum immittitur, et in eo per vnam alteramque horam continetur, inſecta praefocantur. Ex CELSI *Lib. VI. Cap. VII.* conſilio, lanae paullulum in aurem compellendum eſt, quo pulex, vel aliud animal, quod intus eſt, illud ſubeat et cum eo extrahatur.

GRAVI-

* *

GRAVITAS AVDITVS ET SVRDITAS.

§. 354.

A variis cauſſis oritur. Grauius audiunt homines, quibus auricula abſciſſa eſt. Faſciis vittisque, quibus puerorum capita vinciuntur, auricula ad poſteriora deprimitur, quae ſic ſonos, ſeu aëris tremores, recte excipere haud poteſt, qui ideo etiam ad meatum auditorium haud recte perducuntur. Grauitas auditus quandoque eſt cum catarrhis, dum non ſolum tympani, aliaeque illorum foraminum teneriores membranae ab aëre humido multum relaxantur, ſed dum etiam a ſudore et inſenſibili exſpiratione repreſſa febris mouetur, vaſa diſtenduntur, neruique irritantur, et ſic ſuſurrus excitatur. In hoc morbo conducunt omnia, quae aduerſus catarrhos maxime poſſunt, et quae etiam in otalgiae curatione propoſita ſunt. Extrinſecus admota roborantia, poſt diſcuſſos catarrhos, vtilia ſunt.

Tamquam ſpecificum laudatur ſequens medicamentum.

℞. Eſſent. Caſtorei
Spir. vini camphorati ana drachm. dimid.
M. D. S. *Etliche Tropfen auf ein Stück weich erwärmtes Brod zu tropfen, und auf das Ohr zu binden.*

Si malum iam inueterauit et catarrhus hominem ſine interminſſione tenet, fonticulus vel ſetaceum multum proficiunt. Nonnumquam audiendi difficultas a coaceruato induratoque cerumine, quod oleo Amygdalarum dulcium, Liliorum alborum, tepido lacte et melle emolliendum eſt, magna cura habita, ne laedatur tympanum. Vbi in meatu auditorio ſuppuratio fuit, etiam coactum induratumque pus occludere poteſt meatum. Aliquando ſarcomata aliique tumores

in meatu auditorio naſcuntur, qui, ſi in parte anteriori ſunt, ſcalpello tolli poſſunt. Septica cum periculo admoventur. Lapis infernalis, ſi mox calida iterum abſtergitur, tolerari poteſt. Interdum inflammata ſcirrhoſaque parotis meatum premendo praecludit. Si vero, quocumque caſu, magno etiam fragore, rupta eſt membrana, audiendi facultas non protinus, ſed tamen pedetentim et certo amittitur. Nec in hoc caſu, nec ſi intus in interiori aure caries orta fuit, ſi oſſicula concreuerunt, ſi horum muſculi vel ligamenta induruerunt, ſurditas vllam curationem recipit. Si membrana nimis laxa eſt, id quod poſt catarrhos in corporibus infirmatis accidere ſolet, experienda ſunt ſuffimigia, et, vt aër humidus auertatur, ſemper goſſypium in meatum demittendum eſt. Frequentius malum haeret in Tuba Euſtachii, quae vel ab inhaerenti materia praecluſa, vel exulcerata, vel per cicatricem coalita eſt. Aër in tympano incluſus, ſi per hanc tubam renouari nequit, elaterem amittit, et tunc ad intendendas teneriores membranas ſonumque propagandum ineptus redditur. Si in tuba mucus haeret, id quod ex praecognitis cauſſis ſcire licet, conducunt Apophlegmatizantia, radix Pyrethri maſticata, vel quae, quod mitiora ſunt, praeferri debent, radix Pimpinellae albae et Maſtix. Adhiberi etiam poteſt Eſſentia Pimpinellae albae cum fruſtulo ſacchari, os vero gargarismis eluendum eſt. Si cum faucibus tuba haec ex malo venereo exulcerata eſt, et ab exulceratione obſtructio facta, ſurditatem tollere potuit Mercurius, et eo excitatus ptyalismus. Siphonem delineauit GARENGEOT, quem tubae admoueri, et hanc congruo liquore elui poſſe, propoſuit. Num alia experimenta illud comprobauerint, ignoro. Aliquando haec tuba paralytica fit, quare ſi ſurditas poſt apoplexiam relinquitur, et vel vitio huius tubae, vel vitio compreſſi cerebri atque nerui acuſtici enata eſt, malum tolli nequit. Id quod etiam fit, ſi poſt grauem ictum, capiti illatum, protinus omnis audiendi facultas amiſſa fuit penitus. Hoc etiam a reſolutis neruis fieri probabile eſt. Surditati,

ditati, poſt grauiores diuturnosque catarrhos, quandoque medetur cauterium in brachio, vel nucha, vel vlcus ad methodum BELLOSTII (*Suite de Chirurgien d'Hoſpital* p. 282.) in proceſſu maſtoideo, mediante lapide infernali, excitatum, cuius ſuppuratio multa longaque eſſe debet. Ceteroquin notandum eſt, omnibus imbecillis, maxime ſi voraces ſunt, et in eorum primis viis cruditates coacervantur, nec non in hypochondriacis, auditum difficiliorem fieri. Tales cauſſam tollere debent. Si externis aures ſatigant, plerumque ex Surdaſtris ſurdi fiunt. Aurem etiam a bilis redundantia affici, illud, quod ſupra adduximus, probat, aluum bilioſam interdum ſurditatem ſoluere. Ex graui ſanguinis profluuio auditum cum aliis ſenſibus hebetari notum eſt, quae ſurditas etiam interdum manet.

TINNITVS AVRIVM.

§. 355.

Oritur, vbi diſtentio ſit illorum neruorum, quibus in aure motus et ipſa etiam perceptio vel ſenſus fit. Si nerui conuelluntur, quibus muſculi oſſiculorum in tympano cientur, maior acutusque, vt videtur, oritur ſenſus. Alius vero, ſi nerui per cochleam diuiſi afficiuntur. Etiam in ipſo cerebro poteſt aliquid eſſe, quo nerui commouentur. Hinc tinnitus ſaepe neruorum in corpore diſtentionem, epilepſiam, imo et apoplexiam praecedit. Curatio cauſſis accommodanda eſt. Vel enim ſanguis mittendus, ſeroſa colluuies educenda, primis viis proſpiciendum eſt, vel curanda neruorum imbecillitas. Cauſſae cognoſcuntur ex corporis habitu et aliis, qui in eo ſunt, morbis. Externa parum proficiunt.

ODONTALGIA.

§. 356.

Nemo ignorat, non ipſum dentem dolore affici, ſed membranas, quarum duae ſunt: altera a neruis profecta, qua interius cauum, quod in omni dente eſt, cingitur: altera perioſtium eſt, quod radicem dentis alueolo haerentis includit. Hae membranae, maxime interior, dolore adficiuntur, qui non vnius generis eſt. Is enim vel ab inflammatione, vel a ſpaſmis oritur. Cum eo, qui ab inflammatione naſcitur, eſſe ſolet febricula, cuius notae ſunt pulſus velocior auctusque calor. Haec inflammatio non raro in ſuppurationem tendit. Pure orto, corrumpitur membrana et ipſe dens laeditur, qui carie exeſus, vacillat tandemque recedentibus pluribus fragmentis cadit. Si per inflammationem intumuit perioſtium externum, plerumque etiam pus mouetur, et naſcitur parulis ſeu minor abſceſſus, Germ. *ein Zahngeſchwür*. Dolor ſpaſticus ſaepe cum catarrhis eſt.

§. 357.

Cauſſae variae ſunt: plethora, neglecta venaeſectio, menſium et haemorrhoidum ſuppreſſio, propter quam grauidae primis menſibus his doloribus multum vexari ſolent. Ex frequentioribus cauſſis eſt catarrhus, ſi caput, caloribus relaxatum, frigore ventoque excipitur, ſudorque reprimitur; ſi dens iam exeſus eſt, is ex leui occaſione dolet. Caries vero duplicis generis eſt, altera, quae ab interioribus incipit, et quae ab vitiatis humoribus in Cacochymia, Scorbuto, poſt vſum Mercurii, oriri ſolet; alia naſcitur ex munditie neglecta, etiam ex vitiatis humoribus in os confluentibus, inprimis, ſi macreſcentes gingiuae a dentibus recedunt, et hi ex ſordibus atque inhaereſcente tartaro ſcabri fiunt, tandemque nigri labare incipiunt. Aliud genus

doloris

doloris eſt, quod Veteres αἱμωδίαν vocauerunt, illud a ſanguine oriri exiſtimantes. Nihil aliud eſt, quam ſtupor nerui, qui per radices dentium perforatas ad interiora deſcendit. Hic dolor a variis cauſſis, a ſonitu rauco et acri, ab adſumtis acidis, crudis et auſteris, a potu frigido, etiam a ructu acido, mouetur.

§. 358.

Igitur odontalgia etiam in idiopathicam et ſympathicam diuidi poteſt. Vbi cum inflammatione eſt, ante omnia aluum ſolui oportet, vel lotione vel Apozemate minus valente. Vt vero dolor diſcutiatur, dandum eſt nitrum cum puluere bezoardico. Sudore veniente debet aeger ſe continere, vt is per omne corpus diffundatur. Si omnis ſudor finitus eſt, oportet linteum tepefacere et paullatim ſingula membra detergere. Si autem homo valde plenus eſt, vtilius eſt ſanguinem mitti, vel inciſa vena, vel cucurbitulis, quae, conciſa prius cute, in tergo, brachiis ſurisque defigendae ſunt. Proſunt etiam rubefacientia, pediluuia et frictiones, maxime pedum. Non temere properandum eſt ad opiatorum vſum. Si aeger febricitat, febriculae accommodanda ſunt auxilia, et vbi corpus inſudat, dandae calidae ſorbitiones aliaque diſcutientia. Nec facile in exeſum dentem opium demitti debet. Inutile non eſt, ſi capita papaueris hortenſis, flores papaueris, folia hyoſcyami ex aceto coquuntur, et ore continentur. Etiam vbi inflammatio valde vrget, cataplaſma, quod ex emollientibus, addito croco, cum lacte oleoque componitur, extrinſecus imponi poteſt, vt in exteriorem partem euocetur inflammatio. Si dens carie adeſus eſt, is interdum bene accommodato plumbo repleri poteſt, interdum vero ſine mora eximendus eſt, ex quo non raro protinus omnis dolor conquieſcit.

§. 359.

Illud odontalgiae genus, quod cum cartarrho eſt, et quod ſeroſum vulgo vocant, vix aliam curationem recipit,

quam qualem catarrhi requirunt. Interdum auerti poteſt, ſi mox ab initio aluus ducitur lenioribus, ſatis tamen valentibus: decocto foliorum Sennae, Cremoris Tartari, Salis catharctici, Mannae. Haec vero purgantia, ſi acerbato valde dolore ſumuntur, malum pertinacius reddunt. Interdum oritur ptyaliſmus, data Cinnabari vel Specifico cephalico adaugendus, nunquam vero reprimendus. Hoc genus, ſi cum nulla febre nulloque aeſtu eſt, optime fert maſticatoria, vt ſunt Maſtix, radix Pimpinellae, Caryophyllus aromaticus, Eſſentia Pimpinellae. Etiam proficiunt Veſicatoria, proceſſibus maſtoideis, ſcapulis aliisque partibus admota. Vulgus vtitur allio, quod cuti alligari ſolet. Alia ſunt rubefacientia, quae quum nullum odorem habent, naribus minus moleſta ſunt. Si dens carie exeſus a catarrho dolet, in eum, ſi educi nequit, demitti poteſt guttula olei caryophyllorum cum pauco goſſypio. Hoc oleum, quod cum Eſſentia Myrrhae, Ariſtolochiae et pauca Eſſentia Euphorbii miſceri poteſt, cariem dentis exedit, et foetorem tollit. Haec, quae ſeroſae odontalgiae opitulantur, priori generi, quod a ſanguinis redundantia oritur, peſtifera ſunt, doloremque intendunt.

VERTIGO.

§. 360.

Eſt ſubitanea perturbatio ſenſuum, cuius varii gradus, variaque nomina ſunt. Ab initio homini obiecta in gyrum moueri, vel ex alto labi videntur. Plus mali eſt, vbi naturalis obiectorum color in virideſcentem vel atrum mutatur, et ſic accidit caligo ſeu σκοτοδινία. Non raro cum his aures intra ſe ipſas ſonant et tandem aliquando ſuperuenit vomitus. Alia et periculoſior eſt ſpecies, ſi aegro genua quaſi fatigata tremunt, et magis adhuc periculum immi-

imminet, si is se sustinere nequit, sed subito concidit; quod alterum genus vertigo caduca vocatur, id quod resolutis ad tempus musculis fieri intelligitur. Vertigo vero desinit vel in syncopen et ἀσφυξίαν, vel in apoplexiam, vel in epilepsiam, quorum tamen morborum varii gradus sunt.

§. 361.

Maximum vero discrimen est inter vertiginem idiopathicam et sympathicam. Nec tamen omittendum est, vertiginem etiam esse inter symptomata, quae crisin antecedunt. Idiopathicae sedes est ipsum cerebrum, sympathicae sunt aliae corporis partes, maxime ventriculus et hypochondria. Vertigo enim oriri videtur, si sensorium commune, vel nerui ad illud pertinentes, certa ratione afficiuntur. In oculis maxime conuelli videntur nerui, ad musculos, praecipue ad ligamentum ciliare pertinentes, quibus conuulsis obiecta tremula homini apparent. Vertigini obnoxii sunt omnes imbecilli, quibus et totius corporis fibrae neruique, et praecipue viscera infirma sunt, et qui propter hanc imbecillitatem re quauis grauiter afficiuntur, vel, vt alii id exprimunt, sensibiliores sunt. Nam his humida etiam mobilissima sunt, vt ex quauis mutatione citentur. Igitur hoc morbo conflictantur hypochondriaci, hystericae, litterarum studio, nec minus etiam gulae nimis dediti, qui Venere, sanguinis profusione, catharcticorum vsu exhausti, contentiosa actione defatigati sunt, iuniores plethorici, senes, arthritici et podagrici, quibus sanguinis profluuium per nares, menstrua vel haemorrhoides suppressum, quibus fonticuli aliaque vlcera chronica curata fuerunt. Idiopathicae vertiginis variae occasiones sunt. Oritur enim, si homo in gyrum mouetur, si is ex praerupto loco et ex praecipitio ad ima, vel ex ponte ad rapidum flumen, ad aquarum vorticem despicit, si is rheda vel naui, praecipue auersus, vehitur, et huius vectionis insuetus est. Nascitur etiam hoc vitium ex animi perturbatione, terrore, timore et ira, ex ictu capiti illato, ex ebrietate, vsu hypnoticorum, narcoticorum aliorumque venc-

venenorum, a fumo carbonum, a fumo Peti per fiſtulam hauſto, ſi et huic homo nondum adſuetus eſt, a nimio ſanguinis profluuio, ab omnibus, quibus boni ſucci viresque auferuntur. Frequens eſt vertigo aegris magno vel diuturno morbo confectis, ſi erecto corpore eſſe volunt, id quod non raro iis mortem maturat. Inter cauſſas etiam minus frequentes, ſi arteriae carotides quacumque ratione non prorſus praechuſae ſunt, ſed ita tamen affectae, vt ſanguis per eas difficilius moueatur.

§. 362.

Deuteropathica vero ſaepiſſime oritur a ventriculo et hypochondriis, ſi cruditates, bilis, acidum, lac coactum, immo etiam pituita in eum contracta ſunt. Quare poſt ingluuiem et crapulam ſaepe vertigo. Quibus viſcera chylopoea et hypochondria laborant, foeminae hyſtericae, et viri atrabilarii, nec non alii, quibus podagra ventura eſt, vel quibus hi et ſimiles morbi male curati ſunt, quibus lumbrici aluum occupant, quibus quaedam olim in corpore facta excretio ſuppreſſa eſt, vel ſcabies tineaque et ſimilia puſtularum genera prohibita fuere, vertigine corripiuntur. Interdum ſoluitur vomitu, deiectione bilioſa, podagra et rarius orto in qua corporis parte abſceſſu. De vomitu dicendum, non omnem criticum eſſe, ſed ſaepius ſymptomaticum, quem ex cerebro male affecto moueri alibi diximus.

§. 363.

Omnis vertigo mala, peſſima tamen idiopathica eſt, cuius cauſſa tolli nequit, ſi talis poſt alios grauiores diuturnosque morbos, maxime poſt cephalaeam aliosque capitis adfectus oritur, et quae pertinacior facta frequentius reuertitur. Sympathica interdum ſoluitur haemorrhoidum fluxu; idiopathica in ſenibus apoplexia finitur.

§. 364.

Etiam vertiginis curatio cauſſis accommodanda eſt. Eam ab abundante ſanguine naſci, ſcire licet ex cognitis

pletho-

plethorae notis, et ſi cum vertigine arteriae concitantur, et dolor mallei ictibus fere ſimilis, cum aurium ſonitu et ſurditate, aegrum male habet. His ſanguis mittendus eſt ex talo, et admouendae ſunt cucurbitulae, conciſa prius cute. Cucurbitulae occipitio impoſitae multum profuerunt. Neceſſe vero eſt, vt prius ſanguis inciſa vena detrahatur. Etiam aluus ducenda eſt Cremore Tartari, ſale cathartico, ſale Thermarum Carolinarum, foliis Sennae et ſimilibus. Nimium ſanguinis motum reſoluunt Nitrum, Arcanum duplicatum, lapides Cancrorum cum acido Nitri. His tamen abutendum haud eſt, quippe quibus tandem ventriculus et viſcera infirmantur. De victu et exercitatione infra dicendum.

§. 365.

Si vertigo idiopathica in ſenibus a redundante pituita naſcitur, optimum leuamen affert fonticulus vel ſetaceum. Si malum minus diſtantem curationem poſcere videtur, verticem ferro candente aduri et pus moueri oportet. Cum his dari poſſunt infuſa per epicraſin laxantia, addito Helleboro et Agarico, Pilulae de Succino Cratonis cum Extracto panchymagogo Crollii, Mercurio dulci, Diagrydio. Caput quandoque, praemiſſis illis euacuantibus, fricari poteſt, et poſt fricationem admoueri poſſunt cucurbitulae. De vertigine idiopathica illud dicendum eſt, aquas minerales his plerumque nocentiſſimas eſſe, quae in vertigine ſympathica ſaluberrimae ſunt. Vbi tamen vertigo a ſola neruorum et viſcerum imbecillitate, et non a male affecto cerebro oritur, illarum potus ſalubris deprehenditur, quae tamen res curioſiorem obſeruationem requirit.

§. 366.

Si vertigo ex ventriculo oritur, illud ex nauſea, cardiogmo, cardialgia, vel Soda, bilioſo rancidoque ſapore, aluo vel adſtricta, vel ſoluta, et ſi cibus ventriculo non continetur, vel ſi is inconfectus redditur, aliisque ſignis cognoſcimus. Dari debent medicamenta, quibus id, quod

cor-

corruptum eſt, qua via commode expelli poteſt, eiiciatur Emetica, tanto magis valentiora, imbecillis non ſine periculo dantur. Aeger, qui vomiturus eſt, bibat aquam calidam, cuius maiori modo admiſceatur oxymel ſquilliticum, ſuperbibenda eſt calida, donec vomuerit aeger. Inter vomitus caput deligandum eſt. Praeter emetica et cathartica communia, aduerſus ſtomachi vitia, multum valent Thermae et Acidulae. Hypochondriacorum et hyſtericarum vertigo, ſi vetuſtas acceſſit, difficulter tollitur. In foeminis ad menſtrua, in viris ad haemorrhoides, et ceteroquin etiam ad ventriculum aliaque viſcera, quibus chylus conficitur, animus medentis aduertendus eſt. Reliqua in horum morborum hiſtoria dicentur. Non raro frequentior diuturniorque Rhei vſus profuit. Imbecillitati viſcerum ſuccurrendum eſt abſtinentia, cibo modico, potione congrua, de quibus quum ſaepe dictum ſit, hic nihil addendum eſt. Ex medicamentis, poſt catharcticorum vſum, conducunt cortex Peruuianus, cortex Caſcarillae, Puluis Birkmanni, martialia,

§. 367.

Sunt aliae quaedam obſeruationes neceſſariae. Omnibus, qui vertigine idiopathica laborant, nocentiſſima ſunt emetica. Si vero in ſympathica os ſaliuae plenum amarumque eſt, vel ſi acor per fauces aſcendit, ſi ſtomachus exaeſtuat et nauſea crebriorque vomendi cupiditas aegrum vexat, ſcire licet, vitium eſſe in ventriculo, et niſi magna atque ex aliis cauſſis orta huius viſceris imbecillitas fuerit, confert protinus malam materiam, data Ipecacuanha, eiicere. Si autem ſtomachus reſolutus eſt, et cibi tenax haud eſt, et ſi mali vetuſtas acceſſit, nihilque eius, quod adſumitur, concoquitur, ſed omne in cruditates conuertitur, ſummum et vnicum aduerſus hoc auxilium eſt in abſtinentia, exercitatione et fricatione, quas viribus hominis accommodari oportet. Crebrius dandum eſt Rhabarbarum in puluere. Stomachica et carminatiua calidiora minus proficiunt; me-

liora

liora ſunt martialia et ex cydonio parata. Vitare praecipue conuenit omnem potionem fermenteſcentem, quippe quae in ventriculo infirmo coaceſcit. Potioni praeſtandum eſt decoctum Chinae ponderoſae, vel alia ptiſanae compoſitio. Cum hac vinum meracum vetus, leue et edentulum, cereviſia etiam valentior, qualis Anglorum eſt, ſi horum parum bibitur, non aliena ſunt. Infuſum Theae infirmo ſtomacho minus idoneum eſſe, obſeruatio docuit.

§. 368.

Prae ceteris neceſſarius eſt cibus, non ſolum modicus, ſed etiam morbo idoneus. Nocent omnia acria, Sinapi, Cepae, ſalſamenta, quae intus facile corrumpuntur, dulcia, pinguia, iurulenta, lactentia, quae inflant, et maxima leguminum atque olerum pars. Aluum liberam, numquam ſiccam vel adſtrictam eſſe, conuenit. Fuſior autem aluus, ſi perpetua eſt, ventriculum infirmum eſſe oſtendit. Venus peſtifera eſt, omnisque animi contentio et perturbatio, multaque et aſſidua meditatio. Sanguinis miſſio ſalubris eſt iis, qui ex plethora vertiginoſi fiunt. Tolerari poteſt in aliis, qui ei adſueti ſunt; nocentiſſima eſt, quibus corpus valde infirmum eſt. Illam in infirmis diuidere oportet, ne corporis infirmitas ea adaugeatur. Si vero apoplexiae metus eſt, ſanguinis plurimum detrahi oportet. Prima autem vertiginis curatio eſt exercitatio, quae ſemper cibum antecedere debet. Hanc etiam modicam, non nimis laborioſam, ſed aſſiduam et quotidianam eſſe oportet. Proficit etiam, ſi tales multa peregrinatione iactantur, vel ruri ſunt, vel ex grauioribus regionibus in ſalubriores veniunt. Somnus placidus et paullo longior vtilis eſt, qui etiam, ſi res cogit, medicamentis interdum, habita tamen moderatione, arceſſendus eſt. Vitari oportet turbatus et qui in cubiculis percalefactis capitur. Nulla fides habenda eſt medicamentis vulgo ſic dictis cephalicis et ſpecificis. Quo tempore aegrum vertigo corripit, is ſe contineat. Vbi illa in ſyncopen mutari videtur, id quod ex ſubeuntibus et quieſcen-

quieſcentibus arteriis ſciri poteſt atque ex calore exſtincto, naribus admoueantur, quae excitant, Spiritus ſalis ammoniaci, ſal cornu cerui volatilis, cui oleum Lauendulae vel aliud quoddam adiiciendum eſt. Vbi vero ex tendinum tremore, ex cognito corporis habitu, et iis, quae olim acciderunt, epilepſiae metus eſt: illa odora, quae excitant, aliena ſunt. Aeger quietem ſeruet, et in loco obſcuro, ab omni ſtrepitu et luce remotus, contineatur. Si aluus adſtricta eſt, ſine mora ſolui debet lotione emolliente, vel Apozemate, quae vero leniſſima eſſe debent. Caput velandum eſt, non tamen onerandum. Veteres, quos etiam nonnulli recentiorum imitantur, caput frigida crebrius perfunderc, poſt fricare pectereque ſoliti ſunt.

MORBI SOPOROSI.

§. 369.

Somnus hominem complectitur, ſi ſuccus neruoſus ex cortice cerebri non libere ad fibras medullares illorumque neruorum initia, quibus ſenſus motusque animalis praeſtatur, tranſire poteſt. Naturaliter hoc fit, ſi materia, ex qua ille ſubtiliſſimus ſuccus conficitur, et qui ſub ſomno perficitur, deficit. Praeter naturam autem ſoporatur homo, ſi aliquid vel in cerebro, vel in aliis partibus, vel in ipſis humidis eſt, quod illum huius ſucci tranſitum impedit. Grauiſſimus itaque ſopor eſt, ſi cerebrum premitur in apoplexia, a qua morbi ſic dicti ſoporoſi gradu differunt. Horum morborum varia nomina ſunt et anceps ſignificatus apud optimos auctores. Vſitatiora nomina ſunt: *Carus*, *Lethargus* et *Coma*, quibus nonnulli addunt *Cataphoram*. *Carus* praeſtantioribus Scriptoribus ſignificat altiorem profundioremque ſoporem, quo homines haud facile expergefieri queunt. Oritur vt plurimum, ſi ſanguis poſt

ictum

ictum vulnusque capiti illatum cerebrum premit, vel si post phrenitidem cerebri inflammatio iam in gangraenam mutatur. Interdum etiam ab ebrietate, a deuorato opio aliisque narcoticis, a fumo carbonum. Si morbi huius causſa tolli nequit, neruorum distentione morteque finitur. *Coma* minor huius gradus, ita, vt homo facilius excitari queat. Vtrumque morbi genus, tum Carus, tum Coma, cum febre est, de quo tamen, vt dictum, non omnes consentiunt auctores. Diuidunt Coma in somnolentum et vigil. In somnolento homo vix non perpetuo somno grauatur, et minor gradus est Cari. Coma vigil dicitur, vbi homo somno deuinctus breui et repente excitatur, qui vero hoc, quem expellere non potest, mox iterum opprimitur et soporatur. Coma vigil vt symptoma accedit hemiplegiae, phrenitidi, febrique acutae et inflammatoriae. Hoc morbo et interrupto, vt dictum, sopore vrgetur homo, si in qua cerebri parte ex dictis occasionibus vasa praeclusa sunt, in alia vero illius visceris parte sanguis per vasa aperta perniciori motu traiicitur, ita, vt altera cerebri pars quasi soporata, altera autem vehementius agitata esse videatur.

§. 370.

In Lethargo homo etiam immodico premitur somno, qui interdiu noctuque continuat, qui vero non repente aegrum obruit, sed qui pedetentim obrepit, et in dies ingraueſcit. Sine febre est, superuenire tamen interdum febricula solet, quae saepe vel morbum, vel hominem tollit. Homo hoc morbo compressus, supinus, oculis per palpebras non prorsus contectis, hiante ore iacet, vix non semper dormit, expergefactus sui omniumque rerum, cibi, potionis, necessariarumque excretionum obliuiscitur. Oscitat, parum loquitur, de capitis dolore grauitateque conqueritur, et vix quaesitis respondet, mox iterum soporatur. Cum his pulsus frequens, mollis, inaequalis, languidus et tardus, tandem vndosus esse solet. Respiratio rara et debilis, aluus modo adstricta, modo fusior. Vrina cruda,

iumentorum lotio ſimilis. Non raro ſudor per artus extremos, quandoque per omne corpus diffunditur. Ex faucibus aliquando naribusque effertur copioſa pituita vel pus, quod vltimum ſuppurationem in cerebro eſſe ſignificat. Morbus hic longus eſt, et prae ceteris ſenes atque infirmos occidit. Raro in iunioribus metaſtaſis fit ad aures et parotides, et morbus harum ſuppuratione ſoluitur.

§. 371.

Ignorari non debet, eſſe ſomni critici genus, vbi aliquando homines per vnum alterumque diem vix non perpetuo dormiunt, ſub ſomno vero conualeſcunt. Hic vero ſomnus eſt cum aliis bonis ſignis, maxime poſt criticam euacuationem. Oritur ille ſomnus a defectu humoris blandi, qui ſub eo inſtauratur. In infantibus ſub ſomno crudi-tas, quae in ventriculo eſt, et ex qua non raro conuelluntur, coquitur, ac in bonum ſuccum conuertitur.

§. 372.

Quum de Caro, occaſione phrenitidis, et in Chirurgia, occaſione vulnerum capitis dictum ſit, iam prae ceteris conſiderari debet Lethargus. Oriri is potiſſimum videtur a confluente in cerebrum eiusque ventriculos ſero. Sed id exitu per infundibulum et per venas iugulares prohibetur. Quandoque ſerum vel pus intra cerebrum et inter duram matrem repertum fuit. Serum vero ex variis ſibique contrariis cauſſis in cerebrum huiusque ventriculos contrahitur. Hoc incidit, ſi poſt magnam euacuationem, hypercatharſin, haemorrhagiam, diabetem, exigua cerebri vaſcula propter κενεαγγεῖαν collabuntur, illorumque parietes inter ſe glutinantur. Dum enim tenerrimi ſucci transfundi nequeunt, vaſcula illa atque receptacula ab humore a tergo veniente diſtenduntur, quibus medullares cerebri fibrae premuntur. Vaſa cerebri ab aliis etiam cauſſis, veluti ab aſſumtis ſpirituoſis, ab opio aliisque, quibus ſanguis rarefieri ſolet, dilatantur. In valde obeſis adeps mole ſua per exte-

riu-

rius corpus vasa omnis generis premit arctatque, ita, vt sanguis redundans cerebri vasa laxiora distendat. Nec tamen horum affectuum, nec ipsius apoplexiae caussa semper in cerebro est, sed saepe in aliis partibus, veluti si polypus maior, in corde et vena caua haerens, sanguinem in cor libere influere non sinit. Aliae occasiones sunt, ex quibus Lethargus oritur, catarrho vel excretione muci per nares repente cohibita, fonticulo, cui vetustas accessit, glutinato, scabie, tinea aliisque morbis cutaneis male curatis. Ceteroquin Lethargo, praecipue chronico, magis obnoxii sunt senes, infirmi, voraces, cacochymia multaque pituita laborantes. Etiam Lethargus frequens esse solet ebriosis, praecipue iis, qui se quotidie vino adusto ingurgitant.

§. 373.

Lethargus si repente hominem corripit, efficaciora auxilia poscit. Protinus adhibendi sunt clysteres acriores, etiam ex fumo Peti, nec non suppositoria acriora ex felle tauri inspissato, diagrydio sulphurato, extracto Hellebori, quae omnia cum melle subiguntur. Cum his vero, si ventriculus laborare videtur, dandum est emeticum paullo valentius; hoc tamen liquidum esse debet, quum aeger alia deglutire nequeat. Cauendum tamen, ne vomitu cerebrum magis laedatur. Si purgantibus opus est, resina Ialappae terendo solui potest cum amygdalis. Si haec omnia non prosunt, adhibenda sunt alia excitantia. Sunt, qui plantas pedum ferro candente adurunt, magnamque suppurationem mouent. Euellendi sunt pili. Naribus admouendus spiritus Salis ammoniaci cum calce viua, vel vapor ex aceto vini fortissimo super laminam ferream ignitam effuso. De Cantharidibus alibi diximus, eas proficere, si nulla febris est et nulla ex febre maligna metuenda sanguinis resolutio. Vbi pituita abundat, prodesse queunt, maxime si in vlceribus magna multaque mouetur suppuratio. Obseruatio tamen docuit, interdum lethargo laborantes admotis Cantharidibus non expergisci, sed neruorum distentione commoueri.

Fere meliora ſunt rubefacientia et ſic dicti phoenigmi. Fonticuli et ſetaceum ad euocandos corruptos humores plurimum poſſunt.

§. 374.

De ſanguinis miſſione ita ſentio. In caſibus, vbi a ſanguine ex vaſis ſuis effluente, veluti poſt capitis vulnera, vel etiam poſt apoplexiam, ſopor oritur, ad eam ſine mora properandum eſt, quum ab ea vix non omne praeſidium a primis initiis petendum ſit. Sed in corpore, quod iam mali habitus et longo morbo vitiatum eſt, et vbi in tali corpore cerebrum a ſero, ex receptaculis ſuis erumpente, comprimitur, ſanguinis detractio infirmitatem auget, immo hominem non raro occidit. Ea etiam aliena eſt, ſi in ſopore cum febre vel in Comate indicia ſunt, febrem per parotides aliamque metaſtaſin ſolutum iri. Viris, quibus Lethargus ex ſuppreſſis haemorrhoidibus oritur, quandoque proſunt hirudines. Vbi aeger in deceſſione expergiſcitur, vtatur maſticatoriis ex Maſtiche et Pimpinella alba. Per errhina et ptarmica frequentius ſternutamenta euocentur. Componi etiam poſſunt Cucuphae. Vbi ſomnus non ita continens eſt, et aeger conualeſcere videtur, dari poſſunt diſcutientia et tonica: Liquor Cornu Cerui ſuccinatus, Mixtura ex Tinctura Antimonii, Spiritu Cornu Cerui, Eſſentia Succini et his ſimilia. De fonticulis et ſetaceis iam ſupra retuli.

§. 375.

Sopor ab opio ortus diſcutitur datis magna in copia acidis. Aqua miſcenda eſt cum multo aceto vel ſucco Citri. Diu potioni quotidianae acida adiicienda ſunt. Grauiſſimus ſopor oritur ex virulento carbonum fumo. Si enim aeger ſui oblitus eſt, et profundo ſomno oppreſſus iacet, medetur emeticum, Gilla nempe Paracelſi ſeu Sal Vitrioli albi ad drachmam dimid. vel ſcrupulos ij. aqua ſoluitur et ori eius infunditur. Cum his adhibendae ſunt lotiones acriores, rubefacientia, ptarmica aliaque, quibus ille expergiſcitur.

APO-

APOPLEXIA.

§. 376.

Apoplexia est repentina sensuum tum externorum, tum internorum, motusque voluntarii abolitio, a cerebri compressione, quo tempore non solum manet, sed multum etiam intenditur cordis et pulmonum actio, quippe quae a cerebello proficiscitur. Quibus hoc incidit, illi attoniti dicuntur, inter quos vero magnum discrimen est. Quandoque enim Apoplexia repente et quasi ictu fulminis hominem rapit, id quod incidit, si copiosior humor, ex ruptis receptaculis missus, ventriculum cerebri quartum implet et cerebellum premit, ex quo nerui, vitalem cordis ac pulmonum motum praestantes, educuntur. Distinguunt igitur in Apoplexiam exquisitam et leuiorem. In priori omnes animales actiones prorsus deficiunt; in altera illae laesae sunt, sed non penitus abolitae. Ex hac vltima quandoque aeger sine noxa conualescit, quandoque vero ei ex Apoplexia paralysis in qua parte manet. Haec, si vnum latus tenet, dicitur Hemiplegia, si vero omne corpus, excepto capite, resolutum est, Paraplegia, quae tamen rarius occurrit. Nonnumquam in membris manet quidam stupor, minor paralyseos gradus, et dicitur Paresis. Aliquando non artuum, sed aliarum partium musculi resoluti sunt, veluti linguae, faucium, sphincterum ani et vesicae. Potior tamen differentia est ab humore in cerebro haerente, illudque comprimente, vnde Apoplexia in sanguineam et serosam diuiditur. Raro soluitur variis excretionibus, haemorrhagia, febre, diarrhoea, sudore, immo etiam vomitu. Sedes morbi est cerebrum et huius medulla, quae comprimitur. Si vero hoc cerebello incidit, subito sequitur mors. In sectis cadaueribus, quandoque inter meninges, vel in anfractibus corticis, vel in basi caluariae, plerumque in cerebri ventriculis, in quibus plexus choroidei sunt, reperiri solet humor,

vel ſanguis, vel ſerum, vel etiam pus. Non vero ſemper Apoplexia ab humore extra vaſa miſſo oritur, ſed ſaepe, ſi ſanguis nimio motu vrget in vaſcula piae matris, et ille craſſior implet vaſcula lateralia corticis cerebri. Hinc in apoplecticis ſaepe nullus humor extra vaſa miſſus, ſed vaſa ſanguine turgida reperiuntur.

§. 377.

Neceſſe eſt, vt Medicus apoplexiam ab aliis diſtinguat. In ea eſt abolitio ſenſuum et motuum animalium, pulſus vero magnus eſt et fortis, etiam magna et fortis reſpiratio cum ſtertore, quare etiam naturalis, immo auctus calor in corpore eſſe ſolet. In Syncope vero nullus pulſus eſt, et nulla fere ad ſenſum reſpiratio. In Lethargo et in aliis affectibus ſoporoſis, qui gradu fere differunt ab apoplexia, aeger acu punctus excitari poteſt, qui expergefactus mox iterum ſomno opprimitur. In magna vero apoplexia is nihil, nec acu puncturam ſentit, nec vmquam ad ſe redit. In catarrho ſuffocatiuo reſpiratio etiam cum ſtertore eſt et ſimul valde impedita, pulſus vero eſt debilis, tardus ac rarus, qui in apoplexia magnus et fortis eſſe ſolet, et, id quod primo loco notandum eſt, mens ſibi conſtat in catarrho ſuffocatiuo. In epilepſia etiam omnis ſenſus animalis penitus abolitus eſt, vt aeger ne candens ferrum corpori impreſſum ſentiat, ſed tunc totum corpus conuellitur. In hemiplegia, vbi vnum latus reſolutum eſt, alterius lateris muſculi non raro conuelluntur. Vulnera capitis docuerunt, reſolutis lateris dextri muſculis, ſiniſtrum cerebri hemiſphaerium comprimi.

§. 378.

Quibus Apoplexia ſanguinea imminet, ii conqueruntur de magno capitis dolore et eius grauitate, ſopore, frequenti diuturnaque vertigine, tremore inter ſomnum, de incubo, venae iugulares tument, oculi illacrymantur rubentque, homo ſentit aliquam quaſi temulentiam, vertiginem, modo

ocu-

oculorum caliginem et tenebras, modo ſplendores iis obuerſantes, aurium tinnitum, formicantem in artubus ſenſum, interdum etiam vox tremula fit et balbutiens, vrina aeruginoſa, atra, cum multo ſedimento κριμνώδε. Etiam cauſſarum notitia morbum futurum eſſe oſtendit, veluti ſi homo plenus nimia exercitatione, potione valentiori, medicamentis calidioribus, ſanguinis vehementiorem pernicioſioremque motum concitauit: vel ſi pulſus inaequalis, intermittens, extremorum frigus, oſtendunt polypum in corde haerere. Vbi vero motus increſcit, ſentiunt aegri in ſe ipſis ſubitaneam mutationem, σκοτοδινίαν, vertiginem, qui tandem concidunt, omnemque ſenſum et motum animalem amittunt, quibus muſculi, qui in ſpaſticis morbis rigidi manent, flaccidi ſunt. Cor palpitat, arteriae pulſant, pulſus magnus eſt et rarus, reſpiratio magna cum ſtertore, facies rubet, oculi torui ſunt. Quo fortior celeriorque eſt pulſus, et quo maior et profundior reſpiratio, et quo cum maiore haec eſt ſtertore, eo maius eſt periculum. Nam ſi totum cerebrum ita compreſſum eſt, vt nullus ſanguis per illud traiici poſſit, huius maior modus pellitur ad cerebellum, ex qua re fortior atque velocior cordis pulmonumque motus ſequitur; ſed quoniam ille ſanguis non omnis per cerebrum libere moueri poteſt, tandem etiam huius vaſa praecluduntur, fit obſtructio, et ſequitur mors. Poſt mortem caput rubicundum ad ſenſum ſaepe intumeſcit, quia ſanguis, qui per arterias carotides internas et vertebrales diuidi nequit, ad capitis exteriora fertur. Nonnumquam ſanguis ex auribus, naribus, ore erumpit.

§. 379.

Apoplexiae ſanguineae obnoxii fiunt ii, quibus cerebrum, fracta caluaria, vel hac etiam integra manente, commotum, et in eo receptaculum quoddam ruptum fuit. Praeter hos, de quibus in Chirurgia dicendum, attoniti fiunt ii, quibus vaſa cerebri a quacumque ratione nimium diſtenduntur, vel prorſus rumpuntur. Nam tum a ſic dilatatis

vaſis, tum a ſanguine aliisque humidis, qui ex ſuis receptaculis emittuntur, premuntur fibrae medullares. Non raro corruptus humor acriorque factus tenerrima vaſcula rodit et exedit. Apoplexiae igitur ſaepe occaſionem dat plethora, obeſitas, nimius ſanguis, nimia quies et torpor, haemorrhagiae ſuppreſſae, victus lautus multoque aromate conditus, ebrioſitas, Venus, animi perturbatio, compreſſio iugularium, compreſſio arteriae aortae a nimis diſtento ventriculo in voracioribus, malum hypochondriacum, polypus vel in corde eiusque vaſis, vel in ſinubus durae matris, tumores varii, tum intus in cerebro nati, tum extrinſecus venas iugulares prementes, ſanguinis diatheſis craſſior, vel ex inflammatione, vel viſcida ex cacochymia, vel ex atra bile. Sanguis vero acrior fit in hypochondriacis vel atra bile laborantibus, in iis, quibus ſudores repente fuerunt cohibiti, nec non quibus ſcabies, fonticulus, vlcera chronica fuerunt male curata, vel quibus podagra fuit repreſſa. Is vero acrior rodit atque exedit tenerrima in cerebro vaſcula, vt ſic humor ex iis effluat et neruorum principia premat. Multum etiam confert aër, eiusque viciſſitudines, maxime ſi aëre humido corpora relaxantur. Quare hyeme et ſub frigore humido hic morbus frequentior eſt, id quod tamen de apoplexia ſeroſa prae altera intelligendum. Ex vomitu vehementi, ab adſumtis etiam venenis, maxime iis, quibus ſanguis vel repente cogitur, vel praeter modum attenuatur, etiam oritur apoplexia. Prius ab acidis mineralibus ſanguini admixtis, poſterius ab opio fieri obſeruatio oſtendit. Si quis in conclaui, vbi multus crocus eſt, verſatur, vel in eo dormit, metuere poteſt apoplexiam, quae etiam in cellis vinariis a muſto fermenteſcente oritur. Omne, quod in ſanguine coagula polypo ſimilia efficere poteſt, huic morbo gignendo idoneum videtur.

§. 380.

Periculoſiſſimus morbus eſt apoplexia exquiſita, quae nonnumquam ictu quaſi fulminis aegrum rapit. Saepe finitur

finitur ſpatio vnius vel alterius diei. Si aeger intra viginti quatuor horas ad ſe non redit, nulla plerumque ſpes eſt. Manet interdum paralyſis artuum inferiorum, id quod incidere videtur, ſi morbi materia ex capite etiam per ventriculum cerebri quartum in fiſtulam ſacram vel vertebrarum thecam defluit. Reſpiratio, ſi valde magna eſt, profunda et rara, minus tamen aequalis, ſed impedita, inter peiora ſigna eſſe ſolet. Peſſimum vero ſignum eſt ſtertor, rhonchus et oris ſpuma. Haec vehementiori reſpiratione ex pulmone effertur. Si reſpiratio non ita magna eſt, ſed celerior, et ſi accedit febris pulſusque paullo celerior, et aeger non prorſus ſoporatus eſt, ſed aliquem ſenſum habet, melior ſpes eſſe ſolet. A febre tamen plus ſperandum in ſeroſa, quam ſanguinea. Lethalis eſt apoplexia a febre acuta, vel ab epilepſia relicta, nec non cui ſuperuenit neruorum diſtentio. Magnus etiam metus eſt, ſi ſudor frigidus vel ex toto corpore, vel ex aliquo membro effertur. Reliqua prognoſis ex aetate, corporis habitu, cauſſis et aliis depromitur. Malum ſi etiam ſuperatum fuit, frequentius reuertitur. Ex eo aegri non raro imbecilli fiunt, puſillanimes, et qui ex leui data occaſione illacrymantur. Nonnumquam apoplexia ſoluitur haemorrhagia magna, haemorrhoidibus, vrina multa atque craſſa, ſudore multo, aequabili, calido, rariſſime diarrhoea.

§. 381.

In curatione maxima ſpes eſt in apoplexia ſanguinea, ſi protinus ſanguinis maior copia detrahitur. Sanguinis libra vna, atque in corpore pleno cum ſemiſſe, detrahenda eſt protinus, et quidem, vbi iam brachium reſolutum eſt, ex eo ipſo affecto membro. Si corpus valde plethoricum eſt, breui poſt ſanguis iterum mitti debet ex talo. Si autem facies multum rubet et tumet, incidi poteſt iugularis. Haec vero ſi incidenda eſt, non faſcia conſtringi debet, ſed digito ſaltem comprimi. Sunt nonnulli, qui arteriotomen praeferunt in temporibus. Poſt has ſanguinis miſſiones ite-

rum venam in talo incidi conuenit, quae ſemper plagis maioribus aperiri oportet. Alienam minusque efficacem eſſe, reor, ſectionem venae frontalis vel raninae. Etiam conciſa in occipitio cute, admoueri poſſunt cucurbitulae.

§. 382.

His praemiſſis aluus ducenda eſt lotione vel ſolutione Salis catharctici. Vitanda ſunt in clyſteribus acriora, metus enim eſt, ne, dum ſpaſmos excitant, ſanguis maiori motu verſus ſuperiora caputque, quod iam grauatur, feratur. Si aegro deglutiendi facultas ſupereſt, dari poteſt decoctum Tamarindorum, Cremoris Tartari, foliorum Sennae, Salis catharctici, et lotio nihilo minus in aluum poteſt infundi. De his clyſteribus tenendum eſt, eorum modum non ita magnum eſſe debere, et nimium calorem nocere poſſe. Cum his adhiberi debent alia excitantia. Admoueatur naribus ſpiritus Salis ammoniaci, Sal anglicum volatile cum oleo Lauendulae; pedibus ſuperhabeantur fomenta calida et humida; videndum vero, ne pedes refrigeſcant, et ne nimius calor, ex his vel ex frictione natus, ſanguinis motum adaugeat. Nonnulli extrema lino conſtringunt, et ſanguini reditum per venas praecludunt. Proſunt omnis generis rubefacientia, ipſumque ferrum ignitum plantis pedum imprimendum, niſi hoc crudele videatur.

§. 383.

Quia plerumque deglutitio laeſa eſt, aliena ſunt medicamenta ex pulueribus compoſita, vel alia acriora, quae tuſſim excitare poſſunt. Fere optimum eſt, in apoplexia ſanguinea, nitrum aqua ſolutum, vel aqua quaedam deſtillata cum aceto deſtillato remixta. De medicamentis calidis, vulgo cephalicis dictis, in apoplexiae ſanguineae curatione ita ſtatuendum, illis febrem excitari. Sed quamuis febris quandoque ſaluberrima ſit, ſi ea a natura mota fuerit, et ad auertendam paralyſin plurimum faciat; ſaepe tamen, ſi mox ab initio his medicamentis calidis ſanguis cietur, periculum naſci-

naſcitur, ne cauſſa paralyſeos augeatur, dum a commoto ſanguine vaſa intumeſcunt, vel dum huius maior modus ex ruptis vaſis effertur.

§. 384.

Apoplexia ſeroſa dicitur, quando cerebrum non ſanguine, ſed redundante ſero atque pituita grauatur, quibus etiam interdum vaſa diſtenduntur; longe frequentius autem cerebrum eiusque partes premuntur, quod ille humor ex ruptis vel dilatatis vaſis lymphaticis elatus fuit. Hoc genus frequens eſt ſenibus, cacochymicis et cachecticis, quibus viſcera imbecilla ſunt, et qui glutinoſo ſpontaneo viſcidaque pituita abundant. Ipſa tamen plethora, ſanguinis excretiones cohibitae, ſanguinis miſſiones neglectae, plurimum conferre poſſunt, prout alibi obſeruatum eſt, morbos ſeroſos ex ſanguineis oriri. Etiam occaſio datur, ſi vlcera, ſcabies, tinea, ſimilesque morbi non recte fuerunt curati. Si corpus torpido otio, moerore, nimio litterarum ſtudio, Venere, ebrioſitate, repletione imbecillum factum eſt; vel ſi primas vias cruditas onerat, ſi polypus in maioribus venis et in durae matris ſinubus haeret, ſanguinis motus impeditior fit, et nonnumquam ſanguis, nonnumquam etiam ſerum ex vaſis cerebri erumpit.

§. 385.

Quibus haec apoplexia imminet, illi cachectici ſunt, colore lurido, anorexia et vomitu frequenti pituitae laborant. Vbi morbus aegrum iam tenet, apoplexia ſeroſa a ſanguinea dignoſcitur non ſolum ex hominis aetate et corporis habitu, ſed maxime ex colore faciei, qui, vt dictum eſt, in ſanguinea valde rubicundus, in ſeroſa pallidus eſſe ſolet. Paralyſis illaque puſillanimitas fere frequentius ex hac ſeroſa relinquitur, quam ex ſanguinea. Soluitur interdum vomitu, deiectione, magno ſudore, rarius catarrho. In curatione excitandus eſt aeger. Pili euellendi, volatilia naribus admouenda, rubefacientia, ſupra occaſione Lethargi propoſita, imponenda ſunt. Si ex quotidiano victu et regimine

gimine aegri ſuſpicio eſt, ventriculum plenum eſſe cruditatum, dari poſſunt, quibus vomitus mouetur. Non tamen facile draſticis vtendum, quum ipſa agitatio, quae cum vomitu fit, exaſperari poſſit. De Gilla Paracelſi ſupra dictum, quae aqua ſolui et dari poteſt. Simul adhiberi debent clyſteres acriores cum Peto, agarico, colocynthide, vel etiam cum Tartaro emetico.

§. 386.

Poſtquam ad ſe redit aeger, debent dari diſcutientia, Sal volatile oleoſum Syluii, Liquor cornu cerui ſuccinatus, Spiritus cornu cerui cum eſſentia Succini, Liquor anodynus Hoffmanni, addito pauco Balſamo vitae, quibus, ſi fieri poteſt, febris excitari debet. Non aliena eſt Tinctura Coralliorum cum liquore anodyno et ſpiritu bezoardico. Si vero aucto pulſu, increſcente febre, aeger non meliuſculus eſt, ſed ſi in eo imbecillitas augetur, ab his deſiſtendum eſt. Singularem vſum praeſtant veſicatoria proceſſibus maſtoideis et nuchae admota; proſunt etiam maſticatoria et fricationes inferiorum, ſpinaeque dorſi cum linteis aſperioribus et cum vnguento neruino, cui Balſamum Peruuianum et olea deſtillata, Lauendulae, Saluiae, Caryophyllorum, Macis adiiciantur. Ab initio neceſſaria eſt abſtinentia, poſt cibus conuenit, qui boni ſucci eſt, aromate conditus. Nihil vtilius eſt, quam totius corporis et praecipue membrorum paralyticorum exercitatio; adhiberi etiam conuenit fricatio. Poſt aliquot dies quoque aluus duci debet catharctico ſatis valente, non vero acri, ex Foliis Sennae, Rhabarbaro, Manna, Cremore Tartari. Nec pilulae alienae ſunt ex maſſa Pilularum de Succino Cratonis, ex Mercurio dulci, ex Extracto panchymagogo Crollii aliisque. Proſunt ſorbitiones ex herba Betonicae, Saluiae, ſeminibus Coriandri, Cubebarum, &c. Tale infuſum horis matutinis in lectulo, adiectis ſupra dictis miſturis, ſorbendum eſt et ſudor mouendus. Conualeſcenti vitanda eſt impletio, cruditas, ebrietas, negotioſa actio; Venus prae ceteris peſtifera eſt, et omne, quod facere poteſt, vt morbus reuertatur.

PARA-

PARALYSIS.

§. 387.

Paralyſis dicitur, ſi naturalis illa vis in muſculis deficit, ita, vt illi membra nec mouere, nec etiam, ſi haec ab alio homine in altum tolluntur, ſuſtinere poſſint, quippe qui ſimul marceſcunt, flaccidi fiunt atque aridi. Latinis dicitur neruorum reſolutio. Nam ex aliis etiam cauſſis et ſine reſolutione nonnumquam mouendi facultas muſculorum amittitur, veluti ſi articuli contracti ſunt, quod vitium ἀγκύλας Graeci vocant, vel ſi membrum gangraena affectum, poſt vero ita curatum fuit, vt omnis tunica adipoſa, non ſolum ea, quae ſub cute, ſed etiam, quae inter muſculos eſt, ſuppuratione fuerit corrupta atque vlcere exeſa. Plerumque in membris reſolutis cum motu etiam perit ſenſus et oritur ἀναισθησία. Rarius obſeruatum fuit illud hemiplegiae genus, in quo in vno latere motus, manente ſenſu, in altero ſenſus, relicta mouendi poteſtate, fuit aboſitus, cuius exemplum ab HEISTERO propoſitum vide in *Ephem. Nat. Curioſ. Cent. II. Obſeru.* 196. Gradu differt Paralyſis. Si ſaltem ſtupor relictus eſt, Pareſin vocant. Plures tamen hoc nomen tribuunt illi inteſtinorum atoniae, quae ex colica conuulſiua poſt vſum narcoticorum relinquitur. De Paraplegia et Hemiplegia ſupra dictum fuit. Paralyticus morbus eſt catarrhus ſuffocatiuus. Interdum homo per omnia membra reſolutus eſt. Interdum vero hoc vitium infeſtat non niſi certos muſculos, linguae, pharyngis, ſphincterum veſicae et ani. Quid inde ſequatur, quilibet, qui harum partium functiones non ignorat, ſcire poteſt.

§. 388.

Muſculus autem reſolutus eſt, ſi in eo vel ſuccus neruoſus, vel ſanguis arterioſus deficit, eumque haud permanat. Imbecillitas alia naſcitur, ſi illa naturalis, quae in

omnibus

omnibus fibris eſt, vis, et qua earum elementa inter ſe committuntur atque cohaerent, defecta eſt. Reſolutio itaque vel paralyſis oritur, ſi cerebrum atque medulla ſpinalis, ex quibus nerui procedunt, premuntur, vel ſuppuratione, vlcere, vulnere, aliaque ratione laeduntur. Alia paralyſis eſt, ſi non tam neruorum initia, quam hi ipſi ab inflatis tunicis, quibus illi comprehenduntur, vrgentur arctanturque. Illa enim inuolucra etiam arterias venasque ſanguinem ferentes habent, quae inflammari aliaque ratione intumeſcere poſſunt. Laxior cohaeſio elementorum frequens admodum eſt, quae ſi non veram paralyſin facit, eam tamen non parum adauget. Paralyſis igitur relinquitur ab apoplexia, ſi caluaria vel vertebrae fractae atque depreſſae fuerunt. Etiam per morbos ſoporoſos naſcitur, ſi humor in cerebro ex ſuis receptaculis emiſſus viam inuenit in fiſtulam ſacram, ſeu illud cauum peruium, quod in vertebris eſt, et medullam ſpinalem comprehendit. Illae tunicae, quibus nerui comprehenduntur, intumeſcunt, ſi illarum minima vaſcula a mala materia, quae in ea conuertitur, praecluduntur. Hoc accidit interdum iis, qui ſudorem, tanto magis criticum, repente reprimunt, qui humentibus veſtibus induti, magnum refrigerium patiuntur, qui in grauibus locis, veluti in agro Romano, aeſtate vel autumno ſub diu dormiunt, qui articulorum dolores, arthritidem et podagram, ſuperhabitis externis, diſcutiunt, qui cum aëre halitus venenatos, metallicos, praecipue ex plumbo et argento viuo per ignem eleuatos, hauriunt. Scorbuticis peculiare huius reſolutionis genus eſt, quod primum dentes, poſt alias etiam partes infeſtat, et quod nomine ſingulari σκελοτύρβη dicitur. Hoc a reſolutis neruis maxillaribus quinti paris oriri probabile eſt. De colica Pictonum, quam alii Saturninam vocant, quae reſolutione brachiorum finitur, infra dicendum erit. Tandem etiam Paralyſis oritur in corporibus cacochymicis, Venere exhauſtis, ſi his naturale fibrarum robur deficit. Vehementioribus diuturnioribusque ſpasmis, conuulſionibus, epilepſia tandem neruos reſolui, rarum

non eſt. Ceteroquin paralyſin parere poſſunt varia, quibus nerui extrinſecus comprimuntur, varii generis tumores, luxationes et fracturae, nec non ſi in vulneribus illi nerui praeciduntur. Ex fractis vertebris compreſſaque ſpinali medulla paralyſin oriri neceſſe eſt.

§. 389.

Anatomicorum diligentia notatum fuit, male affectis certis in cerebro ſedibus reſolui certos in corpore neruos. A compreſſis thalamis neruorum opticorum oritur amauroſis, quae nihil aliud eſt, quam paralyſis nerui optici et retinae. Si ſanguis ex plexu choroideo vnius ventriculorum anteriorum emittitur, ille premit corpus calloſum et ſequitur abolitio ſenſuum omnium. Corpus enim calloſum animae ſedem eſſe, pluribus experimentis poſt alios nuper probauit *de la* PEYRONIE, Chirurgus Gallus, in *Comment. Acad. Reg. Scient. anno* 1741. Ceteroquin humor ſeroſus, qui in ventriculos anteriores contrahitur, viam apertam habet ad ventriculum tertium. In hoc infundibulum eſt, per quod lympha ad glandulam pituitariam et per exiles ductus ad ſinus venoſos durae matris permanat. Vbi vero hic exitus praecluſus eſt, ex tertio ventriculo aditus datur ad quartum per illum aquaeductum Syluii, qui ſub illis quatuor tuberculis eſt, quae teſtes natesque vulgo ab Anatomicis vocantur. Haec vero via naturaliter aperta non eſt: nam quo minus humor ex tertio in quartum ventriculum deſcendere poſſit, obſtat valuula magna cerebri. Hanc autem exſuperans humidum tandem perrumpit, ita, vt ventriculus quartus etiam non raro diſtendatur. Hoc ſi incidit, cerebellum premitur, et mors in propinquo eſt, niſi humor iterum, perrupta pia matre, viam inueniat in illud cauum, quod in vertebris inter has atque medullam ſpinalem relictum eſt. Hoc ſi incidit, oritur paralyſis artuum inferiorum, et ſi humor ad ſupremas vsque vertebras in illa fiſtula ſacra vertebrarum adſcendit, Paraplegia, quod vltimum genus paralyſeos rariſſimum eſt. Ceteroquin ſi dextrum cerebri hemi-

hemiſphaerium ab humore vel inter caluariam atque menin ges, vel in ventriculo anteriori premitur, lateris ſiniſtri muſculi reſoluuntur. Vid. *Experimenta anatomica Petri* MOLINELLI, in *Actis Bononienſibus p.* 239. Plura alia experimenta a Chirurgis propoſita leguntur. Conf. *de la* PEYRONIE l. s. cit. Ex obſeruatione WILLISII *de Anima brutorum Cap. IX. p.* 106. laeſis corporibus ſtriatis reſoluuntur crura; conf. HEISTERI Diſſertat. *de Paralyſeos ratione anatomica.* Ex arteriarum vitio oritur paralyſis, ſi maior arteria, veluti in aneurismatis Chirurgia, ſecta atque deligata fuit, et ſi maiores muſculi ab exiguis arteriis ſanguinem accipiunt. Membra tunc euaneſcunt, atque mumiae inſtar arida fiunt. Vid. notabile exemplum in *van* SWIETEN *Commentar. Tom. I. ad* §. 161.

§. 390.

Paralyſin futuram indicat vertigo, ab initio mitior, quae vero mox grauior reuertitur, oculorum caligo, auditus grauitas, ſenſuum internorum hebetudo et ſenſus quidam formicans in membris. Paralyſis iam praeſens cognoſcitur ex ſupra dictis notis. In ſpaſmis muſculus contractus et ad ſenſum durus eſt, in paralyſi flaccidus. Sed paralyſis nonnumquam ex diſtentione vel contractione antagoniſtarum cognoſcitur. Si enim muſculus reſolutus eſt, eius antagoniſta maiori vi adducitur atque contrahitur. Hoc in muſculis zygomaticis, in ſterno, maſtoideis aliisque, frequentius occurrit, oculisque conſpicitur. Si vero quae incidere poſſint in futurum praeſagire vult Medicus, debet et hominem, et ipſum morbum conſiderare. Spes eſt, reſoluta membra ſana fieri poſſe, ſi malum recens eſt. Finitur interdum paralyſis neruorum diſtentione, frequentius aliqua excretione, vomitu, deiectione, ſanguinis profuſione, ſudore, puſtulis varii generis. Quae a cerebro male affecto proficiſcitur, ſemper peior eſt, quam quae a neruis eorumque velamentorum tumore oritur. Melior illa, quae in

corpo-

corpore descendit, quam quae adscendit. Si malo recenti mox ab initio febris accedit, illud interdum tollitur, saepe vero, praecipue si aliquid cerebrum infestat et si febris ingraueſcit, mors sequitur. Interdum paralysin subita animi commotione, praecipue terrore, solutam fuisse legimus. Raro ad sanitatem perueniunt membra vehementer et ita resoluta, vt et sensus et motus abolitus sit. Si illa frigida sunt atque subito emarceſcunt, nihil spei supereſt. Maximum periculum esse solet in hemiplegia, si vnum latus calet, alterum friget. Si in membro arteria maxima, eiusque, quod aiunt, truncus praecisus est, vel ita compressus, vt sanguini nullus ad membrum sit aditus, maxime si nullae aliae minoresque arteriae sic dictae laterales ad illud membrum feruntur, necesse esse, hoc emori et sphacelum oriri. Id quoque interdum incidit, si membrum vehementer atque adeo resolutum fuit, vt, defecta in arteriarum tunicis aliisque partibus vitali virtute, sanguis per eas transfundi nequeat, qui, dum quiescit, putrescere incipit. Neruorum musculorumque actione sanguinis motum, tum per arterias, tum etiam per venas plurimum iuuari, multis experimentis compertum est. Paralysis ex ebrietate vel veneno orta, plerumque stuporem magnamque imbecillitatem relinquit. Quibus ex Venere immodica et ex gonorrhoea longa nerui resoluuntur, non facile ad sanitatem perueniunt. Si membro et resolutis musculis manet naturalis calor, si illi non emacreſcunt, et si non omni sensu orbati sunt, sed si aeger in eo aliquid, quod formicarum currentium motui simile est, sentit, sperare possumus sanitatem. Maiorem securitatem pollicetur calor, qui si exstinctus fuerat, membro redit, accedente etiam dolore, et si vterque, et calor et dolor, indies magis increbreſcit. Tremor etiam membri resoluti bonum signum est, qui in homine sano paralysin futuram esse saepe indicat.

§. 391.

In curanda paralysi, quae ex cerebro orta fuit, obseruanda sunt omnia, quae supra de apoplexia proposita sunt.

Animus enim ad cauſſas aduertendus eſt. Sanguinis miſſio prodeſt in apoplexia ſanguinea mox ab initio: nocere poteſt in paralyſi iam confirmata, tanto magis in ſenibus, alio morbo confectis, nec non ſi vitium a cauſſis externis, repreſſa Podagra, imbecillitate, primarum viarum cruditate ortum fuit. Sanguis optime mittitur ex membro reſoluto. Haemorrhoidariis hirudines aliaque auxilia extrinſecus admouenda ſunt, quibus illud ſanguinis profluuium poteſt reuocari. Si febris accedit, moderatio adhibenda eſt, illaque nec prorſus exſtinguenda, nec tamen nimis incendenda eſt. Febrem concitare et reſolutionem iuuare poſſunt infuſa et decocta meraciora, herbae Betonicae, Meliſſae, Saluiae, florum Lauendulae, Anthos, Liliorum conuallium, ſeminis Foeniculi, Coriandri, Aniſi, Baccarum Lauri et Iuniperi, corticis Winterani, Aurantiorum, Ligni Saſſafras &c. Cum his etiam dari poſſunt Sal volatile oleoſum Syluii, Spiritus bezoardicus Buſſii, addito Balſamo vitae Hoffmanni, Eſſentia alexipharmaca cum Eſſentia Succini, Liquor cornu cerui ſuccinatus et his ſimilia. Sub horum tamen vſu leniori medicamento, veluti Rhabarbaro, purgandae ſunt primae viae. Vbi venter ſuppreſſus eſt et deiectio medicamentis peti non poteſt, vel victu vtendum eſt humidante, vel lotionibus mollientibus.

§. 392.

Ex cauſſa praegreſſa, errore in victu, accedente nauſea atque crebra vomendi cupiditate, intelligitur, paralyſin a cruditate primarum viarum fuiſſe contractam. Aduerſus hanc ab initio plurimum valet lene emeticum, ex Tartaro emetico, ex Oxymelle ſquillitico. Iterari poteſt poſt aliquod tempus hoc medicamentum, et interea illud Oxymel ſquilliticum ſine alio vehementiori emetico adhiberi. Quandoque in inteſtinis craſſioribus magna vis coactae pituitae haeret, ad quam euocandam proſunt clyſteres, quibus admiſceri poſſunt aliquot grana circiter IV. V. VI. Tartari emetici. Tartarus emeticus, bene tritus, commode melle

vel

vel oxymelle excipitur, cui accuratius miſcendus eſt. Si his nondum purgatae fuerunt primae viae, dari debent cathartica per epicraſin laxantia, vel Pilulae, quibus extractum Hellebori nigri, extractum panchymagogum Crollii, Agaricus trochiſcatus, admiſceri poſſunt. Proſunt etiam plurimum Pilulae cum Gummi ammoniaco. In his caſibus ſaepe multum proficiunt Thermae et Acidulae, quae, ſi humor in caluaria haeret, vel ſi malum a magna ſolidarum imbecillitate profectum fuit, quandoque malum adaugent. Si vero his ſumtis euacuantibus homo viribus deficitur, ab iis abſtinendum eſt, vel adhibenda ſunt moderatiora. Raro feliciter ceſſit ptyalismus Mercurio concitatus. Plures, paralyſes per ſudores curaturi, aegrum decocto meraciori ligni Guaiaci, Saſſafras, radicum Bardanae, Chinae, per aliquod tempus implent, et ſudorem in lectulo, vel etiam in laconico, mouent, poſt linteis tepefactis ſingula membra detergunt, reſoluta vero membra et dorſi ſpinam admodum fricant, etiam infra dicendis compoſitionibus inungunt. Haec curatio ſummam prudentiam et moderationem exigit, ne, moto vehementius ſanguine, vitium adaugeatur. In his curationibus neceſſaria eſt abſtinentia, cibus paucus, qui facile concoquitur. Peſtifera ſunt viſcida et glutinoſa, quae craſſiorem pituitam faciunt. Potioni praeſtandum eſt vinum meracum, ſed paucum, vel cereuiſia meracior. Omni vero ſtudio vitet homo repletionem et ebrietatem. Saepiſſime paralytici ceteris voraciores ſunt, qui celerius conſumuntur. Homo cauere debet veſpertinum frigus, meridianum Solem, nubilum coelum, prae ceteris auraeſtagnorem. Peſtilentiſſima eſt Venus; ſomnus, qui in cubiculo percalefacto capitur, morbum hunc facere vel multum exaſperare poteſt.

§. 393.

Quod vero ad auxilia attinet, quae extrinſecus admoveri poſſunt, a quibus non raro magnum praeſidium eſt, illa negligenda non ſunt. Vbi paralyſis orta fuit ab vlceri-

bus male curatis, ſcabie et podagra, plurimum proficit frictio cum linteis aſperioribus. Magnus etiam vſus eſt balneorum ex fragrantioribus herbis compoſitorum, Thermarum praecipue, ſi hae ab alto in torpens membrum deſtillant. Praeterea cum frictione adhibenda ſunt alia excitantia, cucurbitulae; euellendi ſunt pili, cutis caedenda eſt vrticis, ſuperaddenda ſunt rubefacientia, cantharides, et alia, quae propoſuimus. Ipſa vero medicamenta, quae extrinſecus adhibenda ſunt, pro aetate atque corporis habitu varia ſunt. Iunioribus plenis et ſucco turgidis conducunt ſpirituoſa: Spiritus vini camphoratus, Spiritus lumbricorum terreſtrium, formicarum, Spiritus matricalis, Serpilli, &c. Senibus vero et macilentis, quibus cutis iam arida et flaccida eſt, magis proſunt vnguenta. Vnctioni aptiſſimum eſt, ſi vnguento neruino, quod proſtat, adiiciuntur olea deſtillata cum balſamo Peruuiano. Sunt, qui vtrumque genus, ſpiritus et olea, inter ſe miſcent.

MORBI PECTORIS.

ASTHMA.

§. 394.

Asthmate dicitur laborare homo, si aliquid in pulmonibus vel praecordiis est, quod sanguinis transitum per pulmones impedit, ex quo oritur respiratio difficilis, frequens, densa, cum scapularum motu, sibilo et stertore, summa anxietate et praefocationis metu. Nonnumquam tussicula accedit, aliquando haec fiunt sine tussi. Minor gradus dicitur Dyspnoea, summus vero gradus, vbi aeger non nisi recta ceruice erectoque corpore spiritum trahit, Orthopnoea. In Apnoea omnis respiratio sublata est. Initia morbi haec sunt: Homo sentit pectoris grauitatem tarditatemque ad opus solitum; anxia fit et anheloſa respiratio, praecipue vero, dum is acclíuia adscendit, vel currit; stertit vigilans, tanto magis inter somnum. Lectuli calorem aegre ferre potest, et duriora stragula praefert, quod incalescente corpore sanguis citatur. Accedit raucitas et tussis, cum nulla sputi reiectione. Vbi vero malum se intendit, difficultas spirandi hominem fere ex toto strangulat, qui, summa anxietate oppressus, apertis fenestris liberiorem respirationem quaerit. Facies tumet et sanguine turget, oculi prominent. Non tamen omni tempore aeger tam vehementer afficitur, sed remissionem habet. Exasperatur autem asthma plerumque horis vespertinis. In nonnullis certo tempore reuertitur, et periodicum dicitur. Non semper tamen asthmatis sedes in pectore est, sed saepe in ventriculo, immo interdum in vtroque, quandoque in hypochondriis. Vltimum dicitur asthma flatulentum, quod ab asthmate pectoris et ventriculi distinguitur. Inflato ventri-

culo et colo, diaphragmatis motum impediri nemo ignorat, ſed celerius id agunt ſpaſmi, quibus reſpirationis organa ſtringuntur. Si male afficitur ventriculus, eius cardia, et prae ceteris diaphragma, Aſthma cum ſummo ſtrangulationis metu eſt. Diſtinguitur ceteroquin Aſthma in humidum et ſpaſticum ſeu conuulſiuum. Differt a catarrho ſuffocatiuo. In Aſthmate humido vox ſtridula eſt, ſed clara; in Aſthmate ſpaſtico vox acuta eſt, et propter anguſtias, per quas ſpiritus euadit, ſibilus eliditur. In catarrho ſuffocatiuo vox ſuppreſſa eſt, vt vix intelligi poſſit, et accedit ſtertor et rhonchus. In aſthmate pulſus velox et febrilis eſt, exſpiratio ſatis bona, inſpiratio impedita. In catarrho ſuffocatiuo pulſus eſt tardus, debilis ac rarus, accedit ſumma virium proſtratio. In hyſterica paſſione, quae cum aſthmate plurimum conuenit, magis fauces, quam pectus, conſtringuntur. In hac omnis anxietas et ſpirandi difficultas ructu ſoluitur.

§. 395.

Aſthma humidum naſcitur ex lento viſcidoque humore, qui pulmonum veſiculas, nonnumquam etiam cum his ventriculum, et ſaepe vtrumque viſcus onerat. Oritur ab omnibus, ex quibus in humidis viſcidum et glutinoſum ſponta-neum adaugetur. Si affecti ſunt pulmones, multa tuſſis eſt cum reiectione pituitae; ſi vero ventriculus laborat, accedit nauſea, praecordiorum anxietas cum tuſſi, frequentior vomitus, et exacerbatio fit aliquot horis poſt paſtum. Morbus, ſi inualeſcit, difficilius curatur, praecipue in ſenibus et infirmis. Finitur catarrho ſuffocatiuo et hydrope pectoris. In curatione aſthmatis humidi, mucus attenuandus, euacuandus et partibus ſolidis robur reddendum eſt. Materiam mobilem reddunt et incidunt vegetabilia acriora: radix Ari, Pimpinellae albae, Angelicae, Ariſtolochiae, Caryophyllatae; flores Chamomillae, ſemina Foeniculi, Aniſi ſtellati, cortex Winteranus, baccae Iuniperi &c. Ex his fieri poſſunt ſorbitiones calidae vel decocta, vel, additis pur-

purgantibus, radice Bryoniae, Agarico, Sale catharctico, foliis Sennae, Noduli laxantes. Efficaciſſimum eſt ad pituitam ſoluendam Gummi Ammoniacum, quod in varii generis miſturis dari poteſt. Si ab his omnibus vomitus cum euphoria ſequitur, ſpes eſt. Pilulis etiam, v. g. Becheri, admiſceri poteſt Squilla, vel in puluere, vel in Extracto ad gr. IV. V. pro doſi. Extractum de Peto, quod ex aqua coquitur, et ad minimum ſexies iterum ſoluitur, ac totidem iterum inſpiſſatur, ſi ad gr. ij-iij datur, efficaciſſime reſoluit.

§. 396.

Praemiſſis his reſoluentibus, ſi materia non valde copioſa eſt, illa per pectus educitur, et adhibenda ſunt illa expectorantia. Si vero illius maior vis pulmones occupat, educenda eſt per purgantia. Dari poſſunt Pilulae de Succino Cratonis, de Gummi ammoniaco Foreſti, aliaeque compoſitiones. Multi vſus ſunt infuſa vinoſa per epicraſin laxantia, ex radice Ari, Pimpinellae albae, Vincetoxici, Ariſtolochiae rotundae, Valerianae, Ireos Florentinae; herbis Marrubii albi, Fumariae, Trifolii fibrini; baccis Lauri; cortice Winterano; radice Bryoniae, Rhabarbari; foliis Sennae, Agarico. Infirmis proſunt pulueres ex Rheo et Sale catharctico, qui iteratis vicibus et per aliquot dies dari debent, nec non Apozemata ex Sale catharctico, Senna, vel valde infirmis ex Manna cum Cremore Tartari. Durante tamen ipſa exacerbatione, et purgantia, et alia efficaciora remedia non ſine periculo dantur, et metuenda eſt ſuffocatio. Si vero in vehementiori inſultu huius maior metus eſt, protinus aluum liquari oportet lotione, iteratis etiam vicibus in aluum immiſſa. Admoueri poſſunt primo ſcapulis, poſt etiam artubus et ſuris cucurbitulae. Proſunt pediluuia, phoenigmi, fomenta, et quae alia conditione laudata fuerunt. Intus dari poteſt mel cum aqua deſtillata, addito Syrupo de Althaea, vel Capillorum Veneris.

§. 397.

Si materia tenacior et viſcidior eſt, aliena ſunt purgantia, nec minus acriora incidentia, vegetabilia. Proſunt lubricantia, decoctum Glycyrrhizae, Paſſularum, Caricarum pinguium cum Syrupo de Althaea, Capillorum Veneris, nec non emulſiones ex ſemine Cardui Mariae, Papaueris, et dictis Syrupis. Dari etiam poteſt acetum ſquilliticum, oxymel ſquilliticum, in quo Gummi Ammoniaci ſcrupulus dimidius ſolui poteſt. Nec aliena eſt mixtura ex partibus tribus Eſſentiae Glycyrrhizae, addita parte vna Eſſent. Pimpinellae.

§. 398.

Sub his omnibus victus curioſior neceſſarius eſt. Multum nocet aër paludoſus, vel humidus, coelumque graue, neceſſarius eſt montanus, ſerenus et ſiccus. Ex obſeruatione HOFFMANNI his ſalubrior eſt aër variis et ſulphureis lithantracum halitibus foetus. Aër grauis et humidus corrigitur ſuffimigiis, igne, lithanthracibus, accenſis lignis aromaticis, veluti Iuniperi. In victu nocent omnia viſcida et glutinoſa, ex farina et butyro piſta, piſces, carnes tenaciores pinguioresque. Proſunt iura, croco vel alio aromate condita, carnes iuniorum animalium, panis bene fermentatus, leuis, cum ſeminibus Aniſi, Carui, Foeniculi commixtus beneque coctus. Potioni praeſtanda eſt aqua, ſi fieri poteſt, fontana, ptiſana ex radice Chinae et cortice Caſſiae. Vinum concedi poteſt paucum, ſed meracum. Coena nulla eſſe debet, vel admodum modica, cum horis veſpertinis potiſſimum noua exacerbatio metuenda ſit. Saluberrima eſt corporis exercitatio, numquam vero poſt paſtum, vbi metum ſuffocationis facere poteſt.

§. 399.

Si his auxiliis morbus vel ſuperatur, vel leuatur, videndum eſt, vt pulmonibus robur reddatur. Id quod quandoque difficile eſt, praecipue in ſenibus, et ſi iam morbi vetuſtas

vetuſtas acceſſit. Dari poſſunt infuſa aquoſa ex herbis Veronicae, Hyſſopi, Scabioſae, Milleſolii, ſemine Foeniculi, Aniſi ſtellati. STAHLIVS extollit aquam viridem pectoralem. Si aegro ſudores nocturni manare incipiunt, is monendus eſt, vt ſollicite eos bono regimine excipiat, quum iis non raro Aſthma tollatur, vel ad minimum multum leuetur.

ASTHMA SICCVM.

§. 400.

Ita dicitur, quod eſſe ſolet cum tuſſi ſicca, ita, vt nulla, vel pauca pituita reiiciatur. Variis debetur cauſſis. Si ſanguinis tranſitus per pulmones ex quacumque occaſione impeditus eſt, et ſi hoc etiam incidit in aliis partibus, veluti in diaphragmate, ventriculo, colo, aliisque in viſceribus diaphragmati ſubiectis. Frequens morbus eſt gibberoſis, nec non quibus polypus in corde, vomica et ſcirrhus in pulmonibus eſt; quibus pulmones a vaporibus metallicis, ſulphureis, ex antimonio, arſenico, mercurio, nec non a puluere lapidicidarum ſtringuntur, tandemque indureſcunt et ſcirrhoſi fiunt. Eſt tamen quaedam differentia. Nam id maxime ex his cauſſis pedetentim ortum, nonnumquam perpetuum eſſe ſolet, nonnumquam vero, ſi id a menſium et haemorrhoidum obſtructione natum fuit, iterum euaneſcit, mox tamen redit, et hominem per intervalla ſtrangulat. Quandoque quaſi acutum eſt, et aegrum repente rapit, praecipue id a repreſſis exanthematibus et male curatis vlceribus ortum fuit; ſi a polypo oritur, cor multum palpitare ſolet. Palpitatio non tamen ſemper polypum praeſentem ſignificat, ſed etiam ab aliis partibus male affectis et varii generis ſpasmis oritur. Aſthmatici etiam fiunt pueri poſt variolas malignas. Etiam oritur poſt repreſ-

ſam podagram, vel poſt tuſſim narcoticis curatam. Morbus hic ſaepe pertinax eſt, nullamque curationem recipit, ſi cauſſa tolli nequit. Tandem degenerat in hydropem pectoris. Si tuſſis ſicca in humidam mutatur, cum euphoria et virium integritate, id bonum eſt; ſi vero cum hac tuſſi humida aeger de magna infirmitate conqueritur, et haec indies magis increſcit, mors inſtat.

§. 401.

Aſthmatis ſicci curatio ab initio requirit aluum ducentia. Vtendum vero eſt mitioribus et lubricantibus. Igitur conducunt clyſteres et Apozemata ex Tamarindis, Paſſulis, Manna, Cremore Tartari. Nec in hoc aſthmatis genere, inter ipſas anguſtias atque anhelationem, venter ſolui debet medicamentis intus ſumendis. Lotiones vero omni tempore ſalutares ſunt. His praemiſſis conſiderandae ſunt cauſſae. Si in pulmonibus nimia ſiccitas eſt, dari debent lubricantia, emulſiones, decocta auenae excorticatae, hordei excorticati, iuſcula carnium iuniorum, vitulinae, et pullorum cum cancris fluuiatilibus, et ſi malum pertinax eſt, lac aſininum per multum tempus potandum. Efficaciora lubricantia ſunt ſuccus Glycyrrhizae; decocta caricarum pinguium, fructuum Sebeſten, varii generis Syrupi: Syrupus de Eryſimo Lobelii, de Farfara, de Althaea, Capillorum Veneris, quibus admiſceri poteſt Diacodium Montani. Notandum tamen eſt, dulcium nimio diuturniorique vſu nimis laxari et infirmari pulmones, ita, vt tandem phlegma non ex pulmonibus, ſed ex corpore per pulmones euocetur.

§. 402.

Si aſthma ex febre male curata relinquitur, haec, ſi fieri poteſt, reuocanda eſt. Danda ſunt decocta reſoluentia ex radice Foeniculi, Glycyrrhizae, Polypodii, Vincetoxici, Caryophyllatae; herba Scordii, Cardui benedicti, Veronicae, Capillorum Veneris; ſemine Foeniculi et ſimilibus. Si nihil aliud eſt, quod id prohibeat, etiam infuſa

per

per epicraſin laxantia ad febrem iterum incendendam multum poſſunt. Si aſthma ortum fuit a ſcabie, proficiunt decocta ex Saſſaparilla, Bardana, Scorzonera, China, ligno Saſſafras, ſemine Foeniculi, et cum his pulueres ex Antimonio diaphoretico, additis aliquot granis florum Sulphuris, vel reguli antimonii medicinalis. In phlegmaticis hominibus dari poteſt Tinctura Antimonii cum Eſſentia Succini, et Eſſentia alexipharmaca. Valde infirmis, ex ſcabie repreſſa laborantibus, plurimum profuit ſerum lactis, ex quo decoquatur herba Fumariae, cuius quotidie aeger libram vnam alteramque bibat. Aſthma lapidicidarum tollunt lubricantia, et praecipue lactis diuturnior vſus.

§. 403.

Aſthma tandem ſpaſticum, in quo diaphragma potiſſimam conuellitur, eſt cum orthopnoea, faciei et oculorum tumore, et maximo ſuffocationis periculo. Hoc reliquis generibus magis acutum magisque periculoſum eſt, et ſaepe neruorum diſtentione per vniuerſum corpus finitur. Et huius variae cauſſae ſunt. Tumores et ſcirrhi in pulmonibus, nec non in viſceribus abdominis, maxime hepate, polypus in corde, haemorrhoidum et menſtruorum obſtructio. In imbecillis repente admiſſum refrigerium, et ſudor cohibitus, potus frigidus, aliena et irritantia, quae in ventriculo haerent, praecipue pituita acrior et tenax, ori ſuperiori ventriculi inhaereſcens, animi commotio, maxime ira et terror, hyſterica paſſio. Gibberoſi frequentius aſthmatici fiunt, tum propter pectoris anguſtias, tum propter neruorum ſpinalium compreſſionem, quos cum intercoſtalibus committi Anatome docet. His modo dictis occaſionibus hic morbus, ſi homo eodem iam laborauit, reuocari et exaſperari ſolet. In ſenibus ſaepe in catarrhum ſuffocatiuum degenerat. Morbus ſaepe hereditarius eſt.

§. 404.

In curatione, et ipſo vehementiori inſultu, protinus adhibendi ſunt clyſteres emollientes, non valde aeres, quos

iterati

iterari oportet. Si corpus valde plethoricum eſt, vel etiam, id quod non raro incidit, ſi morbus ortus fuit a repentina menſtruorum, per terrorem, refrigerium, aliasque cauſſas, ſuppreſſione, ſanguis mittendus eſt ex talo ad libram vnam et vltra: Si vero morbus iam adoleuit, et frequentius rediit, ſanguinis detractio ſub ipſa exacerbatione nocet et morbum pertinaciorem reddit. Aegro propinari poteſt aqua, in qua nitrum ſolutum fuit, vel liquor anodynus Hoffmanni cum ſpiritu bezoardico. Adhiberi debent frictiones pedum, cucurbitulae, Sinapiſmi, et alia ſupra laudata. Semper conſiderari debent cauſſae.

§. 405.

Nonnunquam aſthma oritur, quod parum a ſpaſtico differt, ſi in ventriculo humor acidus vel rancidus, vel tenacior pituita eſt. Ventriculus enim neruis abundat et in καρδίαν inſeritur par octauum. Aegri tuſſi vexantur et ſentiunt ſtricturam etiam in ſummo pectore, quae proficiſcitur a ſpaſmo oeſophagi. Exacerbatio fit plerumque poſt paſtum et poſt aſſumta cruda, fermenteſcentia, vel rancceſcentia, a quibus ſtomachus exaeſtuat. Leuatur vomitu, ructu, diarrhoea. Male agitur cum tali aegro, ſi ei expectorantia exhibentur. Hoc aſthma tollunt abſtergentia et euacuantia. Vomitoria non ſemper tuta ſunt, praecipue ſi iam robur in ventriculo deficit. Si tamen hoc opportunum viſum fuerit, dari poteſt robuſtioribus oxymel cum Tartaro emetico, vel etiam radix Ipecacuanhae. Aliis conueniunt digeſtiua, aliquoties per diem deglutienda. Horis veſpertinis cum his detur Rhabarbarum in puluere ad gr. xxv. cum Cremore Tartari vel Sale catharctico. Haec per tres quatuorue dies continuentur, et interpoſitis aliis diebus repetantur. Etiam dari poteſt per vnum alterumque diem aqua amara vulgo dicta, ſeu ſalſa Seydſchüzenſis (vulgo *Bitter-Waſſer*). Si malum adoleuit et refractarium eſt, id optime tollunt Thermae Carolinae, vel aquae minerales

paullo

paullo efficaciores. Nec aliena sunt infusa per epicrasin laxantia. Victus tenuior et parcior imperandus est. Plurimum proficit, si aeger a potu fermentescente abstinet.

TVSSIS.

§. 406.

Est vehemens, crebrior, interrupta et sonora explosio aëris ex aspera arteria per glottidem, et cum aëre saepe pituitae aliusque humidi, quod ex vesiculis pulmonum, bronchiis et aspera arteria huc fertur. Nemo ignorat, hoc cum magna pectoris, diaphragmatis et totius corporis agitatione fieri. Distingui solet tussis in humidam, siccam et conuulsiuam, a parte affecta in pectoralem, stomachicam et hypochondriacam. Idiopathica est, cuius caussa haeret in aspera arteria. Sympathica, cuius caussa in alia sede, veluti in ventriculo et hypochondriis est. Humida, in qua serum, pituita, pus aliique humores, varium etiam colorem habentes, extussiuntur; arida vel sicca, in qua nihil vel parum extussitur, quae ob id maiorem habet difficultatem et dolorem. Haec, et conuulsiua, ex variis caussis, ex spastica thoracis et diaphragmatis contractione, a materia acri rheumatica, nascitur; quae acrior materia et lympha, vt probabile est, ex glandulis bronchialibus, tum in asperam arteriam, tum in oesophagum destillat. Vid. LANCISIVS *Tr. de Corde.* Tussis etiam sicca contrahitur, si ventriculus a quacumque re, veneno, ab acri materia, flatu, bile, acido, afficitur, vel adsumtis oneratur, quae tussis saepe ructu, vomitu soluitur. Par octauum neruorum, quod cum intercostali conspirat, et a quo pulmones neruos accipiunt, in ventriculi καρδίαν inseritur. Oritur etiam ex obstructione viscerum abdominis, praecipue hepatis, huiusque tumore. Tussim etiam mouent omnia, quibus fauces

ces irritantur, nec non alia, quae ſupra de Aſthmate exſequutus ſum. Frequentior eſt infantibus et ſenibus. Infantibus enim nerui ſunt, qui facile commouentur. Senes abundant acri viſcidaque pituita. Nonnumquam infantes, dum dentes gignuntur, multum tuſſiunt. In morbis acutis tuſſis nonnumquam neruorum diſtentione finitur. Eſt tuſſis ab initio arida, poſt humida, quae in nonnullis hominibus certo tempore reuertitur, quae ſi toleratur, nullaque medicatione turbatur, vtilis eſſe ſolet. Non raro tuſſis epidemica eſt, et cum catarrhis homines infeſtat. Tuſſis ſi vetus et perpetua fere facta eſt, tandem aſthmate, et non raro in ſenibus catarrho ſuffocatiuo finitur.

§. 407.

Tuſſis conuulſiua, Gallis *la Coqueluche*, eſt omnium pertinaciſſima, non raro epidemica, et infantibus prae adultis frequentior. Eſt cum ſummo praefocationis metu, pulſu forti et celeri, faciei tumore et rubore, oculis prominentibus, et, qui ſaepius ſuperuenire ſolet, cum vomitu aſſumtorum. Interdum mutatur in neruorum diſtentionem, nonnumquam in atrophiam et maciem. Et quoniam omnia aſſumta vomitu reiiciuntur, quandoque morte finitur. Princeps eius ſedes eſt in ventriculo, et huius καρδία, cui acrior tenaciorque pituita inhaeret, quae, in ſectis corporibus, tum in ventriculo, tum etiam in aſpera arteria inuenta fuit.

§. 408.

Si vero praeuidendae ſunt cauſſae, tuſſim faciunt omnia, quibus nerui diaphragmatis, muſculorum thoracis, partium vicinarum, faucium et pulmonum, ſtomachi atque ventriculi irritantur. Quare tuſſiunt plethorici poſt paullo vehementiorem exercitationem, quoniam ſanguis non libere per pulmones traiicitur. Idem fit ab aſpiratione aëris vel nimis frigidi, vel nimis calidi, quo pulmones conſtringuntur, vel nimium ſiccantur, ab aëre, variis effluuiis acidis, metallicis, etiam vario puluere referto, a potu et aliis adſumtis

frigi-

frigidis, ab omnibus, quibus gula et ventriculus afficitur. Tuſſi etiam vexantur infirmi, ſub tempeſtatibus, quae aequales non ſunt, ſed multum variant, praecipue ſi corpora calore relaxata ſubito frigore excipiuntur, et ſi ex aliis occaſionibus ſudor atque exſpiratio, quae per cutim atque pulmones fieri ſolet, repente cohibentur. Idem accidit, ſi humidis mala materia admixta eſt. In morbis exanthematicis, variolis, morbillis, antequam per puſtulas papulasque cutis exaſperatur, aegrum tuſſis et vomitus male habent. Tuſſis etiam non raro poſt ſuperatos hos morbos continuatur, ſi humida non prorſus integra facta ſunt, ſed in iis aliquid malae materiae ſupereſt. Ea etiam infeſtat alios, quibus menſes aut haemorrhoides non proueniunt, quibus ſuppuratio in externis vulneribus vlceribusque cohibita fuit, vel tinea, ſcabies prohibita, rheumatici atque arthritici dolores externis impoſitis curati, quorum morborum mala materia in pectus conuertitur. A vomica, tuberculis ſcirrhisque, ab exulceratione pulmonum in phthiſi, ab humore corrupto in cacochymia, nec non ab hydrope pectoris, a rebus, quae in glottidem illapſae ſunt, et aſperam arteriam offendunt, tuſſim oriri, quotidianum eſt. Hanc nonnumquam peregrina concitant. Noui exemplum, vbi tuſſis ferina a fruſtulo vitri deglutiti, per aliquot menſes in ventriculo haerente, hominem male habuit, donec illud tandem tuſſiendo et ſuperueniente vomitu fuerit eliſum. Nonnumquam tuſſis mouetur a vermibus aluum occupantibus. Cauſſas etiam certis notis diſtinguere poſſumus. Si tuſſicula lenis eſt et ſonus magis acutus, atque aeger aliquem ſenſum in faucibus percipit, materia haeret in larynge et ſuprema aſperae arteriae parte. Si vero aeger moleſtiam ſentit in ipſo pectore, ſi, dum paullo altius ſpiritum trahit, mox tuſſis mouetur, et ſi ſpirandi difficultas quauis ac leuiori exercitatione citatoque paullulum ſanguine intenditur; ſi ſonitus quaſi ex alto venit atque raucus eſt, intelligere poſſumus, pulmonem laborare. Si his omnibus veſperi febricula accedit, nihil vero extuſſitur, pulmones tubercula obſident.

Si

Si autem homo ſine difficultate ſpirare poteſt, ſonus etiam quaſi ex profundo fertur, ſub ſcrobiculo cordis dolor et cum hoc nauſea eſt, atque omnia poſt deglutitum cibum vel potum exaſperantur, tuſſis fertur ex ventriculo. Hypochondriorum morbus, cui non raro ferina tuſſis etiam accedit, ſuas notas habet.

§. 409.

Tuſſis, tanto magis quae vetus facta eſt, in ſenibus et imbecillis ſemper metum facit, praecipue, ſi macies magnaque imbecillitas accedunt. In grauidis ex tuſſi vehementius vrgente fieri poteſt abortus, aliis hernia; in plethoricis haemoptoë, in infantibus neruorum diſtentio tuſſim interdum ſequitur. Salutaris eſt, qua pituita cocta exſcreatur, et ſub qua vires non decedunt, ſed augentur. In peripneumonia ſalutare eſt, ſi cruenta pituita extuſſitur. Quae cum exulceratione pulmonum eſt, et a viſcerum etiam abdominis obſtructione, praecipue hepatis et lienis ſcirrho orta, raro eliditur, ſed ſuperueniente febricula tabem mortemque infert.

§. 410.

In curanda tuſſi humida, cuius ſedes in pectore eſt, ſaepe praeſtat nihil agere, quum non raro melius ſponte finiatur. Si vero tuſſis pertinacior aegrum infeſtat, corrigenda eſt materia, vel acrior, vel tenacior, illique vehementior adfluxus auertendus, et tandem, ſi neceſſarium fuit, motus ipſe ſopiendus eſt. Si materia valde acris eſt, qua pulmones nimium irritantur, vt tandem aſthmatis vel exulcerationis metus eſſe poſſit, adhibenda ſunt lenientia iam ſupra laudata, iuſcula ex auena excorticata, hordeo excorticato, emulſiones, decocta radicis Glycyrrhizae, Altheae, Scorzonerae, herbae Parietariae, Maluae, Violarum, florum Papaueris rhoeados, Chamomillae, Verbaſci, nec non oleum Amygdalarum dulcium, Sperma ceti, etc. Dari etiam poteſt Syrupus Capillorum Veneris cum infuſo herbae Theae et plantarum pectoralium.

§. 411.

§. 411.

Vbi materia tenuior eſt, multi vtuntur decoctis ſic dictis pectoralibus, quae ex fructibus dulcibus aëre ſiccatis, caricis pinguibus, paſſulis, fructibus Sebeſten parantur. Videndum vero eſt, ne dulcia vegetabilia acorem augeant. Decocta etiam haec facile fermenteſcunt. Efficacius pituitam tenacem reſoluit Oxymel ſquilliticum, nec non Gummi ammoniacum, de quibus ſub Aſthmate dictum, quae multum nocere poſſunt, vbi pulmo valde infirmus eſt, vel ſi eum vomica obſidet. Multum etiam proficit mixtura ex eſſentia Glycyrrhizae cum eſſentia Pimpinellae, quae ſimul reſoluit et pulmonem roborat. Lubricandis pulmonibus etiam externa auxilia conueniunt, ſi vel ſolius calidae, vel decocti emollientis vapor per infundibulum ore adducitur, vt is ad pulmones cum tracto ſpiritu perueniat.

§. 412.

Materiae vero aditus a pulmonibus auerti poteſt, ab initio catarrhi, qui fere ſemper cum aliqua febre ordiri ſolet. Si ſeruatur in hac regimen, cum ea medendi ratione, quam de febre catarrhali praecepimus, tuſſis auerti poteſt. Vbi vero iam tuſſis hominem vexat, eaque adoleuit, materia autem abundat, adhibenda ſunt ſub finem laxantia, Maſſa Pilularum Becheri cum Gummi Ammoniaco, vel etiam in debilioribus pulueres ex Rhabarbaro et Sale catharctico, Apozemata ex decocto Rhabarbari et foliorum Sennae. Praemiſſis euacuantibus dari poteſt mixtura tonica, ex Tinctura Antimonii et ſpiritu Cornu Cerui, vel ſpiritu Salis ammoniaci aniſato; Eſſentia Succini, cum Eſſentia Pimpinellae et his ſimilia. Inprimis vero conducit Caſcarilla, quae cum lapidibus Cancrorum cum acido citri dari poteſt. Omnibus efficacior eſſe ſolet Maſſa Pilularum de Cynogloſſa ad gr. j-ij. pro doſi, quae admiſceri poteſt pulueribus et Pilulis. Ad haec tamen remedia non nimis cito properandum eſt. Nam metus eſſe poteſt, ne, cohibita tuſſi, mala materia in pulmonibus retineatur.

§. 413.

Tuſſis ſicca eamdem curationem poſtulat, quam aſthma ſiccum, et haec ſemper accommodanda eſt cauſſis. Sanguis mittendus eſt, ſi a plethora; ſi a ſcabie repreſſa, illa reuocanda eſt, dato Sulphure vel Aethiope minerali, de quibus ſuo loco.

§. 414.

In tuſſi, quae ex ſtomacho oritur, obſeruanda ſunt, quae de Aſthmate ſtomachali dixi. Tuſſis hypochondriacorum nonnumquam prodromus hecticae eſt, de qua infra dicetur. De Tuſſi phthiſicorum propediem dicendum erit. In omni tuſſi euitanda ſunt adſtringentia, quae ſaepe infarctum pariunt. Sales, qui ſtimulant et tuſſim concitant, nimium expectorantia et lubricantia, quae et pulmones et ventriculum nimis laxant, etiam abſorbentia, quibus viſcida pituita tenacior minusque mobilis redditur. Si tuſſis quaecunque, maxime ferina, adeo vrget, vt praefocationis metus ſit, mox ſanguis ex inciſa vena mittendus eſt, quo id periculum auertitur. Non tamen praeter neceſſitatem id fieri debere, intelligitur. In tuſſis conuulſiuae curatione non minus properandum eſt; Sales pituitam attenuantes, Terra foliata Tartari eiusque Liquor, Arcanum duplicatum, Tartarus tartariſatus, per plures dies dari debent, et his iungi Rheum. Hoc tamen tuſſis genus ſaepe longum eſſe ſolet, quod tempore, paucis vero datis medicamentis, vincitur. Opus eſt modicis ac temperatis cibis. Victus omnis vel rerum non naturalium vſus omnibus adcommodandus eſt. De quo iam ſaepe diximus.

RAVCITAS.

§. 415.

Symptoma eſt, vbi vox praeter naturam rauca fit et ſuppreſſa. Sedes eſt in larynge, ſi haec non glabra, ſed aſpera eſt, id quod inflatis etiam tibiis incidit, quae ſi laeves non ſunt, aſperiorem ſonum referunt. Eſt vel acuta, vel chronica. Acuta oritur ab inflammatione muſculorum et membranarum, ab humoris ſeroſi et acris deſtillatione, praeſertim a ſubito frigore calenti vel ſudanti corpori admiſſo, et ab aëris gelidi aſpiratione, ſub cantu, declamatione, aliaue vel pectoris vel totius corporis exercitatione, ab acri et acido halitu et aëre frigido, nec non a ſiti. Chronicam ſaepe facit glandularum arytaenoidearum obſtructio, quarum ſucco larynx interius lubricatur. Hac raucitate laborant pueri rhachitici, quandoque venerei et ſcorbutici, quibus catarrhi male curati ſunt, et inflammatio refrigerantibus curata. Obſeruata fuit raucedo ex potu frigido et glaciato. Ex malis etiam vlceribus, praecipue venereis, exulcerantur tonſillae, et roditur cartilaginum tunica ſeu perichondrium, quod vitium nullam curationem recipit. Nec omittendum eſt, omnem vocem ſupprimi in iis, quibus neruus recurrens diſſectus, vel alio modo laeſus fuit. Phthiſicis, cachecticis, ante mortem vox etiam rauca fieri ſolet. In morbillis, ſi incidit, malae materiae inſignem acrimoniam ſignificat. Etiam a vermibus raucitatem ortam fuiſſe legimus, id quod ex conſenſu nerui intercoſtalis atque vagi fieri poſſe, probabile eſt, et hyſtericarum raucitate confirmatur.

§. 416.

Ex cauſſarum notitia curatio petenda eſt. Vitium, quod ab aſſumtis acidis et auſteris ortum eſt, tollitur lubricantibus, decocto auenae excorticatae, hordei excorticati,

emulſionibus, Syrupo de Althaea cum Diacodio Montani et ſimilibus. Si vitium oritur a ventriculo et ructus acidi efferuntur, dari poteſt magneſia aliaque abſorbentia, et ventriculus aquis mineralibus eluendus eſt, aliisque percurandus, de quibus protinus dicam. Catarrhi ſuis auxiliis tolluntur. Morbus venereus non niſi propriis auxiliis curatur. Chronica raucitas ſi inueterauit, difficilius tollitur, praecipue in ſenibus. Experiri licet iuſcula carnium iuniorum, ex quibus coquuntur herbae recentes: Cardui benedicti, Chaerephylli, Cochleariae, vel radices Petroſelini, Apii, Cichorei. Haec iuſcula quotidie per menſem et vltra horis matutinis ſorberi debent. Multum extollunt Aethiopem mineralem, cuius bis per diem aliquot grana, vj-viij. dari poſſunt. Parari vero is debet non per ſolam trituram Sulphuris et Mercurii, ſed adhibito etiam igne. In corporibus macilentis proficit lac, praecipue aſininum vel ſolum, vel cum aquis Selteranis. Gargariſmi etiam adhiberi poſſunt his cauſſis accommodati. Efficaciter pituitam tenacem reſoluit Eſſentia Pimpinellae albae, ſi eius pauciores guttulae fruſtulo Sacchari excipiuntur et deglutiuntur. Lubricandis faucibus inſeruiunt, quae ex radice Althaeae et Glycyrrhizae parantur.

VOMICA PVLMONVM.

§. 417.

Vomica eſt abſceſſus vel vlcus reconditum, quod quaſi velamento ſuo incluſum haeret in medio pulmone. Differt a Phthiſi, in qua vlcus apertum eſt, et vera exulceratio pulmonum. Empyema, quod plures cum vomica confundunt, proprie abſceſſum in pleura ſignificat. Vomica a primis initiis difficilius cognoſcitur, praecipue, ſi illa minor vel plures minores adſunt, et ſi illa non tam

ſangui-

ſanguinem, quam alium concretum humorem, veluti pituitam continet. Talis ſaepe per plures annos ſine magna noxa in pulmonibus haeret. Vbi vero tumor increſcit, tunica, quae malam materiam comprehendit, pedetentim diſtenditur, et homo dyſpnoea, tuſſicula ſicca, febricula vaga, cum aliqua imbecillitate, laborare incipit, tandemque tuſſis ſicca in humidam vertitur. Ad extremum vomica rumpitur, et pus, ſi tumor in parte exteriori pulmonis fuerit, effluit in pectus, vel ſi in interioribus pulmonum haeſerit, fertur in aſperam arteriam. Si maior puris modus eſt, illud aſperam arteriam praecludit et hominem repente ſtrangulat. Etiam hoc fieri poteſt a maxima mole puris in pectus effluentis, quo pulmo ita comprimitur, vt ſpiritum trahere non poſſit. Minor vero vomica plerumque in phthiſin degenerat. Raro eiusmodi vlcus ſaneſcit. Si in pulmone dura et ſcirrhoſa tubercula ſunt, corporis habitus non minus corrumpitur, et homo tabe conſumitur, quod illa tubercula ſanguinis curſum per pulmones eiusque perfectionem prohibent. Rariſſimum eſt vomicam purulentam ſolui per metaſtaſin, et pus per vrinam vel alvum efferri. Hoc, quod natura raro molitur, numquam Medicus imitari debet.

§. 418.

Relinquitur vomica ex peripneumonia, ſi febris ſine coctionis ſignis, manentibus eius quibusdam reliquiis, minuitur, ex haemoptyſi, praecipue ſi aduerſus hanc adſtringentia valentiora et refrigerantia fuerunt adhibita, ex vulneribus illatis, ex morbis catarrhalibus et tuſſi, ſi haec ſopientibus curata fuerit. Qui ſudantes vel ab exercitatione venientes frigidam ſitienter bibunt, et inflammationes et haec tubercula facere poſſunt. Omnis vero vomicae finis eſt, vt matureſcat et rumpatur, quod celerius fit, ſi ſanguis magna multaque corporis exercitatione, aucto pulmonum motu, cantu, cachinno, ſcreatu, febre, aſſumtis calidis, potu valentiori, ira, aliisque citatur.

§. 419.

Si iam in pulmone malae materiae coitus factus est, et vomica orta, illa dissipari nequit; si ex caussarum notitia, ex impedita respiratione, tussicula, aliisque signis intelligimus, talem esse in pulmone, abstinendum est ab omnibus, quae mox inter caussas relata fuerunt, praecipue a cantu et declamatione, a cursu omnique exercitatione, a refrigerio pectoris et pedum, a potu meraco, vt et calido, ab emollientibus et sic dictis expectorantibus, a Thermis, Acidulis, omnibusque, quibus sanguis calescere potest. Si vires permittunt, et febris nondum superuenit, sanguis mittendus est saepius ex talo, aluusque ducenda remediis lenioribus, Tamarindis, Passulis, Manna, foliis Sennae. Vitanda sunt omnia acria et salsa. Victus sit modicus, ex imbecillissima materia, atque fere necessaria est abstinentia a fame propior, vt corpus diminuatur. Potioni praestandum est decoctum hordei, Scorzonerae, quibus etiam, si eorum copia est, adiici possunt poma dulcia. Lac, quod in aliis pectoris morbis saluberrimum est, vomicae rupturam maturat.

§. 420.

Huius rei maior metus est, si febricula accedit, quae aliquot horis post sumtum cibum incursat. Tunc non facilis reditus ad sanitatem est abstinentia; potioni praestanda aqua vel ptisana. Cauendus est cibus iurulentus. Danda sunt temperantia, praecipue Corallia vel Lapides cancrorum cum succo Citri, addito pauco nitro. Vbi tandem vomica rumpitur, et maior puris modus non protinus omnem spiritum elidit, intueri oportet id, quod exscreatur, et totum etiam corporis habitum. Pus, si bonum est, coctum, flauescens, non ita copiosum, si respirationis non maxima difficultas est, si homo viribus nondum defectus cibum adpetit, et ex hoc refectionem sentit, spes est, illum seruari posse. Si vero spirandi difficultas magis et magis intenditur, si vires decedunt, si pus liuidum est,

coeno-

coenoſum, nigricans, male olens, graue et quod in aqua deſidit, ſi in dies magis corpus tenuatur, hominem Phthiſis tenet funeſta.

§. 221.

Si vomica rupta eſt, quantum fieri poteſt Medico enitendum, vt vlcus purgetur glutineturque, id quod difficillimum eſſe ex modo dictis adparet. Ad id neceſſarium eſt, vt homo vtatur victu curioſo, vt cibo modico et qui ad morbum idoneus eſt, aëris etiam puri, liquidi, adſpiratione ſuſtineatur. Abſtineat ab omni victu animali. Repurgato prius corpore per leniora catharctica, ex Manna, Tamarindis, foliis Sennae et ſimilibus, is vtatur lacte cum pane candido et potione non alia, quam ex aqua, ptiſana, vel ſero lactis. Vitam debilem viuat et corpus ita exerceat, vt numquam ſanguis multum cieatur; praecipue in aëre ſereno et ſalubri conducit equitatio, nauigatio, vectio in curru, geſtatio. Si vero tuſſicula ſicca ſit, et nihil cum hac exſcreatur, cum his vero ſpirandi difficultas et praecordioram dolor ingraueſcit, danda ſunt, quae faciunt, vt mala materia lubricetur, et tuſſi extundatur. Ad id vtilia ſunt expectorantia alibi laudata, emulſiones, decocta et Syrupi. Ne vero et his infirmitas pulmonum adaugeatur, cauendum eſt. Vbi vlcus purum eſſe videtur, conueniunt ſorbitiones ex herbis, v. g. Millefolio, Veronica, Chaerephyllo; floribus Roſarum rubrarum, quae etiam commode ex ſero lactis coquuntur. Plures fidem ſuam addixerunt Balſamis exoticis, Peruuiano, de Copaiua, et praecipue de Mecha. Quid vero haec efficiant, is intelligit, qui ex vulnerum vlcerumque externis curationibus non ignorat, quantum ab his ſperari poſſit. Balſama haec, et eorum quidem vna alteraque guttula, ouo ſorbili admiſceri poteſt, vel cum amygdalis dulcibus conteri, vt fiat emulſio. Sunt qui extollunt flores Sulphuris, Rubinum Sulphuris Rulandi ad gr. j. ij. iij. pro doſi. Conſeruam roſarum rubrarum antiquam ad aliquot drachmas, herbas adſtringentes, Virgam auream,

Veronicam, Piloſellam, Arnicam, Saniculam, Vrticam minorem, Alchimillam, radicem Symphyti, flores Hyperici, &c. quibus vero minus fidendum eſt. Sunt ex recentioribus, qui laudant Corticem Peruuianum, ad quem non tamen temere properandum. Ille, vt videtur; proficere poteſt in corporibus, quorum viſcera et ipſi pulmones atonia laborant. Si vero iam hoc vlcus infeſtat, ad huius curationem parum conferre poterit. De ſanguinis miſſione illud tenendum, illam ſalutarem imo neceſſariam eſſe iis, qui ſine febre et ſine magna imbecillitate ſunt, qui ſanguine abundant, et quibus ſanguinem ſtatis temporibus detrahi iam conſuetudo facta eſt. Ea vero, ſi febricula iam orta fuit, nocet, quam in omni febre hectica peſtilentiſſimam eſſe ſupra retuli. In his et aliis morbis plurimum prodeſt animus compoſitus; morbum vero exaſperant et aegrum celerius praecipitant ira, metus atque deſperatio.

PHTHISIS.

§. 422.

Eſt vlcus pulmonum late ſerpens, totum pulmonem, tandemque omnem corporis habitum, orta tabe, corrumpens. Phthiſis vix de alio, quam de pulmonis vlcere dici ſolet, quamuis ceteroquin vocabulum ex etymo nihil aliud, quam tabem, ſignificet. Hectica vero dicitur, ſi vlcus eſt in aliis ſedibus et viſceribus. Aliud genus eſt, quod ſine vlcere corpus conſumit, veluti tabes Britannica, quae oritur, ſi humida corporis, ipſeque ſanguis non recte coactus, ſed rarior eſt, cum ſolidarum ſumma imbecillitate, ob quam cauſſam omnia tandem degenerant. Febris vero, quae vlceri ſuperuenire ſolet, et aegrum tandem extorret, non alia eſt, quam hectica, de qua ſupra diximus. Magnum diſcrimen eſt inter huius, de quo nunc agendum eſt, morbi

morbi initio, et ſi is iam inualuit. Videndum eſt, ne pro vera phthiſi habeamus alios morbos, tuſſim, catarrhum diuturnum, aſthma, ſtomachi vitia, et quae ſunt alia. Nam nonnumquam in his quoque morbis materia exſcreatur extuſſiturque. Qui vero phthiſi vera laborant, nec ſpiritum trahere, nec eum lente et aequabiliter reddere poſſunt. Materia, quae reiicitur, aquae admiſcenda eſt. Pituita huic innatat, pus deſidit. Hoc carbonibus candentibus impoſitum foetet. Vix non omnes phthiſici tuſſiunt, raro pulmones ſine tuſſi exulcerantur. Increſcente morbo, phthiſici cruenta extuſſiunt, vt puri paucus ſanguis admiſtus ſit. Genae roſeo colore, praecipue poſt ſumtum cibum, conſpicuae, ſanguinis tenuitatem atque cum hac acrimoniam oſtendunt; tandem accedit febris, quae vel incurſat, vel intenditur tertia quartaque hora poſt prandium, quo tempore nouus chylus ſanguini adfunditur, et hac tandem aeger emacreſcit. Non tamen ſemper tuſſis pituitam purulentaque trahit, ſed nonnumquam, ſi pulmones materia calcaria referti ſunt, ſicca eſt, id quod etiam incidit, ſi tabes non ex qua exulceratione, ſed ex cachexia humorumque non recte confectorum vitio nata fuit. Si phthiſis inueterauit, homo, ſumma macie extenuatus, habet articulos rigidos, pedes tumidos, cutem puſtulis exaſperatam, accedit defluvium pilorum, et tandem ſudores vel deiectiones ſic dictae colliquatiuae ſuperueniunt. Interdum homines ſubito vel ſuffocantur, vel exhauſti exſtinguuntur, orta haemoptoë, ſi qua arteria vel vena in vlcere exeſa ruptaque fuit. Nonnumquam pulmo malo vlcere exeſus inflammatur, et inflammatio in gangraenam atque ſphacelum fertur, id quod pus foetidum, frigidum, cadaueroſum, ſignificat.

§. 423.

Huic morbo prae ceteris obnoxii ſunt homines imbecilli, plethorici, quibus corpus gracile eſt et procerum, collum oblongum, pectus preſſum atque anguſtum, quibus pueris ſanguis multum et ſaepe ex naribus fluxit, quibus

catarrhi acriores, acres deſtillationes in pulmonibus frequentes ſunt. Morbi huius eſt quaedam contagio, maxime inter coniuges ſub iisdem ſtragulis incaleſcentes, nec non propagatio in ſobolem, et interdum phthiſis certis familiis quaſi gentilitia eſt. Ex haemoptoë et variis cauſſis naſcitur, quas occaſione haemoptoës et vomicae adduximus. Occaſionem dare poteſt ſanguinis tranſitus per pulmones impeditior, ſi illi aduerſo vento currentibus nimis diſtenduntur (Germ. *das Verfangen*). Etiam occaſionem dare poteſt pectoris vulnus, praecipue ſi adhibita fuerunt medicamenta ſanguinem ſiſtentia. Nonnumquam mala materia ex aliis corporis ſedibus in pulmonem conuertitur, ſi lippitudines chronicae, vlcera, quibus vetuſtas acceſſit, reprimentibus curata fuerunt. Ob id etiam a malignis variolis et morbillis phthiſis relinquitur. Foeminis grauem hunc morbum, aliquando etiam lippitudines chronicas cum dentium caſu, affert fucus ex Cinnabari vel Mercurio ſublimato paratus. Periclitantur etiam foeminae, ſi fluor albus repente, praecipue externis, ſiſtitur.

§. 424.

Morbus raro curationem recipit, et non niſi inter initia. Difficile enim eſt mederi exulcerationi, quae eſt in viſcere membranoſo, quod perpetuo motu concutitur, et in quo, praeter aëra, copioſiſſimus ſanguinis omnisque generis humidum confluit. Ab initio tamen, ſi nulla febris eſt, ſi ſputum album eſt, leue et vniusmodi, et ſi cauſſam auertere poſſumus, veluti menſtruorum et haemorrhoidum vitia, ſi licet aëra victumque mutare, quandoque ſpes eſſe ſolet. Ex phthiſi, quae orta fuit ex labe pulmonibus vi illata, veluti ex vulnere, ex haemoptoë per cantum aliasque ſimiles violentas occaſiones excitata, homines interdum ad ſanitatem perducuntur, ad minimum facilius, quam ſi illa ab acrimonia, aliisque occaſionibus intus haerentibus, nata fuit. Foeminae, quibus ex catameniorum obſtructione ſanguis ſurſum erumpit, ſi haec haemoptoë periodica eſt,

et

et cum catameniis conſpirat, minus periclitantur quam viri. De tuſſi notandum in genere, illam neceſſariam eſſe ad vlcus purgandum et quo mala materia ea extundatur. Aſt vero tuſſi etiam pulmo contunditur, humores ad vlcus inuitantur, hocque exaſperatur. Celerius moriuntur phthiſici, ſi tuſſis valde humida eſt, et multam pituitam purulentaque trahit. Peſſima eſt, quam haemoptoë relinquit. Etiam de haemoptoë illud in genere addendum, ſi ſanguiis confertim et maiori in copia in pulmones fertur, illam non ita mortiferam eſſe, quam ſi is ſenſim, ſed ſine intermiſſione, erumpit. Prius enim per anaſtomoſin fieri probabile eſt, alterum per διάβρωσιν. Si etiam vera phthiſis hominem tenet, ſi haec nondum inueterauit, ſi nulla adhuc febris acceſſit, et ventriculus appetit ac digerit ita, vt cibus in eo nec coaceſcat, nec corrumpatur, ita vt lac ferre poſſit, is ad ſanitatem perduci poteſt. Plurimum terrere poteſt febris, ſi illa accedit, quamuis haec quandoque per aliquod tempus quieſcat. Ad vltima ventum eſſe teſtatur, febris aſſidua, et vrina, ex qua craſſa ſubſidunt, pus cum ſanguine concretum et male olens. Protinus moritur aeger, qui in hoc morbo pus exſpuit, multum iam vero ex toto ſpuere deſiit. Ver et autumnus ſaepe tabidos opprimunt.

§. 425.

Optimum praeſidium ab initio huius morbi petendum eſt a victus ratione. Cibus valentior, ſalſus, acris, aromaticus, nec non qui ex iurulentis, piſcibus, ouis, facile corrumpitur, potus fermenteſcens, valentior, alienus eſt. Aëris viciſſitudines, maxime etiam animi perturbationes et Venus plurimum nocent. Aluus interdum ducenda, non tamen aliis remediis, quam leniſſimis, lotionibus mollientibus, Tamarindis, Paſſulis, Manna. Vbi tuſſis copioſam pituitam cum purulentis trahit, dari interdum poteſt Rhabarbarum in puluere, cui aliquot grana nitri adiici poſſunt. Si febris nondum tenet, aegro, tanto magis, ſi eius rei conſuetudo facta fuit, ſanguinis parum mitti poteſt ex talo, id-

que

que interdum repeti. Parum praesidii a medicamentis peti potest, plurimum a victu ex solo lacte, si id ferre potest ventriculus, id vero potari debet ruri, in aëre sereno, aperto, puro et montano, quod lac etiam misceri potest vel cum aqua Selterana, vel cum decocto hordei. Si lac in ventriculo cogitur, anxietatem parit. Tunc id vel omitti debet, vel eius non nisi parum bibendum. Coagulum vero resoluit Sapo Venetus, si eius aliquot grana cum lacte deglutiuntur. Si aluus siccior est, illum lubricant ex saccharo parata, Iulapium rosatum, vel Syrupus quidam, veluti de Rosis pallidis, de floribus Persicorum. Interdum dari possunt iuscula carnium iuniorum, maxime pullorum cum cancris fluuiatilibus, qui viui et recens contundendi sunt, nec non cum Cochleis, Ostreis et Testudinibus, quae Iurulenta interdum proficiunt, si lac in ventriculo coacescit, id quod accidit, vbi hypochondriacus morbus cum pulmonum labe est. Illa autem aliena sunt, vbi iam febre conflictatur homo. Nec aduersus febrem inueniri possunt auxilia. Sunt, qui cum MORTONO, Britannico scriptore, corticem Peruuianum extollant, et huius per diem vnam alteramque drachmam deuorandam suadeant, id quod vero non semper bene cedit. Ceteris remediis tolerabiliora sunt Conchae vel lapides Cancrorum cum succo Citri praeparati, Liquor terrae foliatae Tartari et Syrupi acidiusculi. Quam primum autem diarrhoea oritur, a Syrupis et liquoris vsu desistendum. Commode etiam iuscula coquuntur ex pullo cum hordeo excorticato, additis passulis succoque Citri. Conducit etiam decoctum auenae excorticatae cum passulis. Gelatinae, si aestus valde magnus est, interdum conueniunt, si succo acido abundant. Omnis vero gelatina in corpore, in quo febris est, in viscidum et rancidum mutatur. Prae ceteris necessarius est potus aquosus, decoctum Hordei, Scorzonerae, Furfuris, quod vltimum in acri destillatione laudem meretur. Vbi febris vrget, potio acidiuscula esse debet, et ptisanis adiiciantur liquores acidi minerales. Cibus esse debet ex regno vegetabili, et qualis est hecticorum. Symptomata con-

conſiderari debent. Si tuſſis nihil trahit, ſed ſicca ſit, et cum hac ſpirandi difficultas increbreſcit, vtendum eſt becchicis, Syrupo Capillorum Veneris cum Diacodio Montani, emulſionibus et aliis. Si acris humor deſtillat in pectus, conueniunt lubricantia, et interdum Diaſcordium Fracaſtorii ad ſcrup. j. vel drachm. dimidiam pro doſi. Si vero aeger iam valde infirmus eſt, cauendum, ne ex nimio huius vſu obrepat, et aegrum tollat. Aduerſus diarrhoeam, vt vulgo vocant, colliquatiuam, nulla auxilia ſunt. Si vires id permittunt, enema parari et in aluum immitti poteſt ex decocto auenae excorticatae, cui admiſceri poteſt Terebinthina vitello oui ſubacta, cum Diaſcordio vel Theriaca Andromachi. Nihil magis nocet mortemque certius maturat, quam medicamentorum varietas.

PLEVRITIS SPVRIA.

§. 426.

Differt ab inflammatoria, et eſt morbus ſpaſticus. Rheuma eſt, quod occupat partes exteriores pectoris, muſculos inprimis intercoſtales. Dolor tamen non in vna ſede eſt, ſaepe locum mutat. Is differt ab inflammatione, et nec ardens, nec pulſans eſt, ſed quaſi pungens. Reſpiratio non ita impedita eſt, nec tantum ſuffocationis periculum, ac in pleuritide vera. Morbus finitur quandoque pedetentim, ſaepe mutatione facta in vrina, aliquando ſudore. Interdum febricula accedit parum vehemens, illi fere ſimilis, quae cum arthritide eſſe ſolet. Durat febricula per paucos plerumque dies; nonnumquam mutatur in alios morbos ſpaſticos, arthritidem, malum iſchiadicum, podagram, nephritidem. Accidere tamen poteſt, vt, neglecto regimine, et ex calidorum nec non externorum abuſu, vera pleuritis ſequatur. Spuria ſine periculo eſt. Interdum epidemica eſt, ex tempeſtatum viciſſitudinibus orta. Ceteroquin

naſcitur

naſcitur plerumque ex cohibita inſenſibili exſpiratione et ſudore, et ex humidorum acrimonia. Auerti poteſt congruo victu, datis interdum catharcticis, aquarum mineralium vſu, ac ſi ſudor atque exſpiratio numquam negliguntur. Sub morbi exacerbatione dari poſſunt pulueres antiſpasmodici cum puluere bezoardico, vel Antimonio diaphoretico, Liquor anodynus Hoffmanni cum ſpiritu bezoardico Buſſii, et alia medicamenta diſcutientia. Vbi vrina mutari coepit, proſunt infuſa ex herbis et radicibus diaphoreticis. Nonnulli extrinſecus loco dolenti cucurbitulas admoueri iubent, conciſa prius cute, quae res quandoque leuamen affert, non ſemper. Emplaſtrum ſaponatum Barbette dolorem tollit, ſed non ſine periculo.

PALPITATIO CORDIS.

§. 427.

Eſt motus cordis alienus et quaſi conuulſiuus, quo mucro inprimis agitatur. Hic motus non ſolum ab aegro ſentitur, ſed auribus etiam percipitur. Sub eo tamen pulſus arteriarum parum mutatur, qui paullo celerior, non vero durior fieri ſolet, immo quandoque languentibus arteriis et pulſu fere intermittente hic motus continuatur. Cor palpitare ſolet in recte valentibus ex quacumque cauſſa, qua ſanguis mouetur, veluti ex animi perturbatione, corporis exercitatione, balneo calido. Etiam ſi ventriculus vel flatu diſtentus eſt. Ceteroquin cor palpitat vitio ſolidarum partium, ſi quaedam ſunt, quae ſanguinis motum in cor et ex corde impediriorem reddunt. Praeterea etiam hoc accidit ex plethora, ex neruorum mobilitate et debilitate, alii ſenſibilitatem vocant, quare in hypochondriacis et hyſtericis hoc frequentiſſimum eſt. Id etiam fieri ſolet ex defectu virium poſt graues euacuationes, maxime poſt haemorrhagiam.

giam. Si polypus in corde et venis ex eo ductis haeret, et si sanguis crassior est, vel si humida in toto corpore acrimoniam habent, frequens oritur palpitatio. Igitur cor palpitat ab exanthematibus, podagra, scabie, vlceribus repressis et male curatis. Idem accidit ex obstructione viscerum, vomica, empyemate, aneurismate interno, hydrope pectoris, scirrho, calculo, vermibus, mensium et haemorrhoidum obstructione. Distingui igitur solet in morbum idiopathicum et sympathicum. Ex frequentioribus caussis est repletio, vel si pituita vel aliud quid ventriculum onerat.

§. 428.

Curatio caussis accommodari debet. Polypum in corde esse intelligimus, si cum palpitatione pulsus nullo non tempore inaequalis est, intermittens, debilis, cum dyspnoea, si homo saepe animo linquitur, vel imbecillitatem sentit. Euitanda tunc sunt omnia, quae sanguinem mouere et suffocationis periculum adferre possunt. Curiosior adhibendus est victus; vitanda est omnis repletio, omnisque etiam exercitatio. Potioni praestanda est aqua, et nisi aliud hoc impediat, crebrius sanguis mittendus est. Si palpitatio ex ira orta fuit, dari debent temperantia, nitrum cum absorbentibus. Vlcera reuocari debent, vel excitari fonticuli, et semper caussae remoueri.

CATARRHVS SVFFOCATIVVS.

§. 429.

Est subitanea repletio pulmonum, in quos resolutos magna copia seri confluit, cum summa difficultate spirandi, anxietate et suffocationis metu. Morbus est peracutus, sine vlla febre. Is prae ceteris frequens est infantibus et senibus, raro mediae aetatis homines corripit. Si ille incursat, vix illud sentit aeger; frequens tamen sputatio

tio ſeri acris, ſalſi, deſtillatio in fauces cum anxietate, illum inſtare ſignificant. Aegri plerumque ſubito et quaſi ex improuiſo eo opprimuntur. Summa eſt ſpirandi difficultas, magna puſillanimitas, tuſſis pauca vel nulla, et qua nihil extunditur. Vox ab initio celerior, mox debilis, depreſſa, quae vix intelligi poteſt, cum rhoncho. Pulſus tardus eſt ac rarus et debilis. Aeger, quamuis omni vitali virtute defectus ſit, ſe tamen eodem loco continere nequit. Facies tumet rubetque.

§. 430.

Diſtingui debet ab Apoplexia. In catarrho mens ſibi conſtat, et homo nec internis, nec exterioribus ſenſibus orbatur. Apoplexiam praecedit vertigo, amittitur omnis ſentiendi facultas, pulſus fortis eſt et magnus, reſpiratio magna, homo ſtertit, et proſtratus alto ſopore oppreſſus decumbit. In ſyncope deficiunt etiam ſenſus, pulſus et reſpiratio, accedit ſumma debilitas, et extremorum frigus. Aſthma conuulſiuum, in quo mens ſibi conſtat, habet pulſum celerem et febrilem, vocem acutam, ſtridulam, reſpirationem impeditam, ſonoram, ſtridulam, a ſpaſtica contractione pectoris. Aſthma remiſſiones habet, nullas catarrhus ſuffocatiuus, qui vel ſoluitur, vel morte finitur. Proxime cum catarrho ſuffocatiuo conuenit paſſio hyſterica, in qua tamen non tam pectus, quam fauces laborant.

§. 431.

Sedes huius morbi varia eſſe videtur, quandoque in cerebro, quo laeſo, reſolutisque neruis, pulmones paralytici fiunt; aliquando in pulmonibus, aliquando in ventriculo. Cerebrum ſe male habere, ſignificat illa ſumma infirmitas totius corporis, praecipue pectoris, quum aeger humorem, quo pulmo opprimitur, nec exſcreare, nec extuſſire queat. Humor vero, cuius tanta vis in pulmones confluit, oſtendit, ductus excretorios in variis membranis, in pituitaria narium et faucium, atque in ea, qua intus aſpera arteria cingitur, relaxatos eſſe et reſolutos, et quoniam

pulmo-

pulmones moueri nequeunt, ſanguinem eos permanare non poſſe. In inciſis poſt mortem corporibus, pulmones tum ſanguine, tum muco et ſero pleni inueniuntur. Et probabile eſt, in ſenibus, defecta per aetatem naturali virtute, hoc vitium a ſola redundantia muci, a pulmonum infirmitate oriri. Ventriculum, ſi quae ſunt, quae eum onerant, etiam hunc morbum concitare, vel infantes docent, quibus a lactis coagulo id ſaepe accidere ſolet.

§. 432.

Ex variis autem occaſionibus oritur. In infantibus ex dentitione, qua nerui grauiter afficiuntur, nec non id, quod iam diximus, crebrius ex lacte in ventriculo coacto. In adultis ab aëre humido et frigido, ab inſenſibili exſpiratione cohibita, a repletione ventriculi, deuoratisque, quae inflant et difficilius concoquuntur, ab ebrietate praecipue ebrioſorum, ab abuſu potus Coffée; praeterea in corpore debili ab omnibus, quibus neruoſum genus laeditur infirmaturque, ab animi pathematibus, vigiliis, Venere, ſudore nocturno et matutino cohibito, a menſtruorum vitiis, a ſcabie, porrigine, cruſta lactea, male curatis, hic morbus contrahitur. Eo etiam opprimuntur, qui febribus exanthematicis laborant, ſi harum mala materia in pulmones conuertitur, id quod etiam in rheumatiſmo, arthritide, podagra frequentius fieri ſolet. Senes corripit, ſi vlcera crurum vel alia arte facta, ſeu fonticuli glutinantur. Qui aſthmate laborant, illis non vanus metus catarrhi ſuffocatiui eſſe poteſt. Morbus hominem quandoque momento temporis tollit. Si vero vltra diem durat, ſpes eſt aegrum ſeruatum iri, praecipue, ſi altero tertioue die accedit febricula, et ex vrina multa craſſa deſidunt. Pueri ſine noxa conualeſcunt. Senibus vero, ſi eluctentur, ſaepe manet imbecillitas, aſthma humidum, marcor atque maraſmus ſenilis. Si pueris hoc morbo correptis accedit neruorum diſtentio et epilepſia, mors in propinquo eſt.

§. 433.

Auxilia in hoc morbo cum feſtinatione capienda ſunt. Si homo adultus ſanguinis miſſioni adſuetus fuit, hanc vero neglexit, et etiam, ſi ſenex ſatis ſanguinis et virium habet, protinus is detrahi debet ex brachio ad vncias x. vel xij. et vltra. Sanguinem abundare cognoſcimus tum ex corporis habitu, tum ex faciei rubore; vbi autem pituita abundat, vel ventriculus ex adſumtis laborat, dari debet emeticum. Fere optimum eſt vinum emeticum ex vitro Antimonii ad vnciam vnam, Gilla Paracelſi ad drachmam ſemis aut ſcrupulos ij. vel ſolui poteſt Tartarus emeticus ad gr. iiij. et Syrupo Rubi idaei vel Oxymelli ſquillitico admiſceri. Laudem meretur Sulphur Antimonii vltimae praecipitationis, cuius gr. v. - vj. Tartaro vitriolato miſceri et exhiberi poſſunt. Si horum nihil ad manus fuerit, Petum coqui poteſt cum cereuiſia aut aqua. In aluum etiam protinus immitti debent clyſteres acriores cum colocynthide in petia ligata, nec non cum Tartaro emetico ad gr. vj. qui cum alio Sale, vel Tartaro vitriolato aut Nitro, miſcendus eſt. His enim mucus, qui inteſtina occupat, efficaciter excutitur. Si autem morbus ortus fuit ab exanthematibus repreſſis, imperandum eſt regimen, et adhibendae ſunt frictiones extremorum cum linteis calidis aſperioribus. Danda ſunt bezoardica in morbis acutis, Puluis bezoardicus Wedelii ad gr. xv. cum Nitri gr. iij-iv. Camphorae j-ij. gr. Si vero res a ſcabie orta fuit, conducunt pulueres ex Antimonio diaphoretico, additis floribus Sulphuris.

§. 434.

Quibus omnibus praemiſſis, ſi aeger ad ſe redit, dari debent diſcutientia et tonica: Mixtura ex ſpiritu Cornu Cerui cum Tinctura Antimonii tartariſata, cum ſpiritu Salis ammoniaci, Sal volatile oleoſum Sylvii, Liquor Cornu Cerui ſuccinatus. Etiam conducunt decocta radicis Pimpinellae, Vincetoxici, Caryophyllatae, Petaſitidis, Coſti dulcis: herbae Triſolii fibrini, Cardui benedicti; Ligni Saſſa-

Saſſafras, ſeminum Foeniculi, Aniſi, baccarum Iuniperi et Lauri. Debilitati medentur, praecipue in ſenibus, vinum generoſum cum pauco Sacchari et Cinnamomi et alia analeptica: Balſamum vitae Hoffmanni.

§. 435.

Senibus et qui viribus defecti ſunt, catarrhus ſuffocatiuus vel cito funeſtus eſt, vel non ita vehemens. Aliena his ſunt emetica. Perſiſtendum eſt in clyſteribus, cum quibus dari poſſunt aluum ducentia: Pilulae ex Extracto panchymagogo Crollii, additis Pilulis Becheri. Praecipue conducit Gummi ammoniacum, quod aceto ſolui, iterum inſpiſſari et aegro dari poteſt ad gr. X-XV. Vid. quae de Aſthmate dicta ſunt. Tandem proficiunt mox laudata tonica et diſcutientia. Si ſuperato catarrho febricula manet, ea plerumque in maraſmum degenerat.

§. 436.

Magna cura habenda eſt conualeſcentium, quos oportet vitare aëris ſubitas mutationes eiusque nimium calorem, nimiumque frigus. Valde neceſſaria eſt corporis exercitatio, quantum id vires permittunt. Nocere poteſt et mortem etiam adferre impetuoſior corporis motus poſt partum. Nocet repletio, alui obſtructio, omnis cibus valentior et acris, et maxime ebrietas.

§. 437.

Infantibus, praecipue lactantibus, lac ſaepe vnica huius morbi cauſſa eſt. His dari poteſt lene emeticum, ſi Ipecacuanhae radix ad pauciora grana cum aqua decoquitur. Etiam emeticum infantibus idoneum eſt, Antimonium diaphoreticum non ita depuratum, ſed quod cum duabus partibus Nitri fuſum fuit, huius gr. v - viij - ſcrup. dimid. lenem emeſin mouent. Adultioribus conducit Tartarus vitriolatus, cuius ſcrupulus ſemis ad vnum aqua ſolui poteſt. Cum his lotiones in aluum immiſſae neceſſariae ſunt. Vbi

malum non ita praeceps eſt, ſatis eſſe poteſt Rhabarbarum in puluere. Pituitam ſoluit Oxymel ſquilliticum, cuius drachma j. ad ij. vel vnciam dimidiam aqua miſceri et infantibus dari poteſt. Vbi dentitio vrget, proficiunt temperantia et leniora anodyna. Sed tamen in hoc etiam caſu plurimum proficit Rhabarbarum, ſi cum Nitro et abſorbentibus datur. Ante omnia videndum, vt infantibus detur victus idoneus, vt lac bonum ſit, quod congruo lactantis victu et regimine obtinetur, vt etiam pulticulae recte coquantur.

POLYPVS CORDIS.

§. 438.

Eſt coagulum, quod praeter naturam in corde et maioribus vaſis, quae cordi adnexa ſunt, omnium frequentiſſime in ventriculo dextro vel vena caua naſcitur. Nomen habet a multis radicibus vel pediculis, quibus ille ſedibus inhaereſcit, ita tamen, vt ſine negotio educi et euelli poſſit. Eſt tamen diſcrimen. Aliquando enim coactum quaſi ſanguinem repraeſentat; aliquando ſeuum et ſolidam medullam; aliquando ex membranis quaſi concretus videtur. Polypus interdum ex corde per vaſa maiora, praecipue venam cauam, altius adſurgit, vt talis quandoque in durae matris ſinubus reperiatur. Sunt, qui polypum in viuentibus eſſe negant, exiſtimantes, ſanguinem in morientibus concreſcere et poſt mortem reperiri. Sed magni denſatique polypi, quibus cor etiam diſtenditur, vix dubitare ſinunt, eos ſuperſtite vita fuiſſe formatos conglobatosque. Naſci etiam poteſt ex diatheſi inflammatoria, ſi ſub aeſtu febrili, vel calente poſt exacerbationem corpore, frigida potatur. Inter alias cauſſas etiam eſt ſpiritus ardentis abuſus. Polypo vix non ſemper laborant aſthmatici, cachectici, hydropici, prae

prae ceteris, quibus aqua in pectus contracta est. Et in his morbis polypus quandoque causſa est, quandoque malae causſae effectus. Quibus menstrua et haemorrhoides non proueniunt, iis etiam interdum polypi gignuntur.

§. 439.

Diagnosis ab initio admodum difficilis est. Polypum in corde esse significat pulsus valde inaequalis, saepe intermittens, qui semper talis est, accedente dyspnoea, quae, dum homo corpus mouet, vel per accliuia adscendit, multum increbrescit, cum cordis palpitatione et superueniente animi ex leui causſa deliquio. Explorari in homine possunt arteriae in temporibus et vtriusque manus carpo, atque videndum, num pulsus synchronus sit. Qui polypo laborant, his metus est, ne subito, praecluſis maioribus arteriis venisque, suffocentur. Ex eo saepe fiunt aneurismata in aorta; vid. LANCISIVS *Tr. de Corde.* Sub finem homines, qui non subito iugulantur, ex asthmate vel hydrope pereunt. Malum si adoleuit, nullamque curationem recipit, auerti debent causſae. Qui eo laborant, iis obseruanda sunt, quae supra de palpitatione cordis dicta fuerunt.

MORBI ABDOMINIS.

ATONIA VENTRICVLI.

§. 440.

In omnibus curationibus conſiderandus eſt ventriculus, a cuius actione omnes reliquae actiones naturales dependent. Saepiſſime tamen actio ventriculi laeditur per conſenſum, et ſi non tam is ipſe, quam aliae partes laborant. Praecipue ventriculus turbatur ac offenditur ex male adfectis in omni corpore partibus neruoſis. Docet id nauſea et vomitus nephriticorum, vertigine correptorum eorumque, qui capite vulnerati ſunt. Ex linea alba, enſe percuſſa et leuiter vulnerata, vomitum vehementem fuiſſe ſequutum, memini. Conqueruntur igitur ſaepe aegri de atonia ventriculi, ſi febris imminet, vel iam incurſat, ſi catamenia et haemorrhoides non fluunt, vel ſi illae inſtant, ſi podagra aliique morbi futuri ſunt. In phthiſicis et hecticis, nec non quibus in aliis ſedibus magnae ſuppurationes fiunt, ita, vt omnia humida et ſaliua etiam atque liquor gaſtricus corrupta ſint, ventriculus laborat. De grauidis res notiſſima eſt. Diſtinguenda vero eſt atonia a dyſpepſia et cruditatibus, de quibus ſeorſim dicendum. Vera atonia rara eſt. Deprehenditur quandoque in hominibus infirmis, corpus non exercentibus, Venere, litterarum ſtudio vires exhaurientibus, praecipue vero in iis, qui voraciores ventriculum nimis onerant, nec non in bibonibus, qui eum potione nimium diſtendunt laxantque. Plurimum confert aliarum rerum, etiam medicamentorum, abuſus, ſalium, abſorbentium et terreorum. Interdum ventriculo vim inferunt foeminae, quae deuorata creta aliisque rebus ſibi pallorem quaerunt. Apud nos inter frequentiores eſt calidae nimius potus.

§. 441.

§. 441.

Morbus cognoſcitur ex cauſſis praegreſſis, ſi aeger poſt paſtum conqueritur de moleſto ſenſu in praecordiis et de ventriculi inflatione. Vagus cum his eſſe ſolet calor et rubor facici, accedit anxietas et vertigo. Alimenta aliquot horis poſt paſtum reiiciuntur, plerumque tamen haec, ab actione ventriculi non mutata, ſuam naturam retinent, ita, vt ex vegetabilibus et fermenteſcentibus acor acerrimus, ex animalibus et pinguibus rancidum fere vrens naſcatur, quod vomitu reiicitur, immo ſaepe ſine vomitu exſcreatur. Cum vero cum atonia eſt plerumque coniuncta anorexia, interdum tamen, maxime exſuperante in ventriculo acido, homo vehementer appetit. Ventriculi atonia tandem degenerat in cachexiam, hydropem, in ſenibus in maraſmum. Nonnumquam per morbum articularem, ſi eo corripitur homo, omnia in melius mutantur.

§. 442.

Mature medendum eſt morbo, antequam corpus ali deſinit, atque orta tabe conſumitur. Quibus auxiliis tolli debeat cruditas varii generis, mox occaſione dyſpepſiae videbimus. Si pituita vel alia mala materia in ventriculum contracta eſt, is ante omnia purgari debet. Firmando ventriculo inſeruiunt amara: Abſynthium, Centaurium minus, radix Gentianae; Cortex Caſcarillae; Cortex Winteranus; quae amara vel in puluere et Tragea, vel in Extractis, vel in Eſſentia dari poſſunt. Proſunt etiam alibi laudata Elixiria ex Extractis amaris, Tinctura Tartari et vino Hungarico. Puluis Birkmanni quotidie aliquoties ad drachmam j. deglutiri poteſt. Si acidum exſuperat in ventriculo, pulveri illi adiici poſſunt lapides Cancrorum praeparati. Proficiunt etiam Martialia, veluti Limatura Martis, Tinctura Martis tartariſata, Tinctura Vitrioli Martis Ludouici, Tinctura Martis cum vino Maluatico vel ſucco pomorum Borsdorfianorum. Praeſtantiſſimum auxilium ex medicamentis eſt Cortex Peruuianus, qui vel cum Limatura Martis in in-

fuſo, vel cum Conſerua viſcerali, addito Syrupo quodam amaro, commode dari poteſt. Eius vero vſus, interpoſitis etiam aliquando aliquot diebus diu continuandus eſt. Omnia tamen parum proficiunt, niſi ſimul adhibeantur duo illa maxima praeſidia, abſtinentia et corporis exercitatio. Cibus ſit paucus, non tamen ex nimis imbecilla materia. Conuenit panis cum ſeminibus Foeniculi, Carui, Aniſi piſtus et bene fermentatus. Carnes aſſae elixis meliores ſunt. Potum nimium et fermenteſcentem vitari oportet. Vinum detur paucum, ſed meracum, praecipue vinum illud rubrum, Gallis *Pontac* vel *Eremitage* dictum. Prae aliis potionibus eſt ſaluberrima aqua fontana ſaliens, cuius aeger etiam cyathum horis matutinis, ieiuno ventriculo, bibat. Fere melior eſt aqua Selterana. Vtile etiam eſſe poteſt decoctum radicis Chinae cum Caſſia lignea.

§. 443.

Non prorſus negligenda ſunt externa, ſcuta et balſama ſtomachalia. Pauperes vtuntur fermento panis, quod cum aceto acerrimo ſubigunt, atque extrinſecus ventriculo imponunt. Fieri poſſunt emplaſtra, ex emplaſtro Oxycroceo, de Tacamahaca, de Cruſta panis, quibus adiiciuntur Balſamum Peruuianum, Olea deſtillata Macis, Caryophyllorum, Maioranae, Abſynthii, Menthae, Meliſſae, Carui, Foeniculi, Aniſi. Ex his etiam Balſama componuntur.

DYSPEPSIA.

§. 444.

Et actio ventriculi laeſa, ſi adſumta non recte concoquuntur. Cauſſa eſt plerumque copia aſſumtorum et ingluuies, quod fibrae nimium diſtentae tandem relaxantur infirmanturque, et quod liquor gaſtricus iners redditur.

Saepe

Saepe in ventriculo relaxato cruda haerent, quae coctionem multum impediunt. Id vero etiam ex aliis cauſſis accidit. Si vero ventriculus ſpaſmis afficitur, liquoris gaſtrici ſecretio multum impeditur, isque ipſe etiam mutatus corruptusque ad ventriculum fertur, id quod in hypochondriaco et hyſterico malo, nephritide et ſimilibus morbis ſpaſticis accidit, et ſi in corpore febris eſt, vel aliqua parte malum vlcus, quo omnes humores corrumpuntur. Etiam hoc in vera atonia fieri intelligitur. Minor huius vitii gradus dicitur Bradypepſia, et, ſi ventriculus omni concoquendi facultate deſtitutus eſt, Apepſia. Morbus, qui plerumque cum oculorum caligine, vertigine aliisque imbecillitatis ſignis eſſe ſolet, tandem in cacochymiam, cachexiam, hydropem mutatur.

§. 445.

Etiam hic cauſſae conſiderandae et, ſi fieri poteſt, tollendae ſunt. In cruditatibus diſtingui oportet eam, quae a bile eſt, ab altera, quae a pituita, et tertia, quae ab acido eſſe ſolet. Bilem in ventriculo haerere, oſtendit aegri temperies, ira, maxime ſi haec cibum ſtatim ſubſequitur, ſitis, ſapor amarus, ſiccitas, et in iciuno ventriculo dolor quidam, qui ſub praecordiis et ſcrobiculo cordis percipitur. In hoc caſu non ſemper tutum eſt emeticum, multo minus tale, quod ex valentioribus eſſe ſolet. Si tamen aeger nauſea et vomendi conatu vexatur, vomitus cieri poteſt, data copioſiori calida cum butyro non ſalito, vel, quod fere melius eſt, cum oxymelle ſimplici. Irritari etiam poſſunt fauces. In aliis vero praemittendi ſunt Sales neutrius generis, Tartarus vitriolatus, Arcanum duplicatum, Tartarus tartariſatus. Terra foliata Tartari et eius Liquor ad guttulas 80-100. Vel deglutiri poſſunt puluеres ex Magneſia, Sale catharctico, Nitro. Praemiſſis digerentibus, neceſſaria ſunt, quae aluum ducunt, ex Tamarindis, Manna, Cremore Tartari, Rhabarbaro, vel ex puluere Rhabarbari cum Tartaro tartariſato, vel ex Magne-

ſia et Sale catharctico. Si, id quod aliquando fieri ſolet, tenacior, coactaque per calorem bilis ventriculo inhaereſcit, conducunt Spiritus acidi, Clyſſus Antimonii, Spiritus Sulphuris per campanam, quorum guttae XX. dari poſſunt. Neceſſe vero eſt, vt maior copia aquae pro vehiculo adhibeatur. Tandem, vt ventriculo robur addatur, adhibenda ſunt, quae alibi propoſui, et praecipue Extractum Centaurii minoris. Proficiunt aquae minerales. Etiam ſi harum vſus continuari nequit, confert per vnum alterumque diem illas cum Sale catharctico atque Magneſia potare.

§. 446.

Pituita naſcitur in ventriculo ex adſumtis glutinoſis, tum vegetabilibus, tum animalibus. Si ventriculus reſolutus, viſcera infirmiora, haec recte exterere et concoquere nequeunt. Qui hoc glutinoſo laborant, illis ventriculus et cum hoc etiam duodenum multum inflantur, quae res intolerabilem anxietatem praecordiorum, vertiginem aliaque adferre ſolet. Si pituita ſincera eſt, id quod ſaepe ex victu accidit, non cum acido vel rancido mixta, frequens eſt ructus ſine ſapore, nonnumquam pituitae vomitus, deiectio, immo, id quod tamen rarum eſt, eius per vrinam excretio. Morbus hic difficillimae curationis eſt. Spem facere poſſumus, ſi ventriculus infirmus, non vero prorſus reſolutus eſt, et ſi aeger congruo victu et exercitatione vti velit. Ab initio, in robuſtioribus, confert emeticum; debilioribus dari poſſunt Sales digeſtiui; in valde imbecillis Liquor terrae foliatae Tartari bene praeparatus, et cum his pulueres ex Rhabarbaro. Simul vero conducunt alia reſoluentia, Oxymel ſquilliticum, Sal volatile oleoſum et alia ſaponacea, ipſe Sapo Venetus, qui Pilulis Becheri et Gummi Ammoniaco admiſceri poteſt. Si corpus robuſtum eſt, efficaciora purgantia, Pilulae de Ammoniaco, adhiberi poſſunt. Si malum valde pertinax eſt, illud optime tollitur Thermis Carolinis, vel Thermis Aquisgranenſibus, et ſi illarum nulla opportunitas eſt, Acidulis Egranis vel Pyrmontenſibus.

Lauda-

Laudabilem etiam operam praeſtant infuſa per epicraſin purgantia, ex amaris et Rhabarbaro compoſita. Praemiſſis his non omitti debent roborantia, aromatica: radix Ari, Enulae, Calami aromatici, Gentianae rubrae, Galangae, Zingiberis, Zedoariae, Cortex Winteranus, Caſcarillae, Cinnamomi, Cardamomum, herba Centaurii minoris, Abſynthii et ſemina carminatiua. Fere meliores ſunt radices conditae, vel in puluerem redactae, in Tragea. De aliis roborantibus ſupra dictum eſt. Hoc tamen tenendum, niſi victus mutetur, corpusque recte exerceatur, nihil ab his ſperari poſſe. Victus ratio, ſine qua omnia fruſtra ſunt, ex ante et ſaepe dictis petenda eſt. Conducit panis cum ſemine Carui vel Foeniculi coctus, rarus, numquam recens et glutinoſus. Ex aromatum generibus Zingiber potiſſimum in iuſculis adhiberi debet. Etiam Cydonia huic morbo opportuna ſunt. Potioni praeſtari poteſt decoctum cruſtae panis fermentati, vel decoctum radicis Chinae cum pauco cortice Caſſiae ligneae.

§. 447.

Acidum in primis viis exſuperat, ſi cibus potioque fermenteſcens non recte in ventriculo ſubigitur, ita, vt in eo coaceſcat. Hoc fit in voracioribus, corpus non exercentibus, maxime hyſtericis et hypochondriacis. His ſapor acidus cum dentium ſtupore ſaepe moleſtus eſt. Ructus ſunt acidi, fames canina, ventriculus pinguium et lactis maxime impatiens. Deiectiones acidum ſpirant et ex adſumto lacte fiunt aeruginoſae. Vrina eſt alba, cruda. Frequentes ſunt dolores colici, iliaci, cum borborygmis &c. Malum, ſi vetuſtas acceſſit, quandoque aegrius, et, niſi victus mutetur, numquam tollitur.

§. 448.

In curatione acidum obtundi poteſt abſorbentibus vel Limatura martis. Cauendum tamen, ne dentur abſorbentia, ſi, id quod ſaepe incidere ſolet, cum acido viſcidum et glutinoſum

tinoſum in ventriculo eſt, id quod ventriculi inflatio, vomitus et deiectiones mucidae crebriores oſtendunt. Nimia abſorbentia ventriculum magis infirmant, quibus ſemper nitrum admiſceri debet. Optimum etiam remedium eſt Magneſia alba, rite per calcinationem praeparata, cui addi poteſt Sal catharcticus. Acidum etiam optime obtundunt Sales vegetabiles: Abſynthii, Cardui benedicti, nec non Oleum Tartari per deliquium. Omnes tamen hi Sales non ſine magno vehiculo dari debent. Haec vero plerumque, ſi malum iam inueterauit, ad breue tempus proficiunt. Si vero morbus eradicandus eſt, confugiendum erit ad Thermarum et Aquarum mineralium vſum. Reliqua curatio cum iis conuenit, quae mox de malo hypochondriaco proponentur.

ADPETITVS LAESVS SEV ANOREXIA.

§. 449.

Adpetitus eſt ſenſus, qui in ventriculo percipitur, ſi is vacuus eſt, dum in eum naturales humores, ſaliua et liquor gaſtricus, feruntur, quos inedia acriores fieri neceſſe eſt. Huius autem adpetitus laeſi variae cauſſae ſunt, a quarum notitia medendi viam trahere debemus. Accidere enim poteſt ex vitio ipſius ventriculi, ſi is reſolutus eſt et vera atonia laborat, ſi oſcula et glandulae, ex quibus liquor gaſtricus emittitur, vitio laborant, ſi pituita in ventriculum contracta eſt, quibus omnibus adpetitus laeditur. Etiam anorexia naſcitur vitio ſaliuae, ſi illa propter varias cauſſas deficit. Anorexia laborant omnes, quibus lymphatici humores corrupti ſunt, veluti ſi magna ſuppuratio, vlcus et carcinoma in corpore eſt, ſi hoc febris tenet, vel ſi illud

illud maiori ſanguinis profuſione exhauſtum eſt. Adpetitus etiam laeditur in grauidis, in quibus pars ſanguinis, per catamenia effundi ſoliti, humoribus admiſcetur. Cura et hic a cauſſis, et quae hactenus dicta ſunt, petenda eſt.

BVLIMVS ET FAMES CANINA.

§. 450.

Morbus anorexiae contrarius eſt, in quo homo inſeparabili deſiderio quaeuis alimenta adpetit, cum magna debilitate et ſuperueniente etiam lipothymia. Eſt tamen ex ſententia Auctorum differentia. Βδλιμος non perpetuo vexat aegrum, ſed placatur ventriculus adſumtis. In fame canina alimenta, quae deuorata ſunt, iterum vomitu reiiciuntur, quare homo, fractis viribus, ſumma macie tenuatur. In bulimo frequentior lipothymia eſt, quae non raro in ſyncopen tendit. Vtrumque vitium a variis cauſſis proficiſcitur. Bulimus ab inedia, nec non a magno frigore, a quo *ventres calidiores fieri* ſcripſit HIPPOCRATES. His liquor gaſtricus acrior et copioſior fit, aliquando a lumbricis aluum occupantibus, et proſtat in BONETI *Sepulchr. Lib. III. Sect. II. p.* 735. exemplum, vbi hoc vitium ortum fuit a deuoratis contra icterum pediculis. In quibusdam poſt mortem ventriculus ſine rugis, in aliis, id quod in VESALIO legitur, ductus cholodochus ventriculo vel pyloro inſertus fuit repertus. Fames canina plerumque ab acido, ſi illud non ſolum primas vias, ſed ſanguinem etiam omnesque humores corrupit, naſcitur. Etiam in his a cauſſis petenda eſt curatio. Haec acrimonia Thermis et Acidulis diu, iteratis etiam vicibus, eluenda eſt. Victum idoneum corporisque exercitationem et hic neceſſaria eſſe, nemo non deprehendit.

MALA-

* *

MALACIA ET PICA.

§. 451.

Malacia eſt adpetitus vagus molliculorum, otioſorum et morbis diuturnis, lenta maxime febricula, ex vlceribus reconditis, ſuppurationibus, vomicis laborantium. Tales quaedam magno cum deſiderio appetunt, quae mox iterum faſtidiunt et auerſantur. Pica, Graecis κίσσα, frequens eſt ſymptoma grauidarum, aliquando etiam puellarum, viduarum, nec non foeminarum chloroſi, menſium obſtructione et hyſterico morbo laborantium. In pica prorſus heterogenea appetunt, piſces carnesque crudas, cretam, calcem, carbones, candelarum funiculos, filum cannabinum, narium mucum inſpiſſatum, immo ſtercus humanum. Nonnumquam ſe illae aliis cibis praeter modum implent, quos olim auerſatae fuerant. Naſci videtur hoc vitium ab humoribus quodam in viſcere, praecipue in vtero, corruptis, quibus neruos affici, et humorem etiam, qui naturaliter ad ventriculum fertur, corrumpi, a vero propius eſt. A corruptis enim humoribus ſi nerui afficiuntur, laeditur tandem phantaſia, quare etiam ex aliis occaſionibus, vermibus, certis venenis, &c. id fieri ſolet. Grauidis menſtrua non proueniunt, a qua re primis menſibus magna mutatio in oeconomia animali fit, et ſanguis in vaſis vterinis coaceruatur. Aliae ex aliis cauſſis hoc profluuio defectae ſunt. Nonnullis ſanguis paucus, pallidus vel corruptus affertur. In non paucis genitales humores exſuperant atque corrumpuntur. Adpetitui grauidarum interdum indulgendum eſt. In his enim pica poſt quintum circiter menſem finitur, in paucis ad partum vsque continuatur. Vrgente malo dari poſſunt abſorbentia, ipſa creta et nitroſa, Magneſia et ſimilia, quibus ille ſenſus in ventriculo aliquantum obtunditur. Dato etiam Rheo cum Nitro et abſorbenti-

bentibus, aluus ducenda eſt crebrius. Reliqua curatio a cauſſarum notitia petenda eſt, et quum haec ſymptomata mulieribus frequentiora ſint, his non alia ſaepe curatio neceſſaria eſt, quam hyſtericis.

ARDOR VENTRICVLI SEV CARDIALGIA VEL SODA.

§. 452.

Eſt dolor moleſtus, quem aeger ſub cordis ſcrobiculo ſentit, dum καρδία, ſeu ſupremum ventriculi os, male afficitur. Eſſe ſolet cum anxietate, vomendi conatu et ſpaſmo oeſophagi, quo non raro totum pectus ita conſtringitur, vt aeger ſe pectoris morbo laborare perſuaſum habeat. Oritur a cruditatibus ventriculi, crebrius ab aceſcentibus, aliquando etiam a pinguibus, rancidis, putreſcentibus. Hunc morbum ex ventriculi imbecillitate, et ſi liquor gaſtricus debilior eſt, oriri, certum eſt, ſed tamen id etiam tenendum, quod ſupra retulimus, dolorem interdum ſympathicum eſſe, et cum aliis excretionibus, prae ceteris menſtruorum et haemorrhoidum, conſpirare, iisque prouenientibus ſolui. Ex vomitu atque diarrhoea leuamen ſentiunt aegri, quod vero breue plerumque eſſe ſolet. Quos crebrius atque diutius cardialgia infeſtat, iis non vanus metus eſt mali hypochondriaci, cacochymiae et cachexiae.

§. 453.

Maximum praeſidium a victus ratione petendum eſt. Imperanda eſt corporis exercitatio, et haec quidem quotidiana per plures menſes continuanda. Vitanda ſunt omnia

acida

acida, fermenteſcentia, dulcia, ex ſaccharo et melle, auſtera, pinguia, butyrum, oleum, caſeus, tum recens et aceſcens, tum vetus et rancidus, vina oligophora, vel acida et mangoniſata. Vinum etiam, quamuis bonum, ſi paullo maiori copia in talem ventriculum ingeritur, coaceſcit. Quum etiam his morbis frequentius obnoxia ſit corporis partiumque ſolidarum imbecillitas, videndum eſt, ne homo nimio litterarum ſtudio, negotioſa actione, vigiliis, aliisque eneruetur.

§. 454.

Si dolor cum ructu acido eſt, et alia oſtendunt, acidum infeſtare ſtomachum, leuamen temporarium afferre poſſunt pulueres ex lapidibus Cancrorum praeparatis, Conchis praeparatis, Magneſia, addito Nitro. Celeriorem opem adfert Creta, ex qua Morſuli fiunt. De abſorbentibus vero notandum, ex crebriori illorum vſu tandem indies magis debilitari ventriculum. Hoc tanto magis metuendum eſt a Creta, quae, vt videtur, villoſae ventriculi tunicae eiusque plicis nimium inhaereſcit. Etiam cum acido plerumque pituita in ventriculum contracta eſt, quae ſi ei terrea admiſcentur, induratur, et longe difficilius excutitur. Vbi bilis exſuperat, vel vbi rancida in ventriculo eſſe ſapor oſtendit, cardialgiam repente tollit frigida, addito ſucco Citri vel aceto. Si vero ipſi morbo mederi volumus, ſubtrahenda eſt mala materia et enitendum, vt adſumta melius digerantur. Maximum praeſidium petendum eſt ab aquis mineralibus, praecipue a Thermis Aquisgranenſibus. Plurimum etiam proficiunt infuſa per epicraſin laxantia, quae ex amarioribus componi oportet. Pilulae Becheri, Rheum, Sal Thermarum Carolinarum, Sal catharcticus, adhiberi poſſunt. Sed cauendum, ne ducendo ſaepius alvum, infirmitatem adaugeamus. Parum enim haec omnia proficiunt, et vera ſanitas haud redditur, niſi victus curioſior atque exercitatio adhibeantur, quae, quum iam ſupra comprehenſa ſint, hic repetere ſuperuacaneum foret.

Tam-

Tamquam ſpecificum laudant alii ſpiritum Vitrioli ad gtt. IV.-V. Dempta mala materia, confirmari ventriculum oportet, id quod, quibus auxiliis fiat, ſaepe diximus. Multum extolli debet cortex Peruuianus, vel in puluere, vel in infuſo cum Limatura martis.

MALVM HYSTERICVM.

§. 455.

Foeminis hic morbus frequens eſt, cum quo in viris malum hypochondriacum in multis, non vero in omnibus conuenit. Dantur tamen nonnumquam viri, qui vix non hyſtericis ſimillima ſymptomata patiuntur. Hypochondriaci veri et hyſterici morbi ſedes differt. Prior eſt in viſceribus chylificationi inſeruientibus, genuini vero morbi hyſterici ſedes eſt in vtero et partibus ad hunc pertinentibus. Deſcribi poteſt ſpasmus hyſtericus, quod ſit motus ſpaſticus conuulſiuus, ex impedita excretione variorum humorum, liquoris genitalis, menſtruorum lochiorumque. Quum vero etiam in foeminis frequentiores cauſſae et occaſiones ſint, quibus chylificatio turbatur, viſceraque infirmantur, illae etiam ex hypochondriis laborant. Saepe vero duo hi grauiſſimi morbi praeſente vtriusque cauſſa iunguntur.

§. 456.

Foemina, cui morbus hic inſtat, pallida fit, ea ſentit languorem, inſolitam crurum imbecillitatem, cum ſenſuum externorum internorumque hebetudine, anxietate, inquietudine, ſollicitudine, moerore. Vrinam mingit copioſam, aquae liquidae ſimillimam, quod vrinae profluuium fere pathognomonicum huius morbi ſymptoma eſt. Reſpiratio fit anheloſa, pulſus paruus et debilis, et perturbatur omnis vitalis, animalis et naturalis actio. Si vero ingraueſcente

morbo verus inſultus ſequitur, ſentit foemina, cum magna cordis palpitatione, globum ex abdomine ad fauces adſcendentem, ſeu ſpaſmum muſculorum abdominis et oeſophagi. Conſtringuntur fauces cum ſumma anxietate et Cardialgia, praecluditur et ſpiritus et vocis vſus; arteriae parum et inaequaliter attolluntur, muſculi abdominis, contracto etiam vmbilico, conſtringuntur. In aliis abdomen flatibus intentum et durum eſt, nullus tamen ſpiritus infra transmittitur. Aluus adeo conſtricta eſt contractaque, vt nec commode fiſtulae, pro immittendis in eam lotionibus, inſeri queant. Foemina plerumque rigida et gelida ſine pulſu iacet, id quod maxime fieri conſueuit, vbi hyſtericus ſpasmus vera ſyncope finitur. Nonnullae aliis ſpaſmis, riſu etiam Sardonio, commouentur. Plerumque grauior talis acceſſio ſoluitur emiſſo ructu, quo tempore etiam in ventre ſonitus murmuraque audiuntur, et mox foemina leuamen ſentit. Hoc vero accidit, ſi aër, qui in ſtomacho, ſpasmo conſtricto, eiusque ſuprema parte haeret, ſoluto illo muſculorum pharyngis ſpasmo exploditur, vbi iterum reſtituitur ſanguinis circuitus, attolluntur arteriae, omniaque priſtinae tranquillitati redduntur. Interdum paroxysmus ſternutamento, vomitu, deiectione, raro ſudore ſoluitur. Vrina etiam mutatur in fuluam atque rufam, ex qua tandem craſſa deſidunt. Poſt deceſſionem languor, dolor rheumaticus lumborum, cephalaea et clauus hyſtericus interdum manent, et morbus leui data occaſione reuertitur.

§. 457.

Acceſſio talis hyſterici morbi differt a Syncope, in quam tamen ſaepe mutatur. Ante hyſterici morbi acceſſionem ſentit aegra mentis languorem, corporis laſſitudinem, cordis palpitationem, ſpirandi difficultatem, genua ei quaſi fatigata ſunt, ſpiritus magis et magis ad animae intercluſionem anguſtior fit. In Syncope nihil horum, ſed pulſus rarus eſt et intermittens, aliquando nullus, nulla reſpiratio, pallor, ſudor frigidus. In hyſterico morbo magis ſtrangu-

lantur

lantur fauces, et ideo longe maior eſt ſpirandi difficultas; arteriae etiam ſubeunt, non vero prorſus quieſcunt, in facie non pallor, ſed rubor eſt, nec vmquam facile ſudor frigidus. Si vero hyſterica acceſſio in Syncopen mutatur, foemina veluti mortua iacet, ita, vt num vita ſuperſtes ſit, dubitari poſſit. Nec omnis fides deneganda eſt iis, quae de foeminis circumferuntur, quae viuae vltimo officio mandatae fuerunt. Si experiri volumus, num viuant, naribus et ori admoueri poteſt ſpeculum, vel flamma, vel plumula; pectori etiam imponi vaſculum aqua plenum, in quibus vel minimum ſpiritus aut pectoris motum videmus. Si res adhuc dubia eſt, ferro candente adurantur plantae pedum et acriori ſenſu excitentur. In apoplexia pulſus magnus eſt et validus, cum magna et ſonora reſpiratione. In Epilepſia vera, praeter neruorum diſtentionem et ſpasmum oris, eſt ſenſuum internorum atque externorum perfecta abolitio, ita, vt aegri omnia, quae ipſis acciderunt, ignorent. Hyſterica plerumque audit et videt eos, qui circumſtant, plurimarumque rerum, poſtquam ad integritatem venit, reminiſcitur. Non raro tamen etiam hyſtericus morbus in epilepſiam degenerat, interdum in furorem vterinum, maniam, cachexiam, aliosque morbos.

§. 458.

In hunc morbum puellae vix vmquam ante puberem aetatem, nec facile agreſtes, et quae vitae ſuae curſum in quotidiano corporis labore conficiunt, delabuntur. Vergente etiam aetate, vt plurimum, non tamen ſemper, ſi catamenia et genitalis liquor deficiunt, leuatur et tollitur. Plurimum autem ei obnoxiae fiunt virgines, viduae, et omnes mediae aetatis foeminae, laute et opipare atque in otio viuentes, a parentibus imbecillis genitae, quae aliis et ſimilibus morbis oppreſſae fuerunt. Frequens eſt iis, in quibus ex leui occaſione concitatiores adfectus erumpunt, cum his etiam corpus non parum mutetur, nec non quae aliis morbis, chloroſi cacochymiae implicitae ſunt, quae

Venerem fruſtra appetunt. Plurimum etiam thoraces ſeu capitia illa pectoris rigida conferunt, quibus muſculorum abdominis et reſpirationis motus, et cum his omnium fere viſcerum naturalis functio turbatur. Catameniorum lochiorumque ſuppreſſio, fluor etiam albus, interdum hunc morbum faciunt, non raro vero eas valetudines hoc profluuium conſequitur. In demortuorum corporibus nonnumquam in ouariis, vteri ligamentis et aliis partibus, quae circa vterum ſunt, reperti fuerunt tumores, ſub quibus varia materia fuit. Vid. VESALIVS *de Humani corporis fabrica Lib. V.* DIEMERBROECK *Lib. I. Cap. XXIV. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. I. An. I. Obſeru.* 32. Ex retentione lochiorum foeminam hoc morbo implicari rarum non eſt, id quod quoque accidit, vel ſi ea magno ſanguinis profluuio fuit eneruata, vel ſi ſanguis coactus, ſecundae pars, mola in vtero relicta retentaque fuit, vel ſub partu, ſi aër gelidus in vteri interiora penetrauit et ora venarum ſanguinem fundentium praecluſit. Plurimum etiam ad hunc morbum gignendum vel exaſperandum, atque ad nouas acceſſiones concitandas, faciunt animi perturbationes, amor, ξηλοτυπία, moeror, cupido, terror, gaudium, Venus vel nimia, vel denegata, eiusque immoderatum deſiderium, et omnes odorum ſuauitates, quibus eiusmodi foeminae, vehementer et maligno quaſi ſidere perculſae, non raro proſternuntur. Dulcia, ſi iis veſcuntur, fere idem faciunt, quod ſuaueolentia.

§. 459.

Iam vero ex his omnibus haud difficile erit, veram, proximam, continentemque huius morbi cauſſam reperire, de qua plures diſſentiunt. Duo eſſe videntur, quae hunc morbum faciunt, imbecillitas mobilitasque generis neruoſi, et humor circa vterum, maxime in ouaria ac ſpermatica vaſa, contractus, atque in his vel nimium auctus, vel mora corruptus. Differt itaque a malo hypochondriaco, in quo viſcera chylopoea prae ceteris laborant, quod tamen

vitium

vitium etiam crebrius cum hyſterico morbo eſſe atque hunc multum exaſperare ſolet. Nec hyſtericus morbus a ſolis menſium vitiis eorumque ſuppreſſione naſcitur. Sunt enim plures hyſtericae, quibus menſes recte fluunt, immo non paucae hoc morbo crebrius plurimumque vexantur, quibus ſuo tempore magna vis ſanguinis in genitalia profunditur. Sanguis hyſtericarum ex vena miſſus non alius eſt, quam cuiuslibet corporis infirmi, videlicet ruſus, nimium tenuis, qui non concreſcit, immo ſaepe pituita mixtus et varius. Sanguis tenuis illud boni habet, vt non facile ſub illis anxietatibus impeditoque eius per cor et pulmones tranſitu, in polypum poſſit compingi. Si lochia repente fuerunt ſuppreſſa, res non ſine periculo eſt. Foemina, quae alias huic morbo obnoxia non eſt, ſi eo tentatur, interdum ſe concepiſſe ſcire poteſt. Sunt aliae hac valetudine oppreſſae, quae tempore, quo grauidae ſunt, leuantur, et geſtationis tempus conditione tolerabiliori tranſigunt. Si vero grauidis frequentiores vehementesque acceſſiones ſunt, abortus timor vanus non eſſe poteſt. Morbus, cuius cauſſa tolli nequit, et qui a ſuppreſſis lochiis relictus eſt, qui iam cum cacochymia, chloroſi, fluore albo, vteri partiumque genitalium tumore, ſcirrho atque exulceratione eſt, nullam curationem recipit.

§. 460.

Foemina, quae ex ſupra dictis notis ſentit acceſſionem ſibi inſtare, debet abſtinere ab omni cibo, protinus aluus lotione ducenda eſt, quae ex emollientibus, additis amaris, componitur. Sumat aegra Caſtoreum, vel, ſi deglutire poteſt, in puluere, vel, ſi fauces praecluſae ſunt, in Eſſentia cum Liquore anodyno. Immo morbi ipſiusque acceſſiones efficacia requirunt opiata. Nec contemnendi vſus eſt Elixir vterinum Crollii. Cum his externa conferunt, Vnguentum abdomini illiniendum, ex Vnguento de Althaea Fernelii, cum Galbano in vitello oui ſoluto. Erecto capite debet decumbere aegra, cui faſcia, qua praecordia con-

ſtringuntur, leuamen adfert. Vbi vero ingraueſcente acceſſione foemina exanimata quaſi iacet, adhiberi debent excitantia. Naribus admoueantur prae ceteris Mixtura ex Eſſentia Caſtorei et ſpiritu Salis ammoniaci cum calce viua. Cum hac alia foetidiora, Gummi Galbanum, Aſa foetida, Corium Pruſſicum, Plumae accenſae; de quibus tamen notandum eſt, nimium harum rerum vſum tandem vim inferre neruis cerebroque, et interdum aliquem ſtuporem relinquere. Vt ſpecificum commendatur Tinctura Fuliginis cum Spiritu Salis ammoniaci praeparata; in hauſtu vini vulgo ſolet propinari. Optimum auxilium eſt frigidae perfuſio. Conueniunt etiam fricationes crurum, titillatio in planta pedis, pilorum euulſio, praecipue e partibus verendis. Illud tamen ignorari haud oportet, non omnia omnibus opitulari, ſed ab auxilio, quod in nonnullis omnem ſpaſmum ſoluit, in aliis eum magis intendi et omnia exaſperari.

§. 461.

Vbi malum deferbuit, ante omnia expurgandae ſunt primae viae, id quod optime fit Sale Thermarum, Sale cathartico, Pilulis Stahlii. Si foemina ſanguine abundat, vena ſecanda eſt, ad hoc tamen auxilium non ita properandum, niſi id plethora poſtulat, ad minimum durante ipſo inſultu ſanguis non facile mittendus eſt. Corpus debile requirit ſanguinis detractionem, ne id huius mole opprimatur. Sed id ſemper tenendum eſt, ſanguinis crebriori miſſione infirmitatem augeri. Dari poſſunt Infuſa per epicraſin laxantia. Potari poſſunt Thermae, aquae minerales, cum quibus ſumendae ſunt illae Pilulae Becheri. Etiam continuus per aliquot hebdomadas vſus Pilularum ex Gummi Galbano, Aſa foetida, Myrrha, Extracto Caſtorei et Croco cum Maſſa Pilularum Becheri, multum proficit, quibus decocta reſoluentia ſuperbibantur. Foeminis cholericis opportunum eſt ſerum lactis, vel lac ipſum cum aquis mineralibus. Dulcia ferre non poſſunt hyſtericae, quare etiam

his

his quandoque Apozemata cum Tamarindis et Manna graviores turbas excitant. Nonnumquam omnem morbum tollit matrimoniale coniugium, ſaepe ardentioribus votis exoptatum. Si huius nulla datur opportunitas, imperanda eſt, ab omni victu pleniori, iurulento et acri, abſtinentia, et vitandae ſunt omnes occaſiones, quibus Venus incenditur. Qui his deſideriis venereis mederi audent per deuorata refrigerantia, maxime Saturnina, Nitrum et alia, illi miſeras non raro in alios grauioresque morbos coniiciunt. Reliquis omnibus ſaepe fruſtra adhibitis, proficiunt Thermae Carolinae, quas quandoque per aliquot annos iterari oportet. Victus ſemper ſit idoneus. Euitentur cruda, et inprimis dulcia. Potioni praeſtanda eſt aqua Selterana vel fontana. Vinum omne circumcidendum omneque potus valentioris genus. Illud ſciri oportet, in hoc morbo vix quidquam perpetuum eſſe, et eum atque eius ſymptomata ipſis foeminis, quod mutabile genus iure dicitur, eſſe mutabiliora.

MALVM HYPOCHONDRIACVM.

§. 462.

Hypochondriaci Veteribus vocati ſunt Lienoſi, ſeu, qui magnos lienes habent, de quibus ſcripſit *Carolus* DRELINCVRTIVS. In malo hypochondriaco eſt concurſus plurimorum et omnis generis ſymptomatum. Deſcribi poteſt, quod ſit morbus ſpaſticus, qui oritur a corrupto ſanguine alioque humore in viſcera abdominis chylificationi inſeruientia contracto, praecipue, ſi haec viſcera imbecilliora officio ſuo non defunguntur, et crudos atque chylificationi non inſeruientes ſuccos conficiunt. Differt itaque ſede a malo hyſterico. Quibus hic morbus inſtat, illi ſentiunt oppletionem et quaſi quoddam pondus in hypo-

chondriis. His inflatis ſpirandi oritur atque increbreſcit difficultas cum cardialgia. Adpetitus eſt interdum nullus, interdum fames quaſi canina vrget. In ventriculo adcumulantur cruditates, plerumque ex victu vegetabili, acidae, interdum ex animali rancidae, nidoroſae, putreſcentes. Alvus iunioribus adſtricta et ſicca eſt, aliis, vbi iam morbi vetuſtas et viſcerum imbecillitas acceſſit, liquida eſt et fuſa. Vrina, inſtante acceſſione, aquae ſimilis eſt, pallida, in deceſſione craſſa, ex qua alba vel alia deſidunt. Nonnumquam fulua eſt, tenuis et cruda, ſemper mutabilis. Accedit capitis dolor, pedum refrigerium, totius corporis languor, frequens cordis palpitatio, pulſus nonnumquam inaequalis et intermittens, aurium ſuſurrus, omnium ſenſuum internorum atque externorum hebetudo, oculorum mentisque quaedam caligo. Tandem homo de dolore conqueritur in hypochondrio ſiniſtro, eo loco, vbi intus lien eſt. Dolor ſaepe in cardia ſentitur, quamuis morbi ſedes ſit in hepate vel liene. Nam propter neruorum octaui paris inſertionem in τὴν καρδίαν eorumque cum intercoſtalibus et plexibus abdominis nexum, dolor ſaepe ſympathicus eſt. Id, quod hypochondriacis prae ceteris omnibus moleſtum eſſe ſolet, eſt ille ineuitabilis angor, quo conficiuntur et qui etiam ſuas acceſſiones remiſſionesque habet. Animus enim inconſtans eſt, quem interdum ſumma incedit triſtitia, magnum interdum et ſaepe inane gaudium. Omnes hypochondriaci praecipites in quaeuis auxilia et medicamenta feruntur, mox tamen priorum pertaeſi ad alia confugiunt. Semper extrema metuunt, et vel minima in ſe ipſis obſervant. Tandem morbus, cui vetuſtas accedit, et qui ſubinde ſe remittit, ſubinde aliis rebus non-naturalibus multum exaſperatur, degenerat in ſcorbutum, viſcerum ſcirrhum, nephritidem, epilepſiam. Saepe hypochondriaci vanas imagines accipiunt, quibus poſt, ingraueſcente morbo, mens ita addicta eſt, vt ab iis abduci nequeat, et tandem vera melancholia atque inſania oriatur. Et hic morbus

bus a parentibus traditur liberis, in quibus vix vmquam penitus tollitur.

§. 463.

Multum de ſede et cauſſa huius morbi diſputatum fuit. Veteres eam poſuere in ſolo liene, alii ex recentioribus exiſtimauere, primam ſedem eſſe in colo, flatibus fecibusque diſtento. Propius a vero eſt, ſedem principem eſſe in viſceribus abdominis et hypochondriorum. Prima occaſio naſci videtur ex concoctione laeſa adſumtorum, ſi inconfectus chylus ſanguini adfunditur. Nam poſt et alii ſucci crudi manent, qui crudus plerumque terreſtris, acidus, oleoſus ſalſusque ſanguis in venam portae, per viſcera abdominis diuiſam, contrahitur. Ab hoc ſanguine concitantur ſpaſmi, et a male affectis neruis impeditoque humorum circuitu oritur ſenſus ille moleſtus et magna anxietas. Lympha tandem fit corrupta, vnde Scorbutus. Propter ſanguinis motum impeditum intumeſcunt arteriae venaeque, et ſequitur ſanguinis per haemorrhoides profluuium, interdum vomitus cruentus. Haemorrhoidum enim fluxus etiam in hoc morbo non ſemper ſalutaris, vel criticus eſt, ſed interdum ſymptomaticus. Negandum tamen non eſt, magno vel continuo profluuio hunc morbum non raro ſolui. Si humoris illius crudi metaſtaſis fit ad cerebrum, vel ſi cerebrum ex male affectis neruis irritatur, dira oriuntur mala, mania et epilepſia. Si vero ſalutaris metaſtaſis fit ad articulos, naſcitur podagra. Nonnumquam per totum corpus diducta mala materia per ſudores eiicitur. Neruorum maxima imbecillitas eſt hypochondriacis, quibus ob id ſumma eſt inconſtantia mutabilitasque.

§. 464.

Origo itaque cauſſarum, ex quibus hic morbus naſcitur, ducenda eſt ex laeſa viſcerum actione et laeſa concoctione adſumtorum. Igitur cibus nimius, crudus, auſterus, durus, omnis ingluuies, potio per fermentationem coaceſcens, cereuiſiae minus valentes, vina oligophora,

opera ſedentaria, litterarum ſtudium, lucubratio, vigiliae, quaeuis mentis agitatio, ex amore vel moerore, nimia Venus, nimia corporis exercitatio, praecipue in aëre ſicco et feruido, deficiente potu diluente, morbi varii, febres vel diutius toleratae, vel adſtringentibus praepoſtere curatae, abuſus medicamentorum purgantium, emeticorum, nitroſorum, ſalium, opiatorum, nec non ſumta venena lenta, hunc morbum facere poſſunt. Sciendum vero, quum nihil omnino ob vnam cauſſam fieri poſſit, id pro cauſſa adprehendi, quod plurimum contuliſſe videtur. Non parum confert abdominis valentior compreſſio, qua ſanguinis circuitus impeditur.

§. 465.

Morbus longus eſſe ſolet, quippe qui pedetentim ortus, difficillime tollitur, raro autem hominem praecipitat, vel ſi ſolus eſt, conſumit. Mutatur in alios morbos, interdum mortiferos, ſcorbutum, cachexiam, melancholiam, apoplexiam, inſaniam, neruorum diſtentionem, epilepſiam, id quod fit, ſi mala materia mobilis facta, in cerebrum aliasque partes conuertitur. Multum nocet aegrorum puſillanimitas, qui quotidie noua conſilia amplectuntur, et medendi rationem mutant, deuoratisque omnis generis pharmacis, malum intendunt. Alui profluuium morbum ad breue tempus leuat, raro vero ſoluit, niſi inſolita quaedam et ipſa atrabiliaris materia per eam deſcendat. Mala morbi ſymptomata ſunt vertigo, quae nonnumquam epilepſiam, apoplexiam, coecitatem adfert, et ſi aeger inter verba deſipit, vbi metus eſt verae inſaniae. Non ſolum haemorrhoidibus, ſed ortis etiam varicibus morbum ſolui, ex antiquiſſimis auctoribus conſtat. Saepe tamen fruſtra haec criſis ſperatur, et male faciunt, qui medendi rationem ei ſoli aptare volunt.

§. 466.

Si morbo medendum, non eadem omnibus conueniunt, nec in curatione properandum eſt. Maius fere auxilium

xilium eſt in victu et corporis exercitatione, quam in medicamentis. Exercitatio quotidiana aequalis, qua ſanguis non nimium citatur, ſaluberrima eſt. Ceteris exercitationum modis praeferenda eſt equitatio. Potus ſit diluens, non nimius, nec nimis parcus; nocet fermenteſcens, omnis cereuiſia et vinum auſterum, oligophorum. Pauperibus conuenit aqua fontana, aliis Ptiſana ex radice Scorzonerae, Cornu Cerui vſto vel raſpato. Proficit etiam aqua Selterana cum pauco vino, ſed meraciori. Maximum praeſidium eſt in aquis mineralibus, quas aegrorum viribus accommodari oportet. A diluentibus minusque valentibus tranſeundum ad euacuantes, veluti ad Thermas Carolinas. Si harum aquarum copia non datur, arte ſimiles ad methodum HOFFMANNI parari poſſunt. Cibus accommodari debet illis cruditatibus, quae in ventriculo et viſceribus ſunt, quas ex ructu, deiectionibus aliisque ſignis cognoſcere non adeo difficile eſt. Omnia nocent, quae ventriculum onerant, nimis ſalſa, pinguia, olera et legumina flatulenta, carnes et iuſcula pinguiora. Panis ſit leuis, candidus; caro, ſi haberi poteſt, ex ferarum generibus, vel gallinis pullisque. Inter olera Spinachium et Lactuca conueniunt. Aër temperatus ſit, et plurimum confert, ſi aeger ruri eſſe poteſt. Nocet Venus et vigilia, prae ceteris negotioſa actio, litterarum ſtudium, lucubratio, cura et ſollicitudo. Nihil magis neceſſarium eſt, quam placidus ſomnus, qui, vbi malum ingraueſcit, eripitur, ideo omni ſtudio arceſſendus.

§. 467.

De ſanguinis miſſione compertum habemus, eam leuamen afferre aegris, praecipue ex plethora hypochondriacis. Malum vero non tollit, et frequentior corpus infirmat, morbumque pertinaciorem reddit. Idem fere dicendum de purgantibus. Aegri enim ſemper de aluo ſolliciti purgantia optant. Educenda eſt per aluum cruditas. Oportet etiam malam materiam, quae in primis viis haeret, atque, vt videtur, in ipſam venam portae contracta eſt, vbi

mobilis

mobilis eſt, in inteſtina conuertere; ſed hoc pedetentim fieri neceſſe eſt. Nam purgantibus tam reſinoſis et acrioribus, quam ſalinis, immo ipſis nitroſis, infirmantur viſcera. Auxilia illi acrimoniae vel cruditati, qua laborat aeger, accommodanda ſunt. Si acidum abundat, ſi color pallidus eſt, et aeger cacochymia ſine aeſtu et febre laborat, vrina frequentius pallida eſt et aquoſa, danda ſunt reſoluentia: Pilulae Stahlii, Sapo Venetus, ad drachmam j. per diem deglutiendus, interpoſitis Salibus alcaleſcentibus, veluti Sale Thermarum Carolinarum, Abſynthii, Cardui benedicti. Salubria etiam ſunt infuſa per epicraſin laxantia, ex amarioribus compoſita. Plurimum extollunt radices herbasque lacteo ſucco turgidas, quas recenſet BOERHAAVIVS *in Mat. med. ad* §. 614 Conf. *van* SWIETEN *ad eamdem paragr.* Aeſtate herbae recentes, hyeme radices, quae arena obrutae adſeruandae ſint, in officinis coquantur ex aqua, et quotidie potentur. Omnibus tamen praeferunt decoctum radicis Cichorei recentis; vid. *van* SWIETEN *l. c.* Cum eiusmodi decocto dari poſſunt Pilulae ex Gummi ammoniaco, Galbano, Aſa foetida, Sapone Veneto, Terebinthina, ita, vt aeger his ſuperbibat decoctum. Ceteroquin morbus, ſi non tollitur, plurimum is leuatur vſu Thermarum et omnium aquarum mineralium, praecipue ſi cum his dantur Pilulae ex Becheri compoſitione, Sapone et ſimilibus. Si vero ſigna certiora ſunt, aegrum ſcirrho vel vlcere viſceris laborare, et ſi hunc febricula extorret, ſi color ei non pallidus, ſed luridus, et anima foetida eſt, modo dicta auxilia aliena ſunt, et plerumque morbus, qui tolli nequit, trahendus eſt. Conducit his ſerum lactis, ex quo herba Centaurii minoris coquatur. Interdum lac ebutyratum, ſerum lactis dulce Hoffmanni, et ſi lac ventriculo non graue eſt, lac aſininum vel caprillum potari poteſt cum aquis Selteranis, vel cum decocto Scorzonerae, Cichorei, Taraxaci. Aluus ducatur Tamarindis, Manna, Cremore Tartari. Si poſt medicamentorum reſoluen-

ſoluentium diuturnum vſum aliquando varia ſymptomata, nauſea, ructus, anxietas, pulſus celer, febrilis, inaequalis et intermittens oritur, ſcire licet, materiam mobilem eſſe, et naturam aliquam excretionem moliri. Tunc crebrius in aluum immittendae ſunt emollientes lotiones, vt mala materia in eam conuertatur; abſtinendum eſt ab omni efficaci medicatione, tanto magis ab euacuantibus, ſeruataque quiete, curioſiorique victus ratione, naturae motus obſeruari debent, minime turbari.

§. 468.

Tandem vero, ſi mala materia per quamcumque viam, per haemorrhoides, aluum, ſudorem, podagram, euacuata fuit, confirmanda iterum viſcera ſunt, id quod tamen exercitatione et victu magis, quam medicamentis, fieri poteſt. Salubriter tamen dari poſſunt cortex Peruuianus, vt et Martialia, Tincturae martiales, vinum, in quo candens ferrum extinctum eſt, Crocus martis antimoniatus Stahlii. Conducit puluis ſtomachicus Birkmanni, nec non Elixirium ſtomachicum ex Extractis amaris cum vino compoſitum. Aluus numquam adſtricta ſit, ſed ſoluatur cibo magis ad id compoſito, quam medicamentis, etiam clyſteribus. Si a nimia meditatione et litterarum ſtudio morbus venenatus fuit, vel multum exaſperatus, plurimum confert, ſi circumciſa negotioſa actione homo ruri per aliquod tempus eſſe poteſt, vel in amoeno mollique itinere, qua ratione etiam illae vanae imagines, ſi illis mens iam addicta eſt, tandem delentur. Homines autem, qui inerti otio languentes quaeruli ſunt, et omnium rerum diligentiores obſeruatores, illi ad laborem atque ad negotioſam actionem compellendi ſunt.

TVMOR ET SCIRRHVS LIENIS.

§. 469.

Atque in liene et hepate ſanguis, bilis, aliaque humida, vel ſincera, vel corrupta, ſubſiſtendo itinera claudunt, ita, vt haec viſcera dura fiant, atque vel cum, vel ſine dolore intumeſcant. Tumor vel ad inflammationem ſuppurationemque ſpectat, vel durus factus in verum ſcirrhum degenerat. Et hic ab initio haud dolet; vbi vero is magis nocenter adoleſcit, intus punctiones ſentiuntur doloresque, qui veri carcinomatis metum faciunt. Lien intumeſcit, ſi haemorrhoides non proueniunt. Notus eſt nexus inter venam ſplenicam et haemorrhoidalem internam. Saepe etiam tumor cum duritie naſcitur in hypochondriaco morbo, cui iam vetuſtas acceſſit. Raro ex ictu extrinſecus illato tumor in liene oritur, qui frequentius hac occaſione ruptus, lethalem ſanguinis profuſionem excitat. Eſt inter hepar et lienem conſenſus, vt, ſi vnum viſcus laborat, alterum etiam adficiatur.

§. 470.

Huius morbi inſtantis notae ſunt, ſi homo, qui diu morbo hypochondriaco conflictatus eſt, vel cui haemorrhoides ſuppreſſae fuerunt, de ſenſu quodam obſcuro atque obtuſo in regione hypochondrii ſiniſtri, non procul a dorſi ſpina, conqueritur, qui dolor eo loco manet, vt, ſi exaſperatur, ad ſuperiora, ad pectus et iugula tendat; ſemper tamen ſiniſtrum latus occupat. Dolor differt a nephritico, qui lumbos afficit, et qui vel cum inflammatione eſt, vel cum ſpaſmis. Is enim, qui ab indurato liene oritur, vix non perpetuus eſt. Colicus dolor vrget maxime in illo coli ſinu, qui ſub liene eſt, quare is vt plurimum opinionem dolentis ſplenis adferre poteſt. Is vero perpetuus haud eſt, ſed per interualla inteſtina cum ſumma inflatione torquet et cruciat,

cruciat, ob id etiam ſedem mutat. Lienoſis eſt crebrior et difficilior ſpiritus, praecordiorum anxietas, tuſſis ſicca, decubitus in dextrum latus moleſtus, in ſiniſtrum iucundior, adpetitus quandoque caninus, quandoque nullus, celerior vero oppletio a cibo adſumto. Vbi morbus ingraueſcit, et in carcinoma tendit, facies eſt lurida et liuida, vrina interdum nigricans, anima foetida, ptyaliſmus perpetuus, languor et marcor tandemque hectica. Sub finem cachexia, maxime atrabilaria, accedit, et toto corporis habitu corrupto fiunt vlcera cacoëthea in artubus. Ex genitalibus mulierum et haemorrhoidum venis, increſcente in dies imbecillitate, effertur ſanguis nigricans, acris, lintea rodens, ſub finem diarrhoea cruenta mortem infert. Aliquando tumor ita increſcit, vt extrinſecus etiam tactu cognoſci poſſit. Poſt mortem tumores et carcinomata reperta fuere.

§. 471.

Morbus hic, prout dictum, ſaepe ex aliis morbis oritur, praecipue, ſi aduerſus malum hypochondriacum mala medicatio per volatilia, abſorbentia, martialia fuit adhibita, vel ſi febres volatilibus et adſtringentibus, acutae refrigerantibus fuerunt curatae. Grauis hic morbus et cum ſummo periculo eſt, qui non niſi inter initia tollitur. Si enim verus ſcirrhus lienem occupat, is omni medicatione concitatur et in carcinoma vertitur. Interdum oborto vomitu cruento, vel ſi purulenta atque nigra per os atque aluum reiiciuntur, increſcente imbecillitate, mors inſtat. Ex tumore vero, cui materia frigida et glutinoſa ſubeſt, naſcitur oedema et tandem vera aſcites. Nam, dum venae, quae ſanguinem ferunt, in his tumoribus praecluduntur, tumeſcunt venae lymphaticae, quarum plurimas humidum ſuum in venas ſanguiferas infundere conſtat. Raro accidit, vt in liene ſuppuratio fiat, quae etiam vel gangraena finitur, vel tabe et hectica.

§. 472.

In curatione ab initio conſideranda ſunt communia haemorrhoidum, menſtruorum vitia, malum hypochondriacum, quibus medendum eſt. Sanguinis miſſio quandoque leuamen affert, frequentius, niſi alia eam requirant, nocet. Praeter haec communia conſideranda eſt hominis et morbi natura. Quibus, vt Veteres loquuti ſunt, intemperies calida eſt, ſeu vbi tumor eſt cum febricula, iis dari poſſunt mitiora, Liquor terrae foliatae Tartari, Acidulae temperatiores, ſerum lactis chalybeatum aliaque. Aluus ſolui debet interdum Manna et Tamarindis. Quibus vero intemperies frigida eſt, et cachexia vel hydrops imminet, illis conducunt infuſa per epicraſin laxantia, Pilulae ex Sapone Veneto atque extractis amaris, ex ſucco herbarum paratis, veluti Extractum Centaurii minoris, Cochleariae, Fumariae, Abſynthii, addito etiam, ſi efficacioribus opus eſſe videtur, Gummi ammoniaco. Eadem curatio adhibenda eſt in iis, quibus hic morbus a male curata febre ortus fuit. Cibus neceſſarius eſt boni ſucci, et qui facile concoquitur. Potioni praeſtanda eſt ptiſana, praecipue decoctum Cichorei, cui Veteres ſpecificam virtutem tribuerunt. Decoctum radicis recentis ſucculentae, cum melle vel Syrupo radicum aperientium, ſalubre eſt. Nec alieni ſunt ſucci herbarum ſic dictarum antiſcorbuticarum, Naſturtiorum, Cochleariae, Acriuiolae, Acetoſae, Acetoſellae. Succi hi cum melle ſubigi et deglutiri poſſunt. Corpus exercendum eſt motu compoſito, ſed quotidiano; tandem, vbi aliquid ex tumore minui coepit, confugiendum eſt ad martialia. De vſu horum medicamentorum et aquarum mineralium tenendum eſt, haec omnia quandoque ſaluberrima eſſe et morbo idonea; ſi vero iam ſcirrhus verus eſt et durus, metum eſſe, ne ruptis lymphaticis vaſis oriatur hydrops, qua re mors maturari poteſt. Si vero ſanguis bile abundans tumori ſubeſt, is curatione quauis concitatus et acrior factus, lethalem putredinem et exulcerationem afferre ſolet.

§. 473.

§. 473.

Extrinſecus, ſi reſolutio ſperari poteſt, admoueri poſſunt fomenta calida et epithemata, ex decocto radicis Capparis, herbae Scolopendrii, Centaurii minoris, Abſynthii. Experiri etiam licet vaporem ex aceto acerrimo, in quo ſilex ignitus exſtinguitur, qui vapor per infundibulum admouetur. Specificam virtutem tribuunt oleo Capparum, quod cum aliis oleis miſceri poteſt. Nec aliena ſunt Emplaſtra, de Ammoniaco et de Cicuta, quae cum oleo Capparum malaxari queunt. Et haec, ſi morbus adoleuit, ſine pernicie adhiberi nequeunt, quum ſcirrhum etiam concitare poſſint. Vbi morbus, qui curari nequit, trahendus eſt, conſideranda ſunt ſymptomata. Cibus ſit modicus, a fame propior, aluus interdum, ſed rarius leniſſimis ducenda. Reliqua omnia communia ſunt.

TVMOR ET SCIRRHVS HEPATIS.

§. 474.

In multis cum tumore et ſcirrho lienis conuenit, eamdem cauſſam habet, nec alia ratione curatur. Sunt tamen quaedam diſcrimina. Hepar enim aliquando totum, aliquando eius tantum pars intumeſcit. Hoc accidit vel ex ſanguine craſſo, feculento ſeu atrabilario, vel ex humore lento, glutinoſo et viſcido. Alia differentia eſt. Plerumque, ſi infarctus vel ſcirrhus naſcitur a menſium et haemorrhoidum impedito profluuio, a febribus male curatis, is cum tumore eſſe ſolet, vt vel totum iecur, vel eius pars mole adaugeatur. Aliquando vero iecur ſcirrhoſum fit per κενεαγγείαν ſeu vaſorum exinanitionem, dum minores arteriae venaeque poſt magnam euacuationem, veluti haemor-

rhagiam exinanitae et collapſae inter ſe concreſcunt, vt ſic vaſa atque bilis itinera omnia praecludantur.

§. 475.

Signa huius morbi vix alia ſunt, quam quae de Liene dixi. In non valde obeſis tumor extrinſecus tactu percipitur, facies vel pallida, vel icterica eſt, ſpiritus propter maiorem molem, quae ex diaphragmate dependet, maior difficultas, decubitus in dextro latere iucundior, ſaliua tenax, viſcida, amaricans. Nonnumquam vomitus acidorum vel rancidorum. Accedit tandem macies, oedema et hydrops. Vrina ab initio pallida, mox cruda, tandem, praecipue accedente febricula, talis, qualis eſt hecticorum. Per aluum ſpumea crudaque deſcendunt. In colore faciei eſt quaedam differentia. Nam ſi obſtructio a lento et viſcido orta eſt, facies cum pallore inalbeſcit, qualis color eſſe ſolet hydropicis, qui tandem luridus et plumbeus fit. Si vero materia atrabilaria in iecur contracta in eo haeret, vel ſi tumor poſt icterum natus fuit, in oculis et cute id, quod album eſſe debet, luteum fit. Primum morbi genus eſt longum et tendit in hydropem, alteri febricula plerumque accedit, quae hominem celerius conſumit.

§. 476.

Verus ac vetuſtate confirmatus hepatis ſcirrhus numquam tollitur; inter initia id auerti poteſt. Interdum tumor ſoluitur menſium et haemorrhoidum profluuio aucto et critico, interdum etiam ſuperueniente febre intermittente, praecipue quartana. Si tumente iecinore purulenta cruentaque per aluum deſcendunt ſine leuamine, oritur fluxus hepaticus, de quo deinde dicturi ſumus. Hydrops ex hepatis ſcirrho ortus, tanto magis in iis, quibus ex ſpiritus ardentis crebriore potione hepar affectum fuit, funeſtus eſt. De calculis, qui quandoque in hepate naſcuntur, occaſione icteri dicendum.

§. 477.

§. 477.

Nec curatio huius tumoris alia esse solet, quam tumentis lienis. Sanguinis missio locum habere potest in plethoricis, si vitium a mensium et haemorrhoidum suppressione ortum fuit, atque inter prima eius initia. In aliis, videlicet, si morbus a male curata intermittente relictus fuit, vel si is adoleuit, eique vel hydrops, vel febricula accessit, sanguis sine pernicie haud mittitur. Si, id quod frequentissimum est, ex glutinoso, viscido, hepar intumuit, danda sunt saponacea: Pilulae Stahlii, Sales cathartici, et, quae ex his et Rhabarbaro ac foliis Sennae componuntur, Apozemata. Praestantiora sunt infusa per epicrasin laxantia, ex amaris atque Rheo. Vbi vasa lymphatica nondum rupta sunt, egregiam opem praestant aquae minerales, adhibitis simul saponaceis, Sapone Veneto, Pilulis Becheri et similibus. Proficit etiam multum Sapo Venetus quotidie et bis per diem ad drachmam semis, vel scrupulos ij. deglutiendus, vel etiam Sapo Lentilii, cuius compositio legitur in BIANCHI *Historia hepatis Part. III. p.* 320. Omnia vero haec medicamenta morbum, si huic vetustas accessit, non leuant, sed exasperant, immo aegrum celerius praecipitant. Extrinsecus adhiberi possunt Emplastra vel Linimenta: Emplastrum de Cicuta, de Meliloto, cum Emplastro diaphoretico Mynsichti, quibus parum Croci admisceri debet. Cauendum tamen est, ne internis mouentibus, externis mollientibus, per materiam agitatam mobilemque factam, vasa lymphatica rumpantur, et oriatur vel suppuratio, vel malum vlcus, quod vltimum nullam, prius difficilem curationem recipit. Victus omnibus accommodandus est. Potioni praestari potest aqua, vel decoctum radicum aperientium, vel solius Cichorei, cui specificam virtutem tribuunt. Cum aqua aeger bibat vinum meracum paucum. Potissimum in iis casibus, vbi in visceribus imbecillitas est, laudem habet Vinum Gallicum Pontac, si id meracum est et sine acore. Si haec per tempus adhibita

fuerunt, et facta fuit quaedam reſolutio, id quod ex deiectionibus et vrina intelligitur, ſub finem dari debent tonica, Tincturae martiales, Tinctura Martis Ludovici, nec non Tinctura Martis cum ſucco pomorum Borsdorfianorum, Infuſum Corticis Peruuiani cum Limatura martis.

§. 478.

Vbi autem contabuit hepar cum duritie, et vbi iam vetuſtas acceſſit, vitium nullam curationem recipit. Vbi vero poſt magnam ſanguinis profuſionem huius rei timor eſt, mox danda ſunt iuſcula carnium iuniorum, ex quibus coqui poſſunt variae herbae: Acetoſae, Acetoſellae, Naſturtii hortenſis, Petroſelini, vel radices recentes Petroſelini, Cichorei, Apii, Scorzonerae, adiectis Cancris fluuiatilibus, quae iuſcula per plures dies ſorberi debent. Nec alienum eſt lac aſininum vel caprillum, quod aquae Selteranae, vel decocto radicis Cichorei, Taraxici, Graminis, Polypodii, admiſceri poteſt. Nec negligendus eſt victus corporisque exercitatio.

ICTERVS.

§. 479.

Morbus hic, quem et regium vel arquatum vocant, a bile naſcitur, ſi haec, ſanguini et lymphae admixta, per totum corpus et minima vaſcula, tum ſanguifera, tum lymphatica, diffunditur. Luteus color, dum id, quod album eſt in corpore, luteum fit, morbum detegit. Hic vero color primum conſpicitur in partibus, ad quas teneriores ſucci perlabuntur, prae ceteris in tunica adnata oculorum. Ceteroquin, quibus hic morbus inſtat, ii ſentiunt torporem, ſegnitiem, nauſeam, oris amarorem, ſpiritus difficultatem, grauitatem praecordiorum, cardialgiam, vomitio-

mitionem, ructum acidum et nidoroſum. De dolore quodam in hypochondrio dextro ſub cordis ſcrobiculo, ſub quo folliculus felleus et bilis itinera ſita ſunt, conqueruntur. Saepe febricula accedit, et tandem color ille primum oculis, poſt vniuerſo corpori inducitur. Vrina lintea luteo colore inficit, eſt ſaepe cruda, ſaepe rufa, quae craſſa trahit, et ex qua etiam talia deſidunt. Aluus raro reſpondet, et quae deſcendunt colorem naturalem non habent, ſed cinereum, et ſunt argillae ſimillima. In cute, quae ad tactum arida eſt, aegri pruritum ſentiunt, in ore amarorem. Et ſudor interdum luteus profluit, quo lintea inficiuntur. Diſtinguunt icterum in flauum et nigrum. Veteres prioris ſedem in hepate, alterius in liene poſuerunt; ſed vix aliter differunt, quam gradu. In ictero enim nigro tum ſanguis, tum bilis, omnesque alii ſucci magis alienati corruptique ſunt. Per icterum album nonnulli chloroſin intelligunt, de quo morbo ſuo loco. Icterus criticus dicitur, ſi alii morbi eo ſoluuntur.

§. 480.

Oritur hic morbus ex variis cauſſis, ex quibus accidere poteſt, vt copioſior bilis ſanguini admiſceatur, vel vt nulla bilis per ſua itinera in duodenum feratur. Sedes igitur morbi eſt vel in ſanguine, ſi v. g. ab animali venenato celerius reſoluitur corrumpiturque, vel in hepate et illis itineribus, quae bilem a ſanguine ſecretam ab hepate excipiunt, vel, id quod rarius eſt, in ductu cholodocho, vel in cyſtide, vel in duodeno. His enim omnibus efficitur, vt abundantior bilis cum ſanguine ex hepate iterum in venam cauam transfundatur, ex hac in cor, et tandem ex hoc per vniuerſum corpus diuidatur. Frequentior cauſſa eſt ſpaſmus, ſi eo haec itinera grauiter commouentur coarctanturque. Inprimis hoc accidit, ſi homines vel mox ante, vel poſt cibum vinique potum iraſcuntur. Etiam ſpasmi concitantur draſtico emetico, valentiori purgante, et colica ſpasmodica. Interdum id accidit a vermibus, a vene-

nis adſumtis, vel etiam a morſu alioue vulnere venenato. Huius rei notae ſunt, cauſſa praegreſſa, et in venenis, ſi morbus ſubito inuadit, cum animi affectione, cardialgia et aliis vehementioribus ſymptomatibus. Qui hepatitide laborarunt, icterici fiunt, quoniam in viſcere inflammato nulla fit bilis ſecretio. Huius morbi notas ſcire licet ex febre inflammatoria, dolore inflammatorio, de quibus ſupra (de Hepatitide) dictum eſt. Si hepatitis ad ſuppurationem ſpectat, matureſcente materia, abſceſſus vel in gibba hepatis parte ſub peritonaeo rumpitur, vel purulenta per bilis itinera in duodenum feruntur. Et tunc icteri genus naſcitur, quod inter alia peſſimum fere eſt. Illud intelligitur ex praegreſſa hepatitide, ſi haec ipſaque febris cum dolore ſe pedetentim absque coctionis ſignis in vrina, et ſine alia notabili excretione remittit, febricula vero cum frequenti horrore et dolore obſcuro pulſante relinquitur. Vbi vero abſceſſus ruptus eſt, pus per aluum deſcendit, et homo tabe perit, vel in abdomen effuſum gangraenam concitat. Scirrhus etiam ex inflammatione manet, et icterum parit, ſi in hepatitide febris absque reſolutione et ſuppuratione conquieuit, relicto tumore magno duroque, qui extrinſecus tactu etiam ſentitur, cum ſenſu ponderis et difficultate ſpirandi. Icterus oritur etiam ex praecluſis itineribus per bilem viſcidam glutinoſam. Et hoc oſtendunt cauſſae, torpidum otium, victus glutinoſus, vegetabilis, crudus, faciei colot magis, quam in ceteris, ex pallido flauus. Hoc vitium ſine febre ſitique eſt, maius vero pondus in hypochondriis cum maiori ſpirandi difficultate eſſe ſolet. Naſcitur icterus quandoque a flatibus et ſpaſmis inteſtinorum, quibus cholodochus conſtringitur. In hypochondriacis et hyſtericis frequens eſt. Atque ob id icterus interdum colicam ſpasmodicam ſequitur, interdum ſpaſmus a vermibus, inteſtina occupantibus, concitatur. Hoc genus ſubito inuadit aegrum, mox iterum euaneſcit. Cauſſa manifeſta eſt ex colica flatulenta, vel adſunt vermes, quorum alia ſigna ſunt ſuo loco exponenda. Tandem icterus oritur ex calculis,

culis, qui vel in hepate, vel in cyſtide, vel in bilis itineribus haerent, et haec praecludunt. Qui tales cholelithos ſeu calculos habent, conqueruntur de ſpaſmis acutisque doloribus in dextro hypochondrio cum ſumma anxietate. Hic dolor quandoque ſubito exoritur cum luteo colore per corpus diffuſo, is vero non raro iterum deſinit, euaneſcente etiam alieno colore. In his fex dura, ſubpallida, per aluum excernitur, et cum hac interdum, poſt atrociſſimos ſub ſcrobiculo cordis cruciatus, minores calculi. Non tamen omnes, qui calculis his felleis laborant, ictero laborant. Calculos etiam per aluum efferri rarum eſt. Etiam infantes aliquando in lucem eduntur cum ictero, vel dum lactantur, eo laborant. Id quod fit, ſi materia glutinoſa duodenum occupat. Infantibus, qui lacte crudiori aluntur, hoc frequens eſt, ſi lactis coagulo duodenum impletur et praecluditur cholodochus.

§. 481.

Icterus non ſemper mortiferus eſt, numquam vero ſine omni periculo, praecipue in ſenibus, aliisque, quibus viſcera infirmiora ſunt. Qui ex ira ortus fuit, is facile ſoluitur, mox autem, data occaſione, reuertitur. Si in ictero in dies et multum augetur ſpiritus difficultas, praecordiorum anxietas, et dextri praecipue hypochondrii tumor, et ſuperuenit aſthma ſpaſticum, is tendit in hydropem. Si febricula accedit, ea metum hecticae facit. Si hydrope laborantes icterici fiunt, mors denunciatur. Raro accidit, vt ictericus febre ardente corripiatur, propter bilis in ſanguine abundantiam, tunc vel homo, vel morbus tollitur. Si vero in alia febre acuta et bilioſa aegri cum coctionis aliisque bonis ſignis icterici fiunt, icterus criticus eſt et ſalutaris. Si vero hoc accidit conſiſtente auctaque febre, ſine vllis coctionis ſignis, praecipue ſi haec in vrina deſunt, aeger ſanari nequit, Icterus ſoluitur vrina, quam craſſam, rufam, flaueſcentem, et qua lintea croceo colore tinguntur, eſſe oportet. Vrina vero non bilioſa ſed κριμνώδες, ſeu

farinoſa, peſſima eſt, et ſignificat materiam tenaciter inhaerentem, magnam cruditatem et pertinacem morbum. Icterus quartanae ſuperueniens, vix non ſemper mortis indicium eſt. Si icterus ex menſium et haemorrhoidum ſuppreſſione oritur, his prouenientibus ſoluitur. Icterus niger raro, et non niſi interdum in iunioribus curatur. Sudor flauus, lintea tingens, bonus eſt. Icterum in deceſſione eſſe ſignificat, cutis color pedetentim mutatus. Nam ſi hoc ſubito fit, in morbo, qui pedetentim adoleuit, nulla facta excretione, interdum metus eſſe poteſt, ne in hepate ſcirrhus naſcatur.

§. 482.

In curatione ſemper conſiderandae ſunt cauſſae, et ſi febris accedit, etiam huic accommodanda eſt curatio. Si icterus ortus fuit a ſpaſmo, id quod frequentius ab ira, aliquando ab aliis cauſſis incidere ſolet, vitanda ſunt emetica, dari poſſunt abſorbentia cum digeſtiuis, pulueres ex Cremore Tartari, Tartaro vitriolato, Terra foliata Tartari, Sale catharctico, additis Conchis, lapidibus Cancrorum, Magneſia alba et Nitro. Quibus praemiſſis, horis veſpertinis dari poteſt Rhabarbarum cum Sale catharctico, Tartaro tartariſato, vel alio. Etiam proficit Liquor terrae foliatae Tartari. Nec aliena ſunt decocta ex radice Glycyrrhizae, Polypodii, Cichorei, addito Cremore Tartari, Tamarindis, Paſſulis. Si vero ſpaſmi non ab animi perturbatione, ſed ab acrimonia quadam, adſumto veneno vel alio, quibus duodenum et itinera bilis conſtringuntur, orti fuerunt, ſales alieni ſunt, et danda ſunt pinguia, oleoſa, emollientia aliaque, quae aduerſus cognitam acrimoniam maxime valent. Medicamenta calida et ſanguinem cientia malum augere et febres accendere ſolent. Non alienum eſt, ſi cum his hypochondrio dextro et ſcrobiculo cordis fomenta, vel veſicae madentes et decocto emolliente plenae ſuperhabentur. Ex lacte flores Chamomillae, Verbaſci, cum herba Meliloti coqui poſſunt. Etiam multi vſus cum his eſſe

poſſunt

poſſunt Enemata ex ſero lactis, ex quo Cichoreum, Taraxacum cum Tamarindis coquantur. Si icterus poſt draſticum emeticum relictus fuit, danda ſunt temperantia, lapides Cancrorum cum acido Citri, addito pauco Nitro, nec non Emulſiones ex ſemine Papaueris, ſeminibus frigidis, addito Nitro. Ex his blandiora enemata multum proſunt. Si vero icterus ab humore viſcido et glutinoſo ortus fuit, morbus, antequam tumor in verum ſcirrhum degenerauit, curationem recipit. Nec alia curatio eſt, quam qualem ſupra praecepimus. Si nulla febris adeſt, conducunt Sales neutrius generis, Liquor terrae foliatae Tartari, ſal catharcticus, ſal mirabilis Glauberi, ſal ſtipitum fabarum, Cremor Tartari, ſal Carduì benedicti, Abſynthii, et prae ceteris ſal Thermarum Carolinarum. Multum etiam proficiunt Sapones illi ſupra propoſiti. Efficaciores ſunt Thermae Carolinae, inprimis, ſi cum his Sales, Pilulae Stahlianae, Sapo aliaque reſoluentìa dantur. Nec aliena ſunt infuſa, ex vini et aquae aequìs partibus cum radice Glycyrrhizae, Polypodii, Cichorei, Taraxaci, Vincetoxìci; herba Centaurii minoris, Beccabungae, Naſturtii, ſemine Petroſelini, Foeniculi, Naſturtii aquatici, additis Rhabarbaro, Bryonia, ſale Thermarum, vel ſale Tartarì. Etiam ex his commode fiant decocta, quae Pilulis Stahlianis et Saponi ſuperbibantur. In omnibus his curationibus illud perpetuum eſt, a lenioribus et digerentibus tranſeundum eſſe ad efficaciora et euacuantia. Nam haec vltima, vbì materia nondum mobilis eſt, nocent. Nec magis ſunt tuta emetica. Nam vbì iam vetuſtas acceſſit, viſcera admodum infirma, et humida, quae in praecluſis vaſis haerent, alienata corruptaque ſunt, metus eſt, ne illis receptaculis ruptis, mala vlcera fiant, quae poſt nulla arte glutinantur. Bilis enim longe facilius, quam cetera humida, in viſcere hoc molli atque friabili corrumpitur, quae res ſi accidit, iecinoris exulcerationem et morbum hepaticum relinquit. Negandum tamen non eſt, ſi materia, quae ſanguinis vaſa et bilis itinera ſubſiſtendo claudit, adhuc mobilis eſt, eam vo-

mitu per emeticum moto aliquando feliciter expelli, id quod tamen nec perpetuum, nec ſine omni periculo eſt. Sub finem non omittenda ſunt roborantia, martialia, Tinctura Vitrioli Martis Ludouici cum Eſſentia Centaurii minoris, Crocus martis antimoniatus, qui Trageis admiſceri poteſt.

§. 483.

Si vero ictero febris ſuperuenit, et calor vrget, maxime in corpore vel ſenili, vel infirmo, vitari oportet efficaciora tum reſoluentia, tum euacuantia. Dari poteſt Liquor terrae foliatae Tartari, addito etiam Nitro, et proficit decoctum Auenae, quinque radicum aperientium cum Oxyſaccharo, vel Oxymelle, vel Syrupo de Cichoreo cum Rhabarbaro. Vbi maior aeſtus eſt, fieri poteſt decoctum ex pomis recentibus dulcibus, cum Oxymelle et Oxyſaccharo; vel ex auena excorticata, hordeo mundato, oryza, quibus ad cohibendam putredinem oxymel, oxyſaccharum, Pulpa Tamarindorum, nec non Liquores illi acidi adiici poſſunt. Vbi tandem febris ſe paullulum remiſit, adhiberi poſſunt efficaciora, et inter alia, aluum ducentia, ex Tamarindis, Paſſulis, Cremore Tartari et Rhabarbaro. Icterus a colica flatulenta et refrigerio ortus, carminatiuis curatur. A calculo felleo requirit emollientia: Decoctum Althaeae, Glycyrrhizae, Maluae, florum Chamomillae, Verbaſci, &c. Emulſiones, Serum lactis, cum quibus adhiberi poſſunt extrinſecus fomenta ex lacte, balnea et alia, quibus bilis itinera laxari poſſunt. Potioni praeſtandum eſt decoctum furfuris. Icterus ex abſceſſu hepatis relictus nullam curationem recipit. Danda ſunt acidulata: Decoctum Auenae excorticatae cum Paſſulis, Decoctum Hordei cum ſucco Citri, vel addito Roob quodam acidulo, Ceraſorum acidorum, ribeſiorum, berberum &c. Decoctum Tamarindorum et Paſſularum, et his ſimilia. Si icterus criticus alios morbos ſoluit, nihil agendum, vel ad minimum in curatione haud feſtinandum eſt: color enim ille flauus

uus breui et ſponte diſſipatur. In infantibus, ſi icterici in lucem prodierunt, conducit Rhabarbarum, addito pauco Nitro. In aliis, quibus a lactis coagulo praecluſus fuit choledochus, illud optime ſoluitur Sapone. Curatio venenorum, tum intus ſumtorum, tum vulnerum, morſu animalium teloue venenato illatorum curationes, ex alibi dictis de inflammato ventriculo et ex Chirurgia diſcuntur. Vermes anthelminticis expelluntur.

§. 484.

His accommodandus victus eſt. Nocent omnia cruda. In ictero ex humorum lentore, proſunt iuſcula carnium iuniorum cum herba et radice Petroſelini, Turionibus Aſparagi, ſemine Foeniculi. Vitanda ſunt glutinoſa. Potioni praeſtanda eſt aqua cum vino auſtero, ſed maturo, Pontac. Corporis exercitatio, ſomnus aliaque ad morbi naturam componenda ſunt. Si cum febre icterus eſt, non alius victus imperandus eſt, quam qui in hepatitide vel hectica idoneus eſt. Plura ab auctoribus extolluntur ſpecifica, veluti radix Curcumae et radix Chelidonii ad ſcrup. j. vel drachmam dimidiam pro doſi: Succus lumbricorum terreſtrium, qui viui cum vino generoſo terantur, et alia plura. Si aliquis horum efficaciam experiri velit, hoc fiat praemiſſis generalioribus.

FLVXVS HEPATICVS.

§. 485.

Fluxus hepaticus dicitur, quando in viſceribus abdominis, praecipue in hepate, nonnumquam in pancreate et meſenterio, vitium et labes eſt, vt tum ſanguis, tum cetera viſcerum humida corrupta atque putreſcentia per alnum efferantur, Morbus hic rarior eſt, et naſcitur plerumque

ex

ex aliis vitiis, crebrius ex ſcirrho viſcerum, quacumque ratione, potiſſimum efficaciori et minus apta medicatione concitato. Nec raro hypochondriaci, ſi eorum morbo vetuſtas et mala curatio acceſſit, huic vitio obnoxii fiunt. Ab initio ſunt deiectiones crebriores, ſine torminibus, aquae ſimiles, cum aliquo tamen acrimoniae ſenſu. Mox id, quod per aluum deſcendit, bilioſum eſt, et aquae, in qua recens caro lota eſſe videtur, ſimile. Haec res cum virium imbecillitate increbreſcit. Aegrum, qui faciem habet luridam, ſubliuidam, et increſcente morbo cadaueroſam, febricula extorret, quae quandoque quieſcit, mox iterum intenditur. Aluus tolerabilior eſt varia liquida, quae ſtrigmentum, vel viride aliquid et bilioſum, vel cruentum repraeſentat. Longe peior eſt pinguis, nigra, et cui magna foetiditas oris acceſſit. Peſſima, ſi cum his ſanguis copioſior effertur, praeſertim ſi febris multum augetur. Aegro crebra eſt deiiciendi cupiditas, ceteroquin magnum faſtidium, perpetuus languor, nonnumquam etiam vomitus. Corpus ad ſummam maciem adducitur, vrina bilioſa eſt, ex qua craſſa deſidunt, qualis eſſe ſolet tabidorum. Si deiectiones vel per ſe deſierunt, vel ſi aluus ciborum medicamentorumque contrahentium vſu adſtricta eſt, magna oritur anxietas, aſthma, orthopnoea, ſenſuum internorum externorumque hebetudo.

§. 486.

Morbus hic diſtinguendus eſt a dyſenteria. In hac ſunt vehementiſſima tormina, quae increbreſcente deiectione exaſperantur, et in ea ſanguis paucus, non coactus, nec foetidus, ſed ſincerus etiam cum ſtrigmentis effertur. In fluxu hepatico, praeter dolorem in ano et frequentem deiiciendi cupiditatem, aeger haud quidquam ſentit, nec torminibus cruciatur, ſanguis vero, qui deſcendit, numquam ſincerus eſt, ſed, vt dictum, aquae ſimilis, in qua recens caro lota fuit; dilutior, multa bile remixtus, ſub finem putris et foetidus erit. De haemorrhoidibus internis alibi dictum, ſanguinem in iis copioſum, ſincerum, poſt alui deiectio-

iectionem, et quidem cum leuamine, euaneſcentibus poſt excretionem torminibus, erumpere.

§. 487.

Huius morbi cauſſa eſt vel imbecillitas, vel exulceratio viſcerum in abdomine, pancreatis, meſenterii, et praecipue hepatis. Nam in his viſceribus vel vlcus eſt atque verum carcinoma, ex inflammatione, ſuppuratione ſcirrhoue relictum, vel vaſa et omnis generis receptacula atque ductus excretorii ita relaxati ſunt, vt per eos varius humor et ipſe ſanguis efferatur. Omnia itaque, quibus viſcera illa infirmantur et corrumpuntur, hunc morbum parere poſſunt. Is tendit in hecticam, in ſenibus in maraſmum, nonnumquam in hydropem.

§. 488.

In iunioribus raro tollitur, numquam in ſenibus. Si ſine febre eſt, experiri licet roborantia, martialia, decoctum Milleſolii, praeparata ex Cydonio, aliaque. In victu cibus ſit modicus, ex pane bis cocto, carnibus aſſis. Potioni praeſtandum eſt decoctum radicis Chinae ponderoſae, Graminis, addita pauca Caſſia lignea. Experiri licet corticem Peruuianum, qui tamen alienus eſt, vbi morbus iam inueterauit. Si enim febricula aegrum extorret, oportet quietem imperare, dare medicamenta vel nulla, vel leniſſima: Lapides cancrorum cum acido Citri, Corallia rubra praeparata, addito pauco nitro, Liquorem terrae foliatae Tartari. Euitanda eſt ira cum omni, tum corporis, tum animi commotione. Victus ſit leuis, ex Cremore Hordei addito ſucco Citri, vel Aceto, ex Cremore Auenae excorticatae, additis Paſſulis. Nocent iurulenta. Coqui tamen poteſt radix Cichorei et Apii ex iure pulli, et huic admiſceri ſuccus Citri. Nec aliena ſunt fructus horaei in aëre ſiccati, Ceraſa, Poma dulcia. Carnes pinguiores nocentiſſimae ſunt, iuraque pinguiora. Potioni praeſtari poteſt decoctum panis domeſtici, vel hordei cum oxyſaccharo, quibus omnibus morbus trahitur, vix vnquam curatur.

CHO-

CHOLERA MORBVS.

§. 489.

Vel ἀπὸ τῆς χολῆς et ῥ̓έω, atque sic a bilis profluuio, vel ἀπὸ τῶν χολαδῶν, ab intestinis, nomen habet. Est morbus, in quo omnia, quae in ventriculo et intestinis sunt, cum impetu supra infraque erumpunt. Crebrior itaque vomitus ac deiectio est cum magna intestinorum inflatione atque torminibus. Id, quod reiicitur, varium est, plerumque tamen biliosum. Quibus morbus imminet, ii ab initio dolorem in ventriculo et intestinis, atque tormina, quae per interualla incursant, sentiunt cum anxietate, sequitur vomitus, deiectiones. Quae vomuntur et per aluum efferuntur, ab initio subcruda sunt, aquae similia, mox biliosa, tandem obscura et coerulea cum nigrore. Accedunt vehementissimi dolores circa ventriculum, tormina circa vmbilicum et lumbos, cum anxietate, inflatione et tenesmo. Subito plerumque abdomen occupat hic morbus, qui nonnumquam intra viginti quatuor horas morte finitur, aliquando tertio, raro septimo. Si vero febris accedit, nam saepe et ab initio sine febre esse solet, mutatur in ardentem, biliosam seu causum. De febre ardente supra diximus. Si morbus ingrauescit, pulsus prorsus deficit, aeger animo linquitur, accedit sudor frigidus, et infra supraque corrupta et cadauer olentia erumpunt. Raro soluitur post crebriorem vomitum et deiectiones, sudore critico, atque vrinae acerrimae, vias rodentis, profluuio. Distinguunt Choleram in siccam et humidam. In sicca ἄνω καὶ κάτω flatus et ructus efferuntur, et hic morbus conuenit cum *morbo ructuoso* HIPPOCRATIS, de quo vide Dissert. GOELICKII. Differt a dysenteria, in qua non facile vomitus est, et saepius cruor ex intestinis exulceratis manans cum strigmentis excernitur.

§. 490.

§. 490.

Sedes huius morbi princeps eſt duodenum, quod in cadaueribus poſt mortem inciſis gangraena affectum, cum ductibus choledocho et pancreatico Wirſungii relaxatis, repertum fuit. Nam humida omnium viſcerum, quorum itinera vaſaque ad inteſtina pertinent, hic confluere videntur, et per aluum efferri. Nota eſt duodeni inflexio, in qua flatus vt et mali acresque humores aliquamdiu morantur, humoribus vero acrioribus inteſtina et partes vicinae afficiuntur, nerui concitantur, vt motus periſtalticus ad neruorum diſtentionem vsque adaugeatur, quo tum flatus, tum humida illa per moram corrupta expelluntur. Morbum hunc facere poteſt bilis cyſtica acrior et copioſior, ſpaſmo ex quacumque cauſſa excitato in duodenum preſſa, praecipue ab ira poſt cibum. Eumdem etiam afferunt cibi pinguiores acrioresque, veluti carnes ſubrancidae ſuillae, lardum, caſeus rancidus, vel recens acidus, fructus horaei auſteri, nondum maturi, cucumeres, melones, boleti, omnis generis dulcia, muſtum, cereuiſiae recentes, frigida cum auiditate calente corpore hauſta, inprimis potio dulcis Limonade, potio niuata. Praeter haec cruditas, a longo tempore in ventriculo et duodeno haerens, quae accedente alia cauſſa concitatur. Plurimum confert refrigerium poſt crapulam, vel ſi homines noctu aurae frigidae ſe exponunt, et exſpirationem inſenſibilem reprimunt. Idem accidit poſt ſumta medicamenta draſtica emetica et purgantia. Iuniores crebrius hoc morbo afficiuntur, ex quo ſenes magis periclitantur. Frequentior eſſe ſolet autumno. Raro admodum fuit epidemicus.

§. 491.

Morbus hic peracutus eſt, quamuis ſine febre ſit. Semper periculoſior, vbi haec acceſſit. Facilius curatur, ſi ortus fuit ab adſumtis, et ſi horum natura medenti cognita fuit, et is huic accommodare poteſt auxilia. Melior eſt cholera humida, et cui mox ab initio crebrior vomitus atque

que deiectio accedit, quam cholera ſicca, quia cum magna anxietate et dolore ſine excretione eſſe ſolet. Bonum eſt, ſi cum aluo ſpiritus infra emittitur. Adiicitur periculo, ſi venter ſuppreſſus eſt, ſi vehementiores ſpaſmi, irriti conatus vomendi, vagi horrores ſuperueniunt. Mali morbi teſtimonia ſunt, extremorum frigus, ſingultus, conuulſio, lipothymia, ſyncope, et ſi per os aluumque redditur putris, aeruginoſa et cadauer olens ſanies, quae inteſtina inflammata corruptaque eſſe ſignificant. Rariſſime accidit, vt morbus ſalutaris ſit, vtque eo hypochondriacum malum viſcerumque infarctus tollantur. Vtplurimum vel tollitur morbus, vel morte finitur. Interdum tamen, praecipue ſi copioſiora data fuerunt abſorbentia, adſtringentia et opiata, is mutatur in hecticam et lienteriam. Qui ex hoc morbo conualuerunt, iis metus eſt, ne is data occaſione reuertatur.

§. 492.

Si ei medendum eſt, diſputari de neceſſitate, vtilitate et noxa emeticorum ſolet. Hoc certum eſt, plurimum nocere emetica acriora ex Antimonio parata, nec ſatis tutum eſſe etiam Tartarum emeticum. Nec benigniora facile danda ſunt, ſi morbus a grauiori animi perturbatione et ira coepit. Si vero ab adſumtis contractaque eruditate ortus fuit, per Ipecacuanham fomes morbi optime excutitur, cui admiſceri poteſt Rhabarbarum. Vbi emetica locum non inueniunt, protinus dari poteſt Rhabarbarum, addito abſorbente. Si vero bilis acrior et copioſior, ab animi commotione concitata, morbum facit, potari poteſt copioſior aqua tepida, addito Oxymelle ſimplici vel oleo amygdalarum dulcium recenti, quibus etiam vomitus ciendus eſt. Simul vero in aluum immitti debent lotiones lubricantes, ex decocto Althaeae, addito oleo recenti, nullo vero ſtimulo. Etiam vtilis eſt aqua calida cum oleo vel butyro non ſalito in aluum immiſſa. Diluentia optima ſunt, in quorum vſu diu perſeuerandum eſt, vt eorum aeger plurimum bibat, atque etiam

iterum

iterum euomat. Eum in finem danda ſunt iuſcula valde tenuia pullorum aut carnis vitulinae, cum acetoſa decocta, aut cum ſucco Citri miſta, quod optimum eſt. Sunt ex recentioribus, qui panem auenaceum ſine fermento piſtum coctumque, leniter toſtum, atque ex aqua coctum, vt decoctum fabarum Coffée repraeſentet, extollunt. Vide *Tentamina Edinburg. Vol. V. p.* 646. Nec alienum eſt decoctum hordei, et ſi acrimonia acida eſt, huic admiſceri poteſt gelatina eboris atque Cornu Cerui. Pauperibus conducit ſerum lactis, nec calidum, nec frigidum, maiori in copia epotum, vel ipſa aqua, quam CELSVS iam propoſuit. Vbi bilis abundat, ſerum lactis acidulum conducit. Veteres frigidam laudauerunt, quae quandoque proficere poteſt, nonnumquam autem excitare inflammationes. Si magna et crebrior deſidendi cupiditas vel teneſmus eſt, et per aluum non niſi exiguum emittitur, id teſtimonium eſt magnae acrimoniae, cui opitulari poſſumus, immiſſis in aluum lotionibus, quibus adiici poteſt Terebinthina cum oui vitello ſoluta.

§. 493.

Vbi his omnibus malum non conquieuit, et vbi his purgatae ſunt primae viae, vomitus autem ac deiectiones non finiuntur, confugiendum eſt ad ſopientia. Dari poteſt Diaſcordium Fracaſtorii, ea methodo, quam alibi propoſui. Theriaca coeleſtis ad gr. j. pro doſi in pulueribus, vel Theriaca Andromachi. Quamprimum vero vomitus et deiectiones conquieſcunt, ab his deſiſtendum eſt.

§. 494.

In cholera ſicca conducunt clyſteres emollientes, addito Nitro. Extrinſecus ventriculo admoueri poſſunt illa nota Balſama et ſcuta ſtomachalia, vel, ſi bilis acrior abundat, fermentum panis cum aceto acerrimo. Si ſyncope accedit, dari poteſt paucum vinum cum pane fermentato, proficit etiam frigida adſperſio. Veteres in hoc morbo haud

praeter rationem laudauerunt brachiorum et crurum frictiones. Vbi frequenti deiectione corpus omni humore exhauſtum eſt, ad illud reficiendum humectandumque proficiunt balnea ex aqua fluuiatili frigida. Dari etiam poſſunt carminatiua et roborantia. Victu curioſiori opus eſt conualeſcentibus. Abſtinendum eſt ab omnibus acribus et fermenteſcentibus.

DIARRHOEA.

§. 495.

Eſt alui profluuium vel frequentior fecum liquidarum copioſiorumque deiectio, ſine vomitu et ſine vehementioribus torminibus. In inteſtina confluunt varii humores, veluti ex membrana pituitaria, faucibus, oeſophago, ventriculo, duodeno, hepate, pancreate, glandulis BRVNNERI, PEYERI, arteriis meſaraicis, et praeter hos omnes, alii, qui per metaſtaſin aliquando ex locis diſſitis et vniuerſo etiam corpore in inteſtina conuertuntur. Ob hoc vltimum diarrhoea oritur ex cohibita inſenſibili exſpiratione et ſudore, vel ſi lympha per vniuerſum corpus Mercurio liquata per aluum excernitur. Rarum admodum eſt, pus ex empyemate, vel alio in qua parte deliteſcente abſceſſu, per aluum educi. Coagulum inflammatorium ſaepe diarrhoea critica euacuatur, qua in febribus catarrhalibus etiam mucus et pituita expelluntur.

§. 496.

Diarrhoea differt a dyſenteria, in qua et tormina ſunt atrociora, et cruenta purulentaque deſcendunt. In Cholera magnus dolor eſſe ſolet cum vomitu et teneſmo, et cruda, maxime bilioſa, ſupra infraque erumpunt. In coeliaca, in qua ventriculus quidem integer eſt, inteſtina vero vitio

vitio laborant, chymus non mutatus in imum defertur. In lienteria, ſeu inteſtinorum laeuitate, haud concocta, ſed cruda per aluum deuoluuntur.

§. 497.

Morbus hic proficiſcitur ab inteſtinorum motu peri-ſtaltico, eoque per cauſſas contrarias alienato. Nam ille motus concitatior et quaſi conuulſiuus fit a quacunque acrimonia, qua inteſtina afficiuntur. Eadem enim acrimonia, veluti hoc a purgantibus fieri conſueuit, aliunde euocantur in inteſtina varii humores, non alia ratione, ac in oculis fieri ſolet, ex quibus, a quacumque re exagitatis, copioſiores lacrymae exprimuntur. Diarrhoeam diuturnam et nullis auxiliis obedientem, a vermibus profectam, anthelminticis curatam nouimus. Sed talis etiam ab atonia naſcitur, quoniam inteſtina, vel vitali, vel naturali ſuo robore deſtituta, non recte conficiunt adſumta ſubiguntque. Nec in reſolutis inteſtinis fluida ſatis in oſcula lacteorum propelluntur. Quare infirmis aluus ſemper fuſior eſt. Diarrhoeas criticas a vi vitae vel natura fieri, ex alibi dictis notum eſt. Peſſima eſt diarrhoea colliquatiua hecticorum, in qua ſumma reſolutio ſanguinis et omnium ſuccorum raritas ac corruptio eſt, cum arteriarum etiam illarum, quarum extrema ad tunicam villoſam et glandulas inteſtinorum pertinent, atonia.

§. 498.

Non omnis diarrhoea pernicioſa eſt, ſed ſaepe critica et ſalutaris. Haec nonnullis hominibus certo tempore, vere vel autumno, reuertitur, quae tolerari, ſeruato regimine, debet. De critica in febribus catarrhalibus, variolis confluentibus, febribus inflammatoriis, nec non alia, quae ſymptomatica in petechizantibus eſſe ſolet, alibi dictum fuit. Critica cognoſcitur ex cognita morbi natura et hiſtoria, ex tempore morbi, concurrentibus aliis, praecipue coctionis ſignis, et ſi ſequitur leuamen criticum, quam ne-

mo prudens cohibet; iuuare autem illam licet, quandoque immiſſis in aluum clyſteribus. Non ſine periculo eſt diarrhoea, in qua multa bilioſa corruptaque deſcendunt, et quae ideo propius a cholera abeſt. Nec bona eſt, cui nauſea ſummaque imbecillitas cum vehementioribus torminibus accedunt. Peſſimi morbi teſtimonium eſt alui profluuium, quod hecticae et maraſmo ſenili ſuperuenit, et quod colliquatiuum vulgo appellatur. Nam hoc, ad vltima ventum eſſe, teſtatur. Interdum ſoluitur diarrhoea ſudore et vrinae profluuio. Diarrhoea diuturna mutatur in alios morbos. Ex ea naſcitur inflammatio, ſi, eductis fluidioribus, craſſiora in vaſis relinquuntur, quibus illa, praeſertim minora, tandem praecluduntur. Ex tali diuturno alui profluuio ſub finem leucophlegmatia, oedema, hydrops, naſcuntur. Nam humida nimis reſoluta, et propter viſcerum atoniam non recte confecta coactaque, propelluntur in vaſa ſecundi generis, quae iisdem exanitis maioribus, praecluduntur. Quare hos homines tandem aqua inter cutim male habet, quibus pedes intumeſcunt, et reliquum corpus emaciatur, tandemque conſumitur.

§. 499.

In curatione diarrhoeae conſiderandae ſunt cauſſae. Nulla vero diarrhoea facile et repente atque quadam vi adhibita, datis vel adſtringentibus, vel ſopientibus, cohiberi debet, ex quibus curationibus alii et ſaepe grauiores morbi naſcuntur. Si diarrhoea orta fuit a refrigerio, vel potu frigido, mox ab initio locum habere poſſunt carminatiua, cyathus vini generoſi, aromate conditi; vini aduſti; Eſſentiae Abſynthii, Corticum aurantiorum, Caſcarillae et ſimilium. Regimen ſimul obſeruandum eſt, et plantis pedum, ipſique abdomini admouenda tegula calida. Ex aromatibus conuenit Cinnamomum, nux Myriſtica, Macis, Piper, Zingiber, Cardamomum. Haec omnia vero perniciosiſſima ſunt, vbi deiectio bilioſa cum febricula eſt. Nam in quauis acrimonia, inteſtina afficiente, praemittenda ſunt abſtergentia

gentia et euacuantia. Aduerſus omnem fere acrimoniam proficit Rhabarbarum in puluere, addito, ſi febricula adeſt, pauco Nitro. Vbi acrimonia acida eſt, conducit, cum Salibus neutrius generis, Magneſia. Quandoque expedit, data Ipecacuanha, protinus et ab initio acrimoniam ex ventriculo excutere. Dari etiam poſſunt Pilulae Becheri, quae commode ad ſcrupulum j. vel drachmam dimidiam cum aqua Meliſſae ſine vino ſoluuntur et aegro exhibentur. Si vero acrimonia eſt ex viſcere putri, qualis eſſe ſolet in fluxu hepatico, nihil mouendum, et nec aluus ducenda, nec facile cohibenda eſt.

§. 500.

Vbi vero praemiſſa fuerunt abſtergentia et euacuantia, vel vbi morbus ab atonia proficiſcitur, danda ſunt roborantia, vinum rubrum, Cinnamomum, omnia ex Cydonio parata, maxime Miua cydoniorum cum aromate. Conducit Caſcarilla in puluere vel in Eſſentia. Dari poteſt Conſerua viſceralis cum cortice Caſcarillae, et in atonia chronica cortex Peruuianus. Cum his proficiunt clyſteres carminatiui dicti. Ventriculo admoueri poſſunt epithemata ex pane toſto, cum ſpiritu ardente ſubacto, addita nuce myriſtica.

§. 501.

Si vero diarrhoea pertinacior eſt, et, accedente magna imbecillitate, ex toto corpore humida in inteſtina confluere videntur, confugiendum eſt ad ſopientia. Et in hoc caſu conducit Diaſcordium Fracaſtorii, vel Theriaca Andromachi. Id vero, quod ſupra de his ſopientibus dictum, iis non diutius inſiſtendum eſſe, et hic repetendum videtur. Victus ſemper cauſſae accommodandus eſt. Multum proficit moderata exercitatio, nocentiſſima eſt Venus. Cibus ſit ex pane bis coćto, ſemine Carui, Aniſi, Foeniculi condito. Potioni praeſtandum eſt decoctum radicis Chinae et Graminis cum vino Gallico Pontac, illo tamen meraciori. De deiectionibus bilioſis occaſione Cholerae dictum eſt. Si

diarrhoea oritur a vermibus, danda ſunt ante omnia anthelmintica, de quibus ſuo loco. Nota huius rei eſt, ſi quandoque vel vermes, vel aſcarides, vel pituita tenacior albicans, per diarrhoeam excernitur. De diarrhoea, quae a viſceris exulceratione oritur, vide ſupra, vbi de Fluxu hepatico diximus. Leuamen afferunt clyſteres ex lacte cum Terebinthina vitello oui ſoluta. In pertinaciſſima diarrhoea, a cruditatibus nata, ſaepe, omnibus fruſtra adhibitis, niſi alia ſint, quae id prohibent, plurimum profuit emeſis per Ipecacuanham.

LIENTERIA ET COELIACA.

§. 502.

Lienteria, ſeu inteſtinorum laeuitas, dicitur, quando alimenta cruda haud mutata, ſed qualia deuorata maſticataque vel epota fuerunt, per aluum excernuntur. Huius morbi ſedes eſt tum in ventriculo, tum in inteſtinis, quorum motus periſtalticus vitiatus eſt. In coeliaca deiectiones chyloſae ſunt, cuius valetudinis ſedes non tam in ventriculo, quam in inteſtinis et meſenterio eſt. Morbi infantibus et ſenibus frequentiores ſunt, quam adultis. Oriuntur a cauſſis variis ſibique contrariis. Lienteria a ventriculo reſoluto, praecipue ſi pylorus, omni robore deſtitutus, inconfectos cibos transmittit, a liquore gaſtrico deficiente vel inerti, id quod fit ex variis cauſſis, ſi tunicae interiores ventriculi male adfectae et ſcirrhoſae factae ſunt. Id frequens eſt vini aduſti potatoribus, nec non qui aquam niuatam ſaepe multumque bibunt. Sed lienteria quoque naſcitur a motu periſtaltico concitatiori, quare lienteriae et coeliacae frequentius obnoxii ſunt infantes, quibus dentes naſcuntur, in quibus hi morbi non raro in neruorum diſtentionem atque epilepſiam tendunt. Alia cauſſa coeliacae eſt in pueris rhachiticis.

chiticis. Nam in his chyli itinera ſeu vaſa lactea ab induratis meſenterii glandulis praecluſa ſunt. Quandoque multa et viſcida pituita, tum ventriculo, tum inteſtinis tenaciter inhaeret, quae motum periſtalticum fieri et chylum in lactea vaſa propelli prohibet. Peſſima eſt Coeliaca ex graui dyſenteria relicta, quae ſignificat interiorem tunicam inteſtinorum eroſam fuiſſe et iam occalluiſſe. Oritur coeliaca non raro a vermibus.

§. 503.

Cauſſarum iſtarum quaedam notae ſunt. Si morbus ab atonia eſt, tunc praeceſſit vel apoplexia, vel colica ſpaſmodica et conuulſiua. Aeger multum dolorem ſentit, faſtidio laborat, et imminet tandem cachexia. Si vero ab irritatione motuque periſtaltico concitatiori morbus natus fuit, eſt aliquid in corpore, veluti dentientes gingiuae, vel acrimonia ab adſumtis, vel alia etiam in alia qua parte delitescens, quae morbum parit. Tunc accedit dolor, teneſmus, et vitium facile degenerat in vehementiorem diarrhoeam vel dyſenteriam. Si a pituita viſcida eſt, eſſe ſolet cum magna inflatione abdominis, anxietate, et pituita crebrius per aluum reiicitur. In rhachiticis alia principis morbi ſigna ſunt, et inter haec, abdomen durum, glandularum fere omnium, praecipue illarum, quae in meſenterio ſunt, tumor, ſumma macies cum voracitate.

§. 504.

Morbi hi ſemper periculoſi ſunt, cauſſarum tamen aeſtimatio neceſſaria eſt. Ex Lienteria et Coeliaca, ſi poſt alios graues morbos, apoplexiam, dyſenteriam, diarrhoeam diuturnam, colicam conuulſiuam, poſt vſum draſticorum purgantium, vel etiam abuſum lenientium, oriuntur, tendunt in tabem, atque in ſenibus in maraſmum, et raro curantur. Res non ita periculoſa eſt in infantibus. Si haec ſymptomata ſunt a dentientibus gingiuis, metuenda eſt neruorum diſtentio. Quae vero lienteria et coeliaca a muco tenaciori

naſcitur, vel a vermibus, tolli poteſt. Quo frequentiores in vtroque morbo ſunt deiectiones, quo magis increbreſcit faſtidium, imbecillitas, febricula et ſitis, erumpentibus etiam in ore aphthis, quo peior eſt faciei color, eo maius eſſe ſolet periculum.

§. 505.

Aduerſus lienteriam, quae a pituita, ventriculo et inteſtinis inhaerente, nata fuit, quandoque promptum auxilium eſt in emeſi. Haec vero in paucis, et non niſi in robuſtis, atque ſi morbus a pituita ortus fuit, ſi aeger multa nauſea ac vomendi conatu vexatur, is vero ceteroquin vomitum bene tolerat, locum habere poteſt. Praemitti tamen debent per aliquot dies digeſtiua ex Salibus aliunde cognitis. Poſt emeticum nihil praeſtantius eſt, quam Rhabarbarum, addito ſale Thermarum Carolinarum, Tartaro tartariſato, vel alio quodam ſale neutrius generis. Vbi tamen his magna vis pituitae reſoluta per aluum deuoluta fuit, conducunt medicamenta reſoluentia paullo acriora: Puluеres vel Trageae ex radice Ari, Pimpinellae, Acori, Coſti dulcis, Zedoariae, Zingiberis, baccis Lauri, Iuniperi, cum Saccharo componi poſſunt. Nec condita aliena ſunt, Calami aromatici, Zingiberis, Nucis myriſticae, &c. Si malum pertinacius eſt, et nec illis auxiliis obedit, dari poſſunt infuſa per epicraſin laxantia, ex vegetabilibus acrioribus, radice Ari, Pimpinellae albae, Bryoniae, herba Fumariae, Cortice Winterano, addita Mechoacanna, Rhabarbaro, et foliis Sennae. Interdum Thermae Carolinae, vel aliae aquae minerales, neceſſariae ſunt, et illae potari debent, datis ſimul Pilulis Becheri. Sub finem conueniunt, quibus inteſtina firmari oportet, Martialia, praecipue Croci Martis, qui pulueribus illis et compoſitioni Birkmanni admiſcendi ſunt. Nec aliena ſunt, quae alibi laudauimus, ex Cydonio parata, Conſerua viſceralis cum Cortice Peruuiano, &c. Etiam ventriculo extrinſecus admoueri poſſunt ſcuta et Balſama ſtomachica.

§. 506.

§. 506.

Cum his aliae quaedam obſeruationes neceſſariae ſunt. Plurimum conducit inedia, ſi hanc per vnum alterumque diem interdum tolerare poteſt aeger. Non negligenda eſt corporis exercitatio quotidiana, et pro modo virium paullulum vehementior. Aër ſiccus ſit, purus, montanus, minime paludoſus. Cibus ex pane bis cocto cum aromate, Nuce myriſtica, Cumino, Aniſo, Caruo, Foeniculo. Conueniunt carnes aſſae, ſi haberi poſſunt, ferarum, piſces vel nulli, vel ſaxatiles. Nocet victus iurulentus, panis calidus, omnis cibus glutinoſus. Potioni praeſtanda eſt aqua fontana, vel cereuiſia valentior cum lupulo; vinum paucum, generoſum, meracius. Plurimum nocet ſomnus et nimius et nimis paucus, Venus et quaecumque negotioſa atque cum cura et ſollicitudine ſuſcepta actio. Si morbus non tam a relaxatis, quam conuulſis inteſtinis et motu periſtaltico aucto, veluti in pueris, dentientibus gingiuis, conceitatus fuit, tollenda eſt cauſſa, quae varia eſſe poteſt. Nec facile et non niſi vrgente neceſſitate, praemiſſis aliis, quae e re ſunt, ad opiata properandum eſt, inter quae eminet Diaſcordium Fracaſtorii. Si Lienteria orta fuit a potu glaciali, corrigi poteſt aromate, condito Zingiberis, radice Ari, aliisque, quae carminatiua vocantur.

DYSENTERIA.

§. 507.

Eſt frequens cruenta purulentaque alui deiectio, cum atrocioribus in abdomine torminibus, teneſmo, accedente frequentius febre. Quibus imminet, illi ab initio ſentiunt nauſeam, flatus, borborygmos, inſolitum alui fluorem et frequentem deſidendi cupiditatem. Quandoque, ſi morbus vel ab adſumtis, vel a contagio cum ſaliua deglu-

tito ortus fuit, praecedit vomitus, qui vero non ita frequens, ac in Cholera, esse solet. Mox increbrescentibus deiectionibus intenduntur tormina, quibus homo cruciatur, interpellato etiam somno. Nulla, vel exigua requies, vehemensque et continuus dolor in ano est. Inter haec tormina exiguum plerumque emittitur, et quo crebrior deiectio est, eo magis illa exasperantur. Quae per aluum descendunt, ab initio aquae similia sunt, mox biliosa, quibus strigmenta cruenta, a principio pauca, mox copiosiora, atque interdum sanguis purus admiscetur. Tandem si profundiori exulceratione exesa sunt intestina, profluunt mucosa, purulenta, atque quaedam carnosa, quae carunculae vocantur. Mucosa si descendunt, vulgus tunc morbum vocat *die weisse Ruhr*, qui etiam nouit, has deiectiones longe periculosiores esse, quam quae cum sanguineis strigmentis fiunt. Illa mucosa proueniunt ab intestinorum tenuiorum tunica villosa, si illa exulcerata atque erosa est; carnosa vero exulcerati plenioris intestini testimonia sunt. Inter haec aegrum sitis torret, qui, si hanc depulsurus bibit, praecipue frigidam vel quamuis potionem fermentescentem, tormina cum deiiciendi cupiditate intenduntur. Pestilens est omnis cereuisia; non raro autem aegri, nisi cum morbo febris et inflammatio sit, optime ferunt vinum modice sumtum. Differentia tamen est inter dysenteriam sine febre, quam benignam vocant, et aliam cum febre, quae praecipue, si epidemica et contagiosa, maligna dicitur. In hac vltima vitari oportet omne, maxime per latrinas, nec non fistulas, per quas lotiones in aluum immittuntur, contagium. Ceteroquin hic morbus numquam a sola natura depellitur, sed is vel maxime artis auxilia requirit. Nihilominus in HIPPOCRATE prostant exempla et Aphorismi, de dysenteria critica insanos lienososque curante. Vide *Aphorism.* 5. *Sect. VII.* et *Aphor.* 48. *Sect. VI.* qui etiam dysenteriam in morbis acutis interdum salutarem fuisse *in Libris de Morbis epidemicis* passim tradidit. Haec crisis apud nos rara esse videtur.

§. 508.

§. 508.

Aliud diſcrimen eſt inter inteſtina, quae laborant. Si exulceratio tenuiora occupat, dolores vehementesque cruciatus ſentiuntur in medio abdomine circa vmbilicum, accedit nauſea, vomitus, non raro animi deliquium, et mucoſa copioſiora excernuntur. In inteſtinorum pleniorum exulceratione dolor non ita acutus eſt, qui praecordia, colon et rectum infeſtat. Quando rectum afficitur, frequentior deſidendi cupiditas eſt, et carnoſa etiam excernuntur.

§. 509.

Cauſſa huius morbi ſingularis eſſe videtur acrimonia, in ventriculum, duodenum, omniaque inteſtina contracta, quae ex varii generis humidis fermenteſcentibus, ex ſaliua vitiata, ſero et ſudore repreſſo, bile flaua, acri ſucco pancreatico, pituita ſalſa, enata eſſe videtur. Illa acrimonia talis eſt, vt ea per moram caloremque intendatur, nocentior fiat, atque etiam ſerpat, donec tandem ab ea inteſtina roduntur exulceranturque. Haec enim cauſſa eſſe videtur, cur illa contagione nocent. Naſcitur ex variis occaſionibus. Autumno ex cereuiſia vappida et aceſcente, non recte per fermentationem defecata, muſto, fructibus horaeis, auſteris, nondum maturis, vel rore maligno infectis corruptisque. Eo corripiuntur, qui corpus per diem multum exercent, vel ſi vino ſe ingurgitant, noctu autem ſe frigori ſub ſomno exponunt. Plurimum conferunt tempeſtatum viciſſitudines, aër paludoſus, impurus et putri halitu foedus, qualis in caſtris ſaepe eſſe ſolet. Dyſenteriam, quae nec epidemica eſt, nec contagioſa, aliquando faciunt draſtica purgantia ex colocynthide, ex antimonio vel Mercurio, Eſula, et ſimilibus. Interdum oritur a vermibus et ab adſumtis venenis, raro a puſtulis vlceribusque cutim exaſperantibus, ſi haec fuere reprimentibus curata. In hoc morbo defunctis gangraena affecta reperiuntur inteſtina.

§. 510.

Plures etiam in hoc morbo ſunt notae, quae vel ſpem, vel periculum oſtendunt. Dyſenteria epidemica, etiam ea, quae cum febre eſt, interdum ſolet eſſe benignior, interdum periculoſior. Illa tamen, quae mox cum febre incipit, maligna dicitur, quae maiorem metum facit. Haec tamen longe peior illa eſt, quae ab initio ſine vlla febre eſt, et cui haec poſt aliquot dies cum aliis malis ſignis ſuperuenit, quum haec inflammationis ortae indicium ſit. Quae cum febre eſt, maius habet contagium. Peior dyſenteria eſt ab aëre paludoſo, aquis impuris et contagio orta, quam quae ab adſumtis et ingluuie fuit contracta. Peſſimus morbus eſt ex nauſea et timore ortus, praecipue in hominibus imbecillis et meticuloſis; phthificis, hecticis, ſenibus ex morbo conualeſcentibus, ſaepe funeſtus eſt, ex quo etiam plethorici periclitantur. Quo vehementius vrgent ſymptomata, aeſtus, tormina, vomitus, teneſmus, ſitis, animi deliquium, anxietas, debilitas, delirium, eo maius periculum imminet. Vomitus ſpontanei in morbo, qui a cruditatibus fuerunt orti, ab initio ſalutares ſunt; ſed in morbo epidemico et contagioſo vomitus bilioſi, qui etiam a primis initiis fiunt cum ſumma anxietate et repentina imbecillitate, magnum metum faciunt, maiorem, ſi cruenta vomitu reiiciuntur. Si aucto conſiſtenteque vel ad ἀκμὴν perducto morbo, maxime, ſi is cum febre eſt, tormina ſubito conquieſcunt, ita, vt aeger ſe melius habere videatur, is vero de ſumma imbecillitate conqueritur; ſi nigra magnum foetorem halantia ſine voluntate per aluum deuoluuntur; ſi ſuperueniunt ſudores frigidi; ſi arteriarum ictus debiles fiunt et inaequales; ſi intenti tendines ſub digitis tangentis Medici mouentur, mors in propinquo eſt. Hanc etiam denunciant aphthae, faucium inflammatio, deglutitio ſonora, ſingultus, petechiae erumpentes, et ſi membra inhorreſcant. Aluus bona, ſi ſtercus deſcendit, vel proluuies cum ſtercore remixta; peſſima, pallida, pinguis, et ſi mucoſa vel carnoſa

carnoſa excernuntur. Crebrior deiiciendi cupiditas mali morbi teſtimonium eſt, et magnam humidorum acrimoniam eſſe ſignificat, qua morbus multum intenditur. Ructus et flatus ſine fecibus erumpentes, boni ſunt. Interdum morbus in hydropem vertitur, id quod iis accidit, qui eo oppreſſi nimium aquae vel ptiſanae potauerunt.

§. 511.

Mature auxilia aduerſus hunc morbum capienda ſunt, et protinus expellenda eſt mala materia. Quamuis inflammatio inteſtinorum omnibus, qui in hunc morbum incidunt, immineat, nihilominus tamen raro ſanguinem mittere oportet, id quod in plenioribus vel plethoricis interdum fieri poteſt. Sed educenda eſt illa mala materia per accommodata emetica et purgantia. Inter priora eminet Ipecacuanha, quae vel ſola dari poteſt ad ſcrup. j. vel drachmam dimidiam, vel addito protinus Rhabarbaro. Hoc mox ab initio fieri oportet. Efficax eſt haec radix non ſolum iis, quibus morbus ab adſumtis ortus fuit, ſed etiam in aliis, qui per contagionem eo ſunt impliciti. Nam contagium in alia corpora penetrat per ſaliuam, quae per noxios aegrotantium halitus infecta corruptaque in ventriculum defertur, atque hunc mouet et nauſeam facit. Confert hunc malum humorem protinus per emeticum expellere, et ſic, quo minus vltra ſerpat, prohibere. Etiam ſecta cadauera demortuorum oſtendunt, fellis receptaculum tumore et multa acerrimaque bile plenum eſſe, quae vomitu ex eo excutitur, vt illa poſt vel ſupra, vel infra poſſit efferri. Vomitionem neceſſariam eſſe oſtendunt nauſea, et ſi acris materia ſupra erumpit. Emetica aliena ſunt, vbi morbus iam adoleuit, praecipue ſi is cum febre et inflammatione eſt. In eo morbo, vbi protinus cum torminibus febris incurſat, non niſi a primis initiis vomitus ſalutaris eſt. Qui puluerem Ipecacuanhae auerſantur, quem optimum eſſe compertum habemus, iis dari poteſt infuſum cum aqua, quod etiam diuiſum, interpoſitis aliquot horis, poteſt offerri. Superbibat

bibat aeger multam calidam, adiecto oleo amygdalarum dulcium recenti, butyro ſine ſale, vel adipe quadam dulci. Cum his vero in aluum immitti debent lotiones emollientes, quae tanto magis neceſſariae ſunt, ſi ex ſupra dictis notis intelligitur, inteſtina craſſa potiſſimum adfecta eſſe. Praemiſſo emetico, mox dari debet Rhabarbarum, purum, tritum, optimum. Adiici poſſunt abſorbentia. Quales pulueres tertia quartaque hora dari poſſunt. Plures etiam laudant Pilulas Becheri, aqua Meliſſae vel etiam Vino Rhenano ſolutas. Sed illae efficaciores viſae ſunt ad morbum auertendum, quam ad eum, ſi hominem iam tenet, depellendum. Potioni praeſtanda eſt ptiſana ex hordeo, hordeo excorticato, radice Scorzonerae, addito Cornu cerui. His admiſceri etiam poteſt gelatina Cornu cerui. Bene ferunt aegri vinum, etiam pauperes, non valde meracum, quod, vbi aeſtus vrget, alienum eſt. De omnibus vero, maxime de vino, illud tenendum, morbos epidemicos, quoad ſymptomata et ipſa etiam auxilia, multum inter ſe differre, vt id, quod olim profuit, alio tempore, et ſi ſimilis morbus iterum inceſſit, noceat. Victus optimus eſt ex auena excorticata et hordeo excorticato.

§. 512.

Si his ſymptomata aliquantum leuantur, tormina nonnihil quieſcunt, et aegro non tam frequens deſidendi cupiditas neceſſitasque eſt, oportet dari quaedam, quibus inteſtina firmantur atque venter parum adſtringitur. Inter haec Cortex Caſcarillae vel in puluere ad gr. x-xij. vel in Eſſentia reliquis praeferri debet. Conducit etiam infuſum aquoſum ex ſemine Carui et Foeniculi. Si dolor in ano et teneſmus diu manet, quod intus mucus inteſtini abraſus fuit, leuamen adferunt lotiones ex lacte pingui, quod cum Oryza vel emollientibus coqui, et, addito oleo dulci, in aluum immitti poteſt. Si nihilominus dolor in ano et teneſmus perſeuerant, experiri licet Diaſcordium Fracaſtorii. Ad tormina lenienda proficit oleum amygdalarum dulcium,

cuius

cuius aliquot cochlearia cum calida deglutiri poſſunt. Videndum tamen, ne illud eodem tempore cum Rhabarbaro detur, cui id contrarium eſt. Nocent doloresque intendunt omnia dulcia ex ſaccharo vel melle parata. In victu oua recentia ſorbilia concedi poſſunt, ſi morbus a cruditate acida ortus fuit; nocent, ſi morbus epidemicus, contagioſus, et cum magna febre eſt. Aeger vitet nimium calorem et omne frigus; quem ſemper bene veſtitum et ſtragulis opertum eſſe iuuat. Vtile eſt decoctum herbarum emollientium calidum, quod aegro, ſellae familiaricae inſidenti, ſupponatur.

§. 513.

Haud ita pridem repertum eſt nouum medicamentum aduerſus dyſenteriam, Cortex ex America adlatus, *Sima rouba* dictus. Eſt Cortex albicans, aſperior, qui maſticatus amaricantis ſaporis eſt. Si ex aqua coquitur, decoctum ſpumoſum quaſi lacteſcit. Huius et puluerem ad gr. xij. vel ſcrup. j. et decoctum valde laudant. Miris laudibus hunc corticem efferunt, omnes tamen conſentiunt, praemittenda eſſe euacuantia, inprimis Rhabarbarum, immo DEGNERVS decocto adiecit Tincturam Rhabarbari. Aliud ſpecificum extollunt, *radicem Salab.* De Sima rouba vide Obſeru. IVSSIEV in *Commentar. Acad. Reg. Scient.* 1729. *p.* 42. et in *Quaeſtione medica* anno 1730. ab eodem Pariſiis propoſita. *Voyage du Cheualier de* MARCHAIR *en Guinée, par le Pere* l'ABAT, *Tom. II. p.* 154. et ex hoc *Commerc. litterar. Norimb.* 1731. 32. 33. inprimis, DEGNERI *Hiſtoriam medicam de Dyſenteria bilioſa contagioſa* et ex recentiſſimis GEOFFROI Tr. de *Mater. medica Tom. II. p.* 211. De Radice Salab, quae Orchidis genus eſt, vid. SEBA *in Theſauro Tom. II. Tab.* 83.

§. 514.

In dyſenteria, quae cum febre incurſat, caute agendum. A primis mox initiis Ipecacuanha et Rhabarbarum dari

dari poſſunt, quae, vbi febris iam adoleuit, aliena ſunt. Vbi tormina aliaque ſymptomata vehementer vrgent, vtilia ſunt diluentia, et inprimis ſerum lactis copioſum, tum ore ſumtum, tum in aluum immiſſum. Cum hoc proficiunt Emulſiones dilutiores ex ſemine Cardui Mariae, Papaueris, Amygdalis, additis terreis, Matre perlarum, Cryſtallo montana. Haec dyſenteria nec tonica patitur, nec opiata. Leuamen adferunt Clyſteres cum Terebinthina. Aeger ſe contineat, cui paucus, non alius cibus detur, quam tenuis maxime et lenis, ex auena, hordeo et ſimilibus. Si neceſſarium videtur inteſtina firmari, praebeatur ſerum lactis, in quo ferrum candens iterum atque iterum fuit exſtinctum.

COLICA.

§. 515.

Eſt ſpaſmus vehementior fibrarum carnoſarum in inteſtinis, a quibus motus periſtalticus proficiſcitur. Quamuis nomen habet a colo, non tamen in hoc ſolo morbi ſedes eſt, ſed in tenuioribus etiam inteſtinis, cum quibus partes propinquae, Meſenterium atque Meſocolon, afficiuntur. Differt Colica a morbo iliaco, quod in hoc vera inflammatio eſt cum febre, vomitu, quo etiam ſtercus per os redditur, et dolore, qui eadem ſede manet. In Colica vero dolor ſe per breue tempus remittit, mox repetit atque iterum intenditur, vagus eſt, mox hanc, mox aliam partem cruciat. Colica ingraueſcens in Iliacum morbum vertitur. Differt a nephritide, quae cum Colica eſſe ſolet, quod in ea dolor lumbos prae ceteris premit, accedente teſticulorum contractione moleſta atque pedis ſtupore. Vrina in nephritide ab initio vel ſuppreſſa, vel aquae ſimilis, leuato dolore, arenoſa eſt. In colica vrina pauca, craſſa, ex qua cauſa etiam deſidunt. Nulla colica ſine periculo, hoc-

que

que maius eſt, ſi hominem acerbior dolor repente inuadit, eique accedit frequens vomitus, ſingultus, horror. Si acerbiores dolores ſe ſubito ſine praeuia excretione remittunt, grauitatis autem ſenſus in abdomine remanet, ſi cum his vires magis et magis decedunt, et extremae partes frigeſcunt, mors inſtat.

§. 516.

Varia ſunt Colicae genera. Diſtinguitur vulgo in nephriticam, bilioſam, ſanguineam, ſpaſticam ſeu conuulſiuam, et illam colicam Pictonum: de quibus ſeorſim. De nephritica olim retulimus. Bilioſa conuenit cum Cholera, nec aliam curationem poſtulat. In flatulenta eſt magna inflatio ventris, in quo ſonitus hinc inde deuoluti audiuntur; dolor acerbus circa vmbilicum mouetur, qui ſemper cum grauitatis ſenſu eſt, interdum intenditur, et ſic cruciat hominem, vt grauiora ſymptomata metuenda ſint. Infra nec aluus, nec ſpiritus transmittitur, et non raro fiſtula, per quam lotiones in aluum immittuntur, aegre ei inſeritur. Magna anxietas eſt, cum pallore, nauſea, vomitu, et ab omni cibo vel potu dolor intenditur. Soluitur, ſi aluus coacta duraque vel ſpiritum reddit, vel ſi cruda ante morbum aſſumta euomuntur. Morbus hic in plerisque poſt frigora oritur cruditatesque, ab adſumtis videlicet alimentis duris, oleribus, leguminibus, carnibus ſubrancidis, ſuillis, veruecinis, praecipue ſi ſuperbibitur frigida vel potio feculenta. Multum confert, ſi cibi non recte fuerunt maſticati. Inter rariores cauſſas ſunt vermes in infantibus, aliquando aliena per errorem deglutita. Malum aſperius fit, ſi inteſtina imbecilla reſolutaque ſunt. His enim prae ceteris accidit, vt ab intus haerente ſpiritu, qua parte inflata, altera parte concitatis ſpaſmis conſtricta torqueantur. Nulla colica ſine periculo eſt. Si enim haec inflammationi non ſuperuenit, inteſtina, quae doloribus vexantur, facile inflammantur. In his vero inflammatis incluſus aër rarior fit, quo inflatio, et ex hac periculum augetur. Si colica, cui a

flatibus nomen eſt, diu manet atque ingraueſcit, illa ſub finem in conuulſiuam degenerat. Tandem inteſtina prorſus reſoluta aluum ſpiritumque non exprimunt, ſed non ſentiente id aegro transmittunt, quibus vero morbus haud leuatur, ſed vitam finitam eſſe denunciatur. Hoc etiam in ileo morbo, et ſi in hoc inflammatum inteſtinum gangraena afficitur, fieri, ſupra retulimus.

§. 517.

Curationis initium faciendum eſt cum clyſtere emolliente. Ab initio decoctum emolliens, idque paucum, iterando tamen, in aluum dari oportet. Id maxime requiritur, ſi ſtercore duro atque copioſo colon praecluditur. Si his aluus non ſoluitur, emollitis durioribus, in eam infundenda ſunt paullo acriora: Sal Gemmae aqua ſolutum, Petum, quod cum aliis emollientibus coquitur, Elixir Proprietatis, Electuarium de Hierapicra. Inter efficaciora eſt fumus Peti, qui etiam in aluum datus ſpaſmos concitat vehementiores, quibus contenta eiiciuntur. Cum his ore ſumat aeger leniora aperientia. Multi vſus ſunt Pilulae Becheri, ſi ſoluuntur vino Rhenano, vel aqua Meliſſae ſine vino. Si vero lubricantia deſiderantur, dari poteſt oleum amygdalarum dulcium cum Manna, vel Apozema ex Manna, Cremore Tartari, Paſſulis. Omnia acriora purgantia aliena ſunt, quibus facile Colica conuulſiua et inflammatio excitatur. Abdomini illinienda ſunt olea cocta, Anethi, Chamomillae, Caſtorei, admiſtis oleis deſtillatis carminativis. Vitandum eſt omne frigus, et multum proficiunt fomenta, ex decocto herbarum emollientium, quae in ſella familiarica ſubiiciantur. Veteres, vt vrgentes dolores diſcuterent, et ab inteſtinis auerterent, cucurbitulas abdomini et huius variis ſedibus admouerunt. Iapanenſes plantas pedum ferro candente, vel abdomen impoſita Moxa adurunt et colicae dolorem leuant. Si aluus aperta fuit, plerumque omnis dolor conquieſcit. Si vero nihilominus dolor manet et vrget, danda ſunt alia, quibus aluus ſine moleſtia ducitur:

tur: Pilulae Becheri, Cremor Tartari ex iuſculo calido ad drachmam j. vel vnam cum dimidia, Rhabarbarum cum Tartaro tartariſato. Nec aliena ſunt abſtergentia, praecipue Liquor terrae foliatae Tartari cum ſpiritu Nitri dulci. Tandem vero confugiendum eſt ad carminatiua: Eſſentiam Abſynthii, Gentianae rubrae, Corticum aurantiorum, addito Liquore anodyno. Raro opus eſt, vt aduerſus dolorem dentur ſopientia, de quibus alibi dixi. Superato morbo, vtilia ſunt Tonica martialia. Imperanda eſt abſtinentia, et potiſſimum omnis repletio omneque crudum, et illud, quod morbum fecit, vitandum eſt.

§. 518.

Si colica flatulenta cum inteſtinorum reſolutione et atonia eſt, id quod ſcire poſſumus ex cognita aegri natura, maiori inflatione et pertinaciori alui obſtructione, nimium emollientia nocere poſſunt. Alienum eſt oleum amygdalarum dulcium; meliores ſunt Pilulae Stahlii, quibus ſuperbibatur infuſum atque decoctum ſeminis Carui, vel ex aqua, vel ex cereuiſia. Nec alienum eſt infuſum florum Chamomillae. Clyſteribus vtendum eſt, quibus adiecta ſunt carminatiua. Multum iuuat, ſi abdomen faſcia conſtringitur, et quantum res permittit, ei fricatio adhibetur.

§. 519.

Colica ſanguinea eſt, quae alioquin in viris *haemorrhoidalis* dicitur. Oritur plerumque in foeminis, quibus catamenia, et in viris, quibus haemorrhoides non proueniunt, ſi has excretiones molitur natura, vel ſi aliud quid eſt, quod vitalem ſanguinis motum in abdomine turbat. Cognoſcitur ex aegri natura, aetate, morbis praegreſſis, et ſi menſtruorum et haemorrhoidum profluuium ſuppreſſum eſt. Spaſmi ſunt vehementiſſimi, quibus vero prae ceteris lumbi coxaeque cruciantur. Facies rubet, aluus adſtricta eſt, abdomen mox inflatum, mox magis contractum. Soluitur facto ex qua parte ſanguinis profluuio, ſi res bene ce-

dit, prouenientibus haemorrhoidibus vel menſtruis. Aliquando eam vomitus cruentus, in ſenibus mictus cruentus, conſequitur.

§. 520.

In curatione huius Colicae omnia calida et carminatiua peſtifera ſunt. Aluus ſoluenda eſt lotionibus emollientibus, addito oleo, melle atque Nitro. Ore ſumi debent aperientia ex Manna, Cremore Tartari, Tamarindis. Vbi aluus reſpondit, nihilominus dolores nonnumquam remanent. Igitur dari debent, nitrum cum Arcano duplicato, Liquor terrae foliatae Tartari cum Liquore anodyno. Si vero his omnibus dolores non leuantur, recurrendum eſt ad ſanguinis miſſionem, ad quam non nimis feſtinandum eſt, praecipue, ſi Colica ex menſium et haemorrhoidum ſuppreſſione orta fuit. Si tamen dolorum ſpaſmorumque acerbitas hoc auxilium requirit, ſanguis ex talo detrahendus. Leuato tandem morbo, et facta vel per artem, vel per naturam ſanguinis excretione, aeger ſorbeat ſubinde infuſum ex floribus Chamomillae, herba Adianthi albi, ſemine Carui, Corticibus aurantiorum. Malum ne reuertatur, auertitur corporis exercitatione, victu idoneo et aliis, quae communia ſunt et ſaepe a nobis relata. Curioſior harum rerum obſeruatio neceſſaria eſt eo tempore, quo haemorrhoides vel menſtrua proueniunt.

§. 521.

Supereſt colica ſpaſmodica vel conuulſiua dicta, quae gradu a prioribus differt, et ab his, ſi vehementer ſpaſmi et dolores intenduntur, naſcitur. Sedem non in ſolis inteſtinis habet, ſed etiam in muſculis abdominis, potiſſimum rectis, qui ſpaſmis maiori vi adducuntur. Abdomen tactu inaequale eſt, ſemper durum, vmbilicus interdum prominet, longe frequentius contractus eſt; dolores intolerabiles ſunt, et non ſentiente aegro ſaepe vrina atque ipſum ſperma exprimitur, tandem totum corpus conuellitur. In corpori-

bus

bus defunctorum quandoque repertum fuit coli, omenti, immo pancreatis aliquam partem per diaphragmatis foramen vel hiatum, per quae neruus intercoſtalis deſcendit, in pectus vsque fuiſſe preſſam. Vid. *Transact. Anglic. Compend. Tom. V. p.* 266. Et aliud exemplum, vbi per illud diaphragmatis foramen, per quod oeſophagus deſcendit, portio ventriculi et duodeni irrepſit *c. l. p.* 265. Infantibus hoc Colicae genus frequens eſt, in quibus oritur a meconio non recte expurgato, a lacte coacto, a vermibus, potu nocturno aceſcente, pultibus ſpiſſioribus, nec non a dentitione, et dicitur noſtratibus: *das innerliche böſe Weſen.* In infantibus tantum metum haud facit, quam in adultis. In his quandoque naſcitur a podagra, a ſcabie aliisque puſtulis et vlceribus repreſſis. Tendit in paralyſin vel gangraenam. Hoc vltimum indicia aliunde cognita oſtendunt. In aliqua ſpe eſt homo, ſi dolor non continuus eſt, ſed ſe quandoque remittit, ſi is locum mutat, et ſi aluus reſpondet.

§. 522.

Non alia curatio eſt huius morbi, quam priorum. Conſiderari debet cauſſa et ex quonam colicae genere hic morbus coeperit. Nocent et quae a pluribus laudantur Opiata et vehementiora purgantia. Aluus ſoluenda eſt tum per lotiones, tum per alia medicamenta iam propoſita. Maſſa Pilularum Becheri ſolui poteſt ad drachm. dimid. cum vino vel aqua Meliſſae, idque tertia quartaue hora repeti. Nec omittenda ſunt fomenta et olea abdomini admouenda, quibus ſuperdari debet tegula calida. Si aeger plethora laborat, optime proficit, ſi ſanguinis plurimum atque etiam iterum detrahitur. Omne refrigerium et omne acre vitare debet. Si medicamenta ore ſumta vomitu reiiciuntur, id quod vix non ſemper accidit, illa debent iterari. Superato morbo firmanda ſunt viſcera.

§. 523.

Non admodum frequens est apud nos Colica Pictonum, quam in India orientali *Berberi* vocant. Dolor est fixus, cum sensu grauitatis circa vmbilicum, et in toto mesenterio fere continuus est, accedit frequens vomitus, cum pertinacissima alui et vrinae suppressione. Si quae per aluum excernuntur, sunt coacta valdeque dura. Aeger conqueritur de torpore et magna imbecillitate. Ille in dies magis emacrescit, vt tandem summa macie tenuatus vix musculos mouere possit, quorum tendines vaginis suis, omni tunica cellulosa defectis, adglutinantur. Morbo ingraueſcente, resoluuntur brachia, non vero aeque crura, id quod huic morbo proprium est. In cadaueribus, teste BONETO, intestina integra reperta fuerunt, et in iis nihil alieni. Morbus endemius est in locis paludosis, si in his homines otio dediti et ingluuiei se vino ingurgitant. Quare ex obseruatione *Caroli* PISONIS *de Morbis ferosis Sect. IV. Cap. II.* hic morbus obseruatus fuit in monasteriis sub eiusmodi coelo sitis, et quorum incolae vitam luxuriosam vixerunt. In nostris terris morbus quandoque obseruatur in metallicis hominibus, si plumbum tractant, nec non in figulis ollas lithargyrio incrustantibus. Vid. *G. W.* WEDEL. in Dissert. *de Colica Saturnina.* Quandoque eo laborant homines, qui ex metallicis, minio, auripigmento, arsenico et similibus pigmenta faciunt. In Belgio iis frequens est, qui Ceruſſam ex plumbo conficiunt. Etiam is oriri potest ex vino lithargyrio mangonisato, de quo Dissertationem scripsit ZELLERVS. In India non solum aër paludosus, sed etiam vinum adustum seu Arak plurimum confert.

§. 524.

Sedes huius morbi princeps esse videtur in mesenterii neruis. Vix probabile est, neruorum minimas fistulas a tali materia praecludi posse, sed id incidere videtur minoribus vasculis membranarum, quibus nerui comprehenduntur. Cur vero brachia et non aeque aliae partes resoluantur,

tur, non ita facile intelligitur. Hoc certum eſt, frigus nocturnum, Veneris abuſum, plurimum conferre. Morbus valde periculoſus eſt, et niſi protinus auxilia adhibeantur, curata etiam colica manet paralyſis. Etiam in ea curanda nocet ſanguinis miſſio, omnis vehemens purgatio, nec non Opium, quod peſtiferum eſt. Feces aluinae induratae protinus per lotiones et medicamenta leniora eccoprotica educi debent. Dari poteſt, poſtquam aluus aperta fuit, Sapo Venetus cum multo lacte, et tandem lac aſininum cum aquis mineralibus per multum tempus potandum. Si anni tempus id permittit, herbae recentes: Fumaria, Cochlearia, Naſturtium, Chaerephyllum, contundi poſſunt, et ex ſero lactis coqui. Pilulae ex Gummi ammoniaco, Sapone et ex compoſitione Becheri cum lacte dari poſſunt. Admodum vtilia ſunt olea emollientia, additis deſtillatis carminatiuis, abdomini illita.

TENESMVS.

§. 525.

Eſt frequens deſidendi cupiditas cum dolore in ano, qui increbreſcit, vbi aliquid, quod plerumque exiguum eſt, excernitur. Plures huius rei cauſſae ſunt. Si materia acris per inteſtina deſcendit, veluti in dyſenteria, cholera, ſtranguria, leuamen afferunt clyſteres emollientes cum lacte et oleo. Si acrimonia tanta eſt, vt ea interiorem tunicam inteſtini erodat, vtiles ſunt clyſteres cum Terebinthina. Dolores ex haemorrhoidibus, praecipue ſi cum his etiam acrior materia inteſtina offendit, requirunt olea lenientia, Verbaſci, Liliorum alborum, quibus ſexta quartaque pars vnguenti de Linaria adiicitur, quae in aluum dari debent. Saepe pruritum excitant aſcarides, de quibus protinus dicam. In grauidis teneſmus oritur, ſi foetus mole

ſua inteſtinum premit, et ſi inteſtinum rectum fecibus induratis vel acrioribus repletum eſt. Teneſmum in his quandoque ſequitur abortus. Auerti poteſt iisdem auxiliis, lotionibus emollientibus, quas minus calidas eſſe oportet, et datis medicamentis eccoproticis. Si poſt euocatam malam materiam ſpaſmi illi non conquieſcunt, dari poteſt Theriaca vel Diaſcordium. Interdum Teneſmus mortis indicium eſt.

VERMES.

§. 526.

Tria horum genera ſunt in homine, lumbrici teretes, infantibus frequentiores; cucurbitini, ex quibus inter ſe cohaerentibus formantur ſic dictae catenae et lumbrici lati. His addunt aſcarides, quae ſunt minores vermiculi, ex quibus adoleſcentibus priores oriuntur. Hae adultis frequentiores eſſe videntur, et vix non ſemper cum ceteris. A lumbrico lato diſtinguunt nonnulli taeniam ſeu faſciam. Haec vero nulla eſſe videtur, et ſi faſcia a lumbrico lato differt, illa, notante VALLISNIERIO, nihil aliud eſt, quam coagulum tenax ex pituita et aliis inteſtinorum humoribus concretum, quod cucurbitinorum nidus fuit. De vermium origine diſputant rerum naturalium curioſi. Videntur eſſe ſui generis, et qui in homine, vt in aliis animalibus, alii, ex femine ſuo naſcuntur.

§. 527.

Non raro difficile eſt ſcire, num in homine, prae ceteris in puero, vermes ſint. Infantes frequentius et quandoque ſubito ſine cauſſa plorant, repente ex ſomno excitantur, et ſic expergefacti pauent et trepidant. Illis copioſior ſaliua ex ore effluit, aluus ſoluta eſt et magna eius inflatio,

quae

quae tamen omnia etiam dentientibus gingiuis fiunt. Paullo certiores notae ſunt vrina cruda, craſſa, pallida; venter durus ac tumidus, quod vltimum etiam rhachiticis incidit. Adultiores pallidi fiunt, conqueruntur de morſicante dolore in abdomine, qui ieiuno ventriculo exacerbatur, poſt ſumtum cibum ſe remittit, mox famem explere non poſſunt, mox omnia faſtidiunt cum foetore oris, et irrito vomendi conatu. Narium etiam pruritum ſentiunt, vt videtur propter conſenſum cum ventriculo. Noui aliquot aegros, quibus aluus per multum tempus fuſior fuit, quae, niſi datis anthelminticis, ſupprimi haud potuit. Certiſſimum ſignum eſt, ſi olim vermes excreti fuerunt. A vermibus grauiſſima mala interdum proueniunt, agrypnia, atrophia, tabes, omnia et horrenda conuulſionum genera, atque ipſa epilepſia et mania, quam HIPPOCRATES iam obſeruauit poſt lumbricum excretum ſedatam, *Epid. Lib. IV. No.* 29. Syncope, alui fluxus pertinacior, cardialgia. Nec haec ſymptomata, praeſertim neruorum diſtentiones, ſi vetuſtas et conſuetudo acceſſit, ſemper poſt exturbatos vermes cedunt, quae ceteroquin in hominibus adultis ſemper maiorem metum faciunt, quam in pueris. Etiam alii morbi a vermibus exaſperantur, praecipue ſi infantibus dentes gignuntur. In morbis acutis ex iis magnum periculum eſt, et ſi ſponte, vel per aluum, vel per os efferuntur, mors plerumque in propinquo eſt.

§. 528.

Aluntur, vt videtur, vermes dulcibus, et nidulantur in viſcido, quare ſemper cum iisdem magna vis pituitae eſſe ſolet, quae datis anthelminticis quandoque ſola exturbatur. Frequentes ſunt pueris, qui mellitis et ſaccharo abutuntur. Necantur amaris et ex Mercurio paratis, ſuffocantur etiam oleo. Si vermes mortui in inteſtino relinquuntur, putreſcentes magnos quandoque morbos mouere poſſunt. Tolerabiliores ſunt lumbrici teretes, qui facile expelluntur; aegre obediunt lumbrici lati, vel illi ſic dicti cucurbitini.

Proſtant obſeruationes, vbi vermes, ex ventriculo per ſtomachum aſcendentes, in faucibus ſuffocationis periculum attulerunt.

§. 529.

Medicamenta, quibus vermes tolluntur, dicuntur anthelmintica. Horum varia genera ſunt. Nonnulli huc referunt lac, mel, ſaccharum, quae vero vermibus minime nocent, ſed potius, dum illos nutriunt, aliquod leuamen adferunt. Oleum necare poteſt aſcarides, ſi vel ore ſumitur, vel in aluum immittitur, et in ea diutius continetur. Sunt alia anthelmintica amara, quae vel vermibus inimica ſunt, vel motum inteſtinum augent, vt eo facilius vermes excuti poſſint, quo etiam referri debet Limatura Martis, et, quod recentiores Britannici ſcriptores extollunt, Stannum in puluerem tritum, Cornu Cerui vſtum, Oſſa Sepiae. Ex mercurialibus et ipſum decoctum Mercurii crudi, Mercurius dulcis, Aethiops mineralis cum ſaccharo remixtus, vel Mercurius crudus cum pauca Terebinthina tritus et cum ſaccharo remixtus. Inter medicamenta vulgo ſpecifica dicta fere optimum eſt Semen Santonici ſeu Cinae, modo illud recens, non carioſum ſit, cuius gr. X-XV infantibus, ſcrup. j. ad drachmam dimidiam adultis dari poteſt. Extollunt etiam Muſcum Corallinum. Aſa foetida et Galbanum etiam aliquam efficaciam habent. Anthelminticis adnumerant plura, quae longe frequentius fallunt. Ex his ſunt radix Angelicae, Ariſtolochiae, Carlinae, Allii, Cepae, Dictamni albi ac Cretici, Galangae, Gentianae rubrae, Rhei, Squillae, Zedoariae; herba Abrotani, Abſynthii, Agrimoniae, Centaurii minoris, Rutae, Scordii, Trifolii fibrini, Tanaceti; ſemen Aurantiorum, Sinapi; Aloë, Myrrha, Galbanum, Sagapenum, Opoponax, Aſa foetida, cortex Peruuianus. Ex animalibus Cornu Cerui vſtum, ipſi lumbrici ſiccati et in puluerem redacti. Nec minus acidulae, thermae, Sal communis, aqua marina, Aurum fulminans, Camphora, Amygdalae amarae et alia huc referri ſolent.

§. 530.

§. 530.

Si anthelmintica dare animus eſt, videndum eſt, ne homo eo tempore febre vel alio morbo laboret. Imperanda eſt per aliquot dies abſtinentia, et non niſi cibus minus valentis materiae et cuilibet aetati accommodatus, isque paucus dari debet. Expurgandae ſunt ante omnia primae viae alio conueniente catharctico, in infantibus Rhabarbaro. Si Mercurium dare volumus, neceſſe eſt, vt aeger per aliquot dies ab omni acido et ſalſo abſtineat, et vt nec vinum, nec cereuiſiam bibat. Poſt danda ſunt anthelmintica ſemper ieiuno ventriculo. Aeger etiam poſt ea adſumta per aliquot horas abſtinere debet ab omni cibo potuque. Cum infantibus caute agendum eſt. Praeſtat anthelminticum dividere, et vnam partem veſpertinis, alteram altero die, horis matutinis dare. Fere efficaciſſimum eſt, ſi datur Mercurius dulcis rite paratus cum tripio ſacchari tritus. Fere magis tutus eſt Aethiops, non vero ita efficax. Semen Santonici tritum cum melle vel cum Conſerua et Syrupo florum Perſicorum in bolum formari poteſt in adultis. Poſt adſumtum Mercurium ſuperbibatur aqua, qua etiam eluendum eſt os faucesque. Protinus et ſi altera doſis horis matutinis data fuit, veſperi dari debet medicamentum catharcticum, quod vero, ſi Mercurius datus fuit, nullam ſedem habere debet. Fere optimum eſt Maſſa pilularum Becheri vel puluis ex radice Ialappae cum Diagrydio ſulphurato. Proſtant etiam medicamenta, quae, extrinſecus abdomini illita, vermes exſtirpare dicuntur: Fel Tauri, Vnguentum Agrippae, quae vero non ita tuta ſunt. Etiam clyſteres componuntur, qui, ſi aſcarides in inteſtino recto haerent, optime proficiunt. Non imitari debemus circulatores, qui ad expellendos viuos lumbricos aliis ſiccatis vtuntur.

DE VRINAE EXCERNENDAE DIFFICVLTATIBVS.

STRANGVRIA, DYSVRIA, ISCHVRIA.

§. 531.

Gradu fere differunt hi morbi. In Stranguria vrina cum magno dolore et cruciatu et quasi guttatim excernitur. Homo, inter mingendum, in vrinae itinere sentit aliquem refrigerii sensum, quem mox ardor insolitus insequitur. Valentius stringitur sphincter vesicae, et vrinae crebra cupiditas, sed magna difficultas est, ac perpetuus teneſmus sphincteris. Huius vitii plures causſae sunt; vrina crassior salibus turgida, vel ab adsumtis et acidis acrimoniam habens. Frequentius igitur Stranguria oritur a cereuisia non defecata, vel iam acescente et vappida, ab adsumtis fructibus austeris, ab adsumtis frigidis, a refrigerio abdominis et pedum, quo spasmi excitantur, ab haemorrhoidibus, ab vlcere vesicae, et vlcere ac fistula ani. In senibus, quibus hoc malum frequens est, id saepe a contrariis causſis nascitur. His enim nimium relaxati sunt musculi acceleratores, quibus non omnis vrina ex vrethra exprimitur, quare pauciores guttae, quae in illa relinquuntur, acrimoniam contrahunt, partes rodunt et spasmum excitant. Tales sibi leuamen afferre possunt, si, vbi vrinam excreuerunt, perinaeum et bulbum vrethrae fortiter digitis comprimunt, et illud, quod vrinae reliquum fuit, sic exprimunt.

§. 532.

Morbus hic, si curatus fuit, facile reuertitur, praecipue, si a refrigerio ortus fuit. Ex vrina, si illa diutius vrethrae inhaeresçit, quandoque minores calculi nascuntur, vel calculi, ex vesica eo deuoluti illisque partibus inhaerentes, increscunt, ita, vt malum in dies adaugeatur, tandemque vera Ischuria oriatur. Curatio causis accommodanda est. Etiam in hoc morbo ante omnia aluus soluenda est, vel lenioribus eccoproticis, vel lenioribus mollientibus, nullo adiecto stimulo. Si vitium ortum fuit a sordibus et acrimonia primarum viarum, remedia illi acrimoniae accommodata, Magnesia, Rhabarbarum, decoctum Rhabarbari cum Tamarindis et Passulis, proficiunt. Distinguendum tamen est acrimoniae varium genus.

§. 533.

Si Stranguria orta fuit a refrigerio, aluus ante omnia soluenda est vel clysteribus, vel Rhabarbaro, optime Pilulis Becheri, aqua Corticum aurantiorum solutis. Cum his etiam conducunt lotiones lenientes in aluum dandae. Post aluum solutam danda sunt carminatiua, Essentia Absynthii, Gentianae, Corticum aurantiorum, Elixir viscerale Hoffmanni, Liquor anodynus, Essentia Castorei. Commode talia vel cum vino meraco, vel cum sorbitione ex floribus Chamomillae, radice Foeniculi, Althaeae, Scorzonerae, semine Foeniculi et Anisi, Cortice ligni Sassafras dantur. Pluribus proficit vinum feruidum cum aromate. Extrinsecus abdomini et perinaeo admoueri possunt cataplasmata ex emollientibus et carminatiuis, adiectis cepis vstulatis, vel panis mellitus vino subactus calidus. Illiniri abdomini potest oleum Anethi, additis aliquot guttulis olei cuiusdam destillati carminatiui. Superimponi debet tegula calida. Si morbus his non cedit, aeger demittendus est in balneum calidum cum lacte vel decocto emollientium. Si in vrina sales abundant, danda sunt diluentia: decoctum Furfuris,

Aue-

Auenae excorticatae, Hordei excorticati, aqua Selterana cum lacte, ſerum lactis, decoctum antinephriticum Foreſti, Emulſio dilutior, quae omnia copioſiora ſumenda ſunt. Si Stranguria oritur a calculo, vel veſicae, vel vrethrae inhaerente, is eximendus eſt. Leuamen affert, praeter iam dicta, oleum Amygdalarum dulcium. Si a gonorrhoea proficiſcitur, huic medendum eſt; ſi vero poſt curatam vel potius cohibitam gonorrhoeam vitium manet, illa reuocari debet, id quod data emulſione fieri poteſt, de qua ſuo loco dicendum. De Senum curatione iam dixi. Semper videndum eſt, vt aluus ſit aperta, et primae viae a ſordibus repurgatae.

§. 534.

Dyſuria eſt vrinae difficultas, ſi vrina cum multo labore atque cruciatu, maxime cum aliquo ardoris ſenſu exprimitur, in qua tamen ſpaſmus vel teneſmus non ita vehemens eſt ac in Stranguria. Cauſſa huius vitii plerumque eſt in ipſis vrinae itineribus. Accuſari vulgo ſolet ſic dicta caruncula, quae intus ſe vrinae et quoque fiſtulae ſeu catheteri, ſi haec immittitur, opponit. Opinio enim fuit, in vrethra ex malis vlceribus, praecipue a gonorrhoea relictis, naſci ex putri carne tubercula ſeu carunculas. Quare etiam huc vsque plures variis adhibitis machinis adniſi ſunt, vt has carunculas exedentibus rodentibusque tollerent. Sectio vero cadauerum docuit, has carunculas vel nullas eſſe, vel oppido raras; vrinae autem iter praecludi vel a cicatrice poſt gonorrhoeam relicta, vel ab intumeſcente illa vrethrae parte, quae caput gallinaginis dicitur, iuxta quod tum glandulae proſtatae, tum veſicularum ſeminalium itinera exitum habent. Interdum et aliarum glandularum, a COWPERO deſcriptarum, ductus excretorii intumeſcunt, et vrinae iter intercludunt. In ſenibus, praecipue mictu cruento laborantibus, id accidere poteſt, ſi vrethrae interior tunica relaxata collabitur, vel ſi venae varicoſae intumeſcunt, atque vrinae iter claudunt. Nonnumquam tamen

men dyſuria per conſenſum fit ex abſceſſu alioue tumore in perinaeo vel circa anum orto, nec non ex omnibus, quibus inteſtinum rectum irritatur, ab haemorrhoidibus coecis, vlcere et fiſtula ani, materia acri per inteſtina deſcendente, ab aſcaridibus. Si vlcus in veſica eſt, difficulter vrina redditur.

§. 535.

Malum hoc ſaepe pertinax eſt, et raro in ſenibus tollitur. Maior metus eſt, ſi id ab vlcere veſicae et huius ceruicis natum fuit. Id terminatur quandoque in hydropem. Curatio cauſſis accommodanda eſt. Si veſica vlcere laborat, danda ſunt lenientia: decoctum Althaeae, Scorzonerae, Glycyrrhizae, Eryngii. Si in veſicae ceruice, vel etiam in vrinae itinere mala vlcera ac fiſtulae haerent, quae alia ratione tolli nequeunt, recentiores laudant ſectionem perinaei, quae vero non ſine periculo eſt. Vid. COLOT *de la Taille*. Si vitium ortum fuit a cicatrice, vel a collapſo atque coarctato vrinae itinere, ductibus etiam glandularum excretoriis materia turgidis, nec non a venis varicoſis, vix in vlla re maius auxilium eſſe ſolet, quam in illis cereis minoribus, ex carbaſo incerato certa ratione confectis, qui bacilli in vrinae iter demitti et per plures dies contineri debent, quibus itinera pedetentim ampliantur. Hi bacilli ab aliis ex emplaſtris compoſitis, adiecto etiam Mercurio, ſtruuntur, et variis etiam vnguentis, antequam demittantur, illiniuntur. In vlceribus his curandis non fidendum eſt Balſamis, quae vulgo laudantur, ſed ſaepe fallunt, et maiores inflammationes concitant. Senibus proficiunt epithemata roborantia, ex herba Maioranae, Meliſſae, Betonicae, Roſmarini, Serpilli, quae perinaeo admoueri poſſunt. Reliquae curationes per ſe patent.

§. 536.

Iſchuria tandem dicitur, quando nulla prorſus vrina excernitur. Huius rei cauſſa vel in renibus eſt, vel in veſica.

ſica. Renes adfectos eſſe, ſignificat dolor lumborum, ſtupor femoris et crurum, teſtis retractio, vomitus biliosus. Si vero vitium eſt in veſica, aeger conqueritur de pondere et dolore in hypogaſtrio, frequens eſt mingendi cupiditas, nihil tamen excernitur. Super pectinis oſſa tumor digito occurrit, ſi hic in anum demittitur. Cauſſae praegreſſae notitia diagnoſin clariorem reddit.

§. 537.

Morbus periculoſus, et de renibus, obſeruatione HOLLERII aliorumque, compertum eſt, affecto vno rene ſecretionem quoque in altero cohiberi. Deſinit ſaepe in veſicae inflammationem. Tandem ſi aegro occurri non poteſt, is delirio, morbo ſoporoſo, et ſub finem neruorum diſtentione exſtinguitur.

§. 538.

In renibus naſcitur ex plethora, ſi ſanguis abundat craſſiorque eſt, vt ſerum non commode ſecerni poſſit. His medemur ſanguinis miſſione, fricatione artuum, corporis exercitatione, dato potu diluente, ipſis etiam acidulis. Rarius hoc fit a lentore ſanguinis ſeu ſuperabundante viſcido. In quo caſu, purgatis prius primis viis, danda ſunt reſoluentia: Gummi ammoniacum cum Oxymelle ſquillitico, aquae diureticae, ſuccus Millepedarum viuarum cum vino contritarum ad num. xv. - xx. Aquae diureticae, Petroſelini, Fragorum, praecipue vero aquae minerales. Si renes ſpaſmis afficiuntur, ex variis cauſſis vtrumque accidere ſolet, vt quandoque parcior vel nulla, quandoque copioſior vrina ſecernatur, quod vltimum deprehenditur in hyſtericis. His ſpaſmis medetur Nitrum, decoctum emolliens, compoſitio FORESTI, Emulſio cum ſemine Papaueris et pauco nitro. Iſchuria etiam oritur a paralyſi veſicae, ſi, fractis lumborum vertebris, ſpinalis medulla laeſa, et veſica ſe contrahere nequit, quae res nullum auxilium habet. Ex hoc plerumque contrarium vitium naſcitur, et ſub finem vrina ſine voluntate

tate deſtillat. Si Iſchuria orta fuit a ſanguinis coagulo in veſicam contracto, is concretus quandoque ſpaſmis per vrethram exprimitur, et dicitur Mictus vermiformis. Quandoque purulenta ex renibus deſtillant et in veſicam contrahuntur, quae omnia remoueri debent cathetere immiſſo. Iſchuria oritur a valde diſtenta et dilatata veſica, ſi vrina diu retenta fuit, immo inde quandoque, quamuis rarius, oritur hernia veſicae, de qua in Chirurgia dictum fuit. Huic incommodo mederi poſſumus leni compreſſione et fricatione tumoris, ſi nempe is ſuper pectinis oſſa atque inguine conſpicitur, vel tactu ſentitur. Magis tamen ſecurum eſt auxilium per catheterem. Si id, quod in ſenibus et poſt frequentiorem partum in foeminis quandoque fieri ſolet, vitium oritur a relaxatis et infirmatis muſculis abdominis, proficit compreſſio per faſciam, fricatio, et admoueri poſſunt extrinſecus cucurbitulae, atque imponi epithemata roborantia. De caruncula ſupra dictum fuit. Si penis non perforatus eſt, in infantibus quandoque is aperiri poteſt. Semper vbi res vrget, properandum eſt ad auxilium per catheterem, et ſi catheter demitti non poteſt, adhibenda eſt paracenteſis veſicae, de qua videnda eſt Chirurgia.

DIABETES.

§. 539.

Eſt humorum crudorum, non ſatis ſubactorum, tranſitus per renes, cum imbecillitate, ſiti, ſiccitate totius cutis atque faucium, lumborum et capitis dolore, ſuperueniente tandem marcore, hectica et oedemate. Aegri ſuper potionum modum mingunt, vrina autem cruda eſt, cum qua ſub finem vel chyloſa, vel alia non mutata aſſumta efferuntur. Nam hoc diſcrimen eſt, vt ab initio illa aquoſa ſit, poſt fiat dulcis et chyloſa, tandem vero, increbreſcente

malo, cereuiſia aliaque potulenta parum vel nihil mutata exeunt. Morbus Veteribus cognitus, ſed rarus fuit; iam fere paullo frequentior, vt videtur, ex nimio calidae potu.

§. 540.

Vrinae nimiae profuſio non ſemper Diabetem ſignificat, ſed ex variis aliis cauſſis incidere poteſt, veluti ſi humor per alias vias excerni ſolitus, prae ceteris ſudor, inſenſibilis exſpiratio, frigore aliisque occaſionibus repreſſi ad renes feruntur. Idem accidit foeminis poſt partum, dum vterus ſe contrahit. Etiam nonnumquam in morbis ſpaſticis humores tenues, aquoſi, relictis craſſioribus, ad renes feruntur. Quare hypochondriaci, et praecipue hyſtericae, ſub exacerbatione magnam vim vrinae tenuis et aquoſae reddunt. Aliquando profluuium criticum eſt, ſi quieſcentes corruptique humores in hydropis variis generibus, praecipue Anaſarca, per has vias eiiciuntur. In febribus acutis et inflammatoriis illud coagulum phlogiſticum ſponte ſua, ſumtis medicamentis diluentibus et ſaponaceis auctoque calore, reſolutum, vi vitae plerumque per ſudorem, nonnumquam per criticum vrinae profluuium excernitur. Etiam vrina copioſior mingitur ab aſſumtis non ſolum aquoſis diluentibus, ſed etiam diureticis, veluti Aſparago, Terebinthina aliisque. Hoc tamen tenendum eſt, in hominibus infirmis copioſiorem vrinae tenuis et aquoſae excretionem, ſi nulla alia eius cauſſa eſt, ſaepe ſignificare magnam infirmitatem viſcerum, viſciditatem humorum et futuram cachexiam.

§. 541.

Vbi vero Diabetes imminet, ab initio in vrina ſaepius albicantia et farinoſa conſpiciuntur, quae humores et aſſumta non recte ſubacta eſſe ſignificant. Accedit lumborum dolor, ſiccitas oris et totius corporis. Quae omnia pedetentim increſcunt, vt tandem macies et hectica ſequantur.

§. 542.

§. 542.

Cauſſa huius morbi eſt vel atonia viſcerum et crudi-tates primarum viarum, vel, vbi morbus adoleuit, ſumma atonia tubulorum BELLINI, qui relaxati humorem non ſecernunt, ſed crudum tranſimittunt. Occaſionem dare poſſunt varia, quibus chylificatio laeditur; otium et torpor, aſſumta viſcida, glutinoſa, potus nimius, praecipue diluens, tenuis, fermenteſcens, abuſus medicamentorum, immo Thermarum et Acidularum. Vino aduſto diu multoque poto, tandem fibrae rigidae fiunt, atque ad motum idoneum praeſtandum ineptae, quare et hinc Diabetes et Cachexia non raro ſequitur. Morbus periculoſus eſt, qui hectica finitur. Opitulandum eſt mox ab initio, et antequam tubuli BELLINI laxiores fiunt. Si in viſceribus labes eſt et febris accedit, homo in praecipiti eſſe ſolet.

§. 543.

In Curatione, ſi primae viae laborant, illis ſuccurrendum eſt; ſi viſcidum occupat ventriculum et duodenum, id quod ex ſignis ſuis intelligitur, ab initio, ſi id per vires aliaque licet, non alienum eſt emeticum. Cum hoc, vel huius loco, iteratis vicibus dari debet Rhabarbarum, vel in puluere, vel in infuſo vinoſo, cui vltimo adiici poſſunt reſoluentia minus acria, radix Polypodii, Glycyrrhizae, Cichorei, Scorzonerae, Vincetoxici, herba Agrimoniae, Meliſſae, quale infuſum parari poteſt ex aquae et vini non admodum meraci aequis portionibus. Victus his accommodandus eſt. Euitetur omne iurulentum, omnis potio ex frumento, omnisque ſorbitio calidae. Aeger bibat aquam fontanam, et hanc, quantum fieri poteſt, paucam, cum vino gallico Pontac, vel potioni praeſtari poteſt decoctum meracius radicis Chinae, Graminis, cum Caſſia lignea. Si nondum febricula aegrum tenet, magnae efficaciae ſunt balnea frigida, ſaepius iteranda, adhibita poſt haec diuturna et multa totius corporis fricatione. Quamuis balnea,

frigida roborando proficere poſſint, alienum tamen eſt omne, praeſertim repente admiſſum, refrigerium, prae ceteris pedum. Cibus ſit ex alimentis ſiccis, pane bis cocto, carnibus aſſis, ex Cydonio aliisque roborantibus. Maximum praeſidium eſt in abſtinentia et multa diuturnaque corporis exercitatione in aëre libero. Aeger, quantum poteſt, parum bibat, corpus vero per plures menſes valde exerceat. Legitur exemplum apud CORNELIVM *van* TRINEN, vbi homo abſtinentia ſeueriori, aſſumto videlicet intra viginti quatuor horas vno halece, et epotis duabus libris vini Rhenani, ſicque ſiti ferina tolerata, ſibi mederi potuit. Britannici etiam in hoc morbo extollunt corticem Peruuianum. Praemiſſis abſtergentibus, maxime Rhabarbaro et infuſis per epicraſin purgantibus, vtile deprehendimus illud corticis Peruuiani infuſum cum Limatura martis. Alia ab aliis extolluntur, veluti infuſa Malicorii, corticum Aurantiorum, ſeminis Foeniculi, herbae Millefolii, &c. Non prorſus alienum eſt, ſi ſacculi, ex herbis roborantibus compoſiti, ex vino rubro adſtringente, vel aceto expreſſi, frigidi lumbis imponuntur. Vbi morbus adoleuit, omnia fruſtra fiunt.

VRINAE INCONTINENTIA.

§. 544.

Nonnumquam homines, frequentius pueri atque puellae, vt et ſenes, veſicae imperare nequeunt et vrinam continere. In infantibus hoc plerumque dependet a mala conſuetudine, quae non medicamentis, ſed per alia auxilia adimenda eſt. Etiam incidere poteſt a corrupta phantaſia ſub ſomno, vbi videndum eſt, vt ſomnus non turbatus, ſed placidus ſit. Infantes, quibus hoc incidit, a potu aquoſo nimio prohibendi ſunt. Interdum vrina acrimoniam habet,

qua

qua interiores veſicae tunicae afficiuntur et ad contractionem excitantur. Huic medentur potus diluens, ipſa aqua copioſior, emulſiones, decoctum emollientium, oleum amygdalarum dulcium, tum ore ſumtum, tum mediante ſiphone per catheterem in veſicam datum, id quod etiam leuamen adfert calculoſis. Si vitium eſt a gonorrhoea maligna, huic medendum; leuamen afferunt emulſiones. Si vero, id quod ſenibus nec non apoplecticis frequens eſt, ſphincter reſolutus fuit, vitium difficulter tollitur. In hoc caſu, ſi malum recens eſt, extrinſecus adhiberi poſſunt balnea ex roborantibus, et perinaeo admoueri poſſunt epithemata, vel in balneo ſacculi ex herba Betonicae, Roriſmarini, Menthae, Serpilli, Marrubii. Proſunt quandoque Thermae. Admoueri etiam poſſunt ſpirituoſa, vel, qui fere meliores ſunt, ſuffitus ex Maſtiche, Benzoë, Succino, Olibano, Storace, quorum fumus linteis excipitur, quibus perinaeum fricatur. Noctu ſuperdari poſſunt emplaſtra de Tacamahaca et Oxycroceum, vel neruinum, quae oleis deſtillatis conſpergantur. Si haec omnia nihil proficiunt, in viris adhibenda eſt machina, qua meatus vrinarius comprimitur. In foeminis vero, quibus hoc non ſolum ex paralyſi incidit, ſed etiam poſt calculi euulſionem, vel poſt partum difficilem, dilacerato vrinae itinere, leuamen afferunt globuli lignei cera obducti in vaginam immittendi, quibus meatus vrinarius comprimitur, de quibus vide HILSCHERI *Diſſertationem.* Nonnumquam hoc, vt vrina praeter voluntatem exprimatur, epilepticis accidit, in quibus nulla curatio, niſi ſuperato morbo, ſperari poteſt. In grauidis, praecipue primiparis, hoc frequens eſt, id quod non alia ratione, quam partu curatur. Specifica, quae vulgo laudantur, cineres bufonis, erinaceus vſtus, vulua ſuilla, &c. ſpem omnem eludunt. Si fiſtula in perinaeo eſt, quae interdum vel a calculi ſectione, vel a malo vlcere ibi nato relinquitur, videndum eſt, num illa manu Chirurgi curari poſſit, de qua re legatur COLOT. Si vero curatio haec locum non habet, admouenda eſt faſcia cum pila, qua illud foramen comprimitur.

FLVOR ALBVS BENIGNVS.

§. 545.

Est excretio humoris serosi corruptique ex genitalibus mulierum. Foeminis, quae hoc morbo laborant, plerumque catamenia proueniunt vel nulla, vel vitiata. Corpus debile habent; si morbus inualescit, sudor foetorem spirat et facies pallida fit, vrina turbida est, accedit, praecipue tempore menstruorum, languor, nausea, lumborum dolor, anxietas. Humor, qui ex genitalibus fluit, interdum albidus est, quandoque flaueſcens, nonnumquam glutinosus, nonnumquam acris et rodens. Morbus frequens est foeminis, praecipue post frequentem partum, rarus virginibus. Quandoque tamen his euenire solet, si catamenia non proueniunt, si illae munditiem negligunt, vel si tempore catameniorum omnis generis alimento se implent, vel si lasciuiores et tribades sunt. In grauidis, huic vitio ceteroquin haud obnoxiis, interdum humor eo tempore, quo catamenia fluere solita erant, erumpit. Morbus etiam haereditarius est. Relinquitur ex partu, si vterus non satis fuit repurgatus et in eo relicta sunt secundinarum frusta. Multum confert frigus extremorum, nec non fumus carbonum genitalibus admissus. Plurimum tamen etiam ad hunc morbum facit totius corporis imbecillitas, et si foeminae natura infirmae sunt, rhachiticae, aliis morbis obnoxiae, si frequenti vel magna vteri haemorrhagia laborauerunt. Aliquid confert aër humidus, paludosus, cibus crudus ex piscibus, fructibus horaeis aliisque vegetabilibus, abusus medicamentorum purgantium, nec non vita mollis, otium nimium, desideria venerea. Inter causſas etiam sunt thoraces seu vestimenta ex balanaria virga consuta, quibus abdomen comprimitur, et quo minus sanguis per venas remeare possit, prohibetur. Pessimum genus est, quod a malo vlcere in vtero, vel carcinomate nascitur.

§. 546.

§. 546.

Sedes huius morbi esse videtur tum ipse vterus, tum eius vagina. Primum ex eo cognoscitur, quod fluor albus quandoque loco menstruorum prouenire solet, et quod is saepe in iis deprehenditur, quibus aliena quaedam in vtero fuerunt relicta. Menstruorum enim fontes tum in vtero, tum in vagina esse, alibi ostendimus. Fluorem album vero etiam ex vagina prouenire, docent grauidae, quae ei non raro obnoxiae fiunt. Igitur si in vtraque parte vasa excretoria, vel sic dictae lacunae vel glandulae excretoriae, fuerunt relaxatae vel aliter affectae, hoc profluuium nascitur.

§. 547.

Distingui debet ab aliis morbis, praecipue a fluore albo maligno seu venereo, id quod quandoque difficile est, quod foeminae plerumque tergiuersari solent. Si vitium aliquod in vesica vrinaria est, ex hac naturaliter nullus humor, nisi cum vrina, exit. Si vero gonorrhoea venerea est, plerumque humor differt, qui in hac paucus esse solet, sed rodens et cum dysuria. Humor est mox ab initio crassior atque pinguis, immo virideſcens; is omni tempore fluentibus catameniis excernitur, et a sanguine distingui potest. In fluore albo benigno humor dilutior et ptisanae fere similis, nisi in iis, quae magna atque inueterata atonia laborant, in quibus glutinosior esse solet. Molestiam et pruritum maiorem crassioremque experiuntur, dum ambulant, quam priori vitio laborantes sentiunt inter mingendum. Praeterea in iis, quibus morbi nulla adhuc vetustas accessit, plerumque humoris benigni profluuium, prouenientibus menstruis et quamdiu sanguis sincerus effertur, prorsus conquiescit, quandoque menstrua finiuntur. Negandum tamen non est, haec non ita perpetua esse.

§. 548.

Morbus hic valde pertinax est, praecipue si vetustas accessit. Sunt tamen foeminae, quae per totam vitam sine

noxa hoc profluuio laborant. In aliis vero nonnumquam alios grauiſſimos morbos, in corporibus adſtrictis et macilentis hecticam ac tabem, in obeſis cachexiam adfert; id quod frequentius incidit, ſi morbus variis remediis, praecipue adſtringentibus internis et externis, tentatus fuit. Nonnumquam etiam ex tali curatione naſcuntur vehementiſſimae commotiones hyſtericae, ſcabies, purpura chronica, aliaque mala. Optime curari poteſt fluor iunioribus, ſi is ex menſtruis vitiatis, ex alienis in vtero relictis ortus fuit; non facile vero in vetulis et quarum partes atonia laborant.

§. 549.

Si igitur a menſtruorum vitio defectuque ortus eſt morbus, proficiunt omnia, quae de catameniorum vitiis praecepimus: Infuſa per epicraſin laxantia, Pilulae Becheri, Thermae atque Acidulae epotae, et cum his Pilulae Becheri, quae omnia tamen catameniorum periodo accommodanda ſunt. Singularem vſum praeſtant infuſa modo dicta, quae reliquis omnibus anteferenda, nec non Thermae Carolinae. In his caſibus non negligendae ſunt communes obſeruationes. Si plethora vrget, mitti debet ſanguis. Si primae viae glutinoſo laborant, proficit Ipecacuanha et Rhabarbarum. Si puellae Venerem expetunt, ſuadendum eſt matrimonium, et quae ſunt alia. Plurimum conferunt balnea ex emollientibus, vel etiam fotus genitalibus admiſſi, quibus catameniorum legitimum profluuium quandoque obtinetur. Si morbus relictus fuit a gonorrhoea virulenta non recte curata, dari debet decoctum ligni Guaiaci vel alia compoſitio, quae aduerſus morbum venereum poteſt, cum Pilulis ex Mercurio, cum his Tinctura Antimonii cum Eſſentia Succini, quibus per multum tempus praemiſſis tandem adiicienda ſunt roborantia. Si malus corporis habitus et cacochymia adeſt, remedia profunt, quae maxime aduerſus hanc poſſunt. Si ex atonia genitalium poſt nimium coitum vel nimis frequentem partum abortumque vitium oritur, praemiſſis vniuerſalibus, maxime per epicraſin laxantibus,

adhi-

adhibenda ſunt balnea ex Meliſſa, Mentha, Matricaria, Maiorana, Hyſſopo, Origano, &c. ex quibus etiam ſacculi parari poſſunt, qui in balneo genitalibus et abdomini admouentur. Plurimum proficiunt Thermae Carolinae, earumque vſus etiam externus, ſi illum foeminae debiliores ferre poſſunt. Valde debilibus conueniunt Toeplicenſes, quibus vltimis vero per aliquot ſeptimanas vtendum eſt. Experiri etiam poſſumus ſuffitus ex Tacamahaca, Benzoë, Thure, Maſtiche, in pauperculis ex baccis Iuniperi genitalibus admiſſos. Tandem etiam ſumi poſſunt roborantia interna: Crocus Martis, Succinum praeparatum, Cortex Caſcarillae et alia. Nimium adſtringentia metum faciunt, ne vteri ſcirrhus et alia grauiora mala ſequantur. Cum his foeminae a Venere prohibendae ſunt. Nocent omnia glutinoſa, nimius potus Caffée. Potioni praeſtanda eſt aqua fontana cum pauco vino rubro Pontac, vel decoctum radicis Chinae, Santali rubri, cum pauca Caſſia lignea. Nota ſunt exempla foeminarum, quae ex partu vel abortu maturo ab hoc morbo fuerunt liberatae. Plurimum ad eundem curandum proficit mundities, et ſi genitalia, praecipue menſtruorum tempore, ſaepius eluuntur.

CHLOROSIS ET FVROR VTERINVS.

§. 550.

Chloroſis nomen habet ἀπὸ τῆς χλωρᾶς, ſeu a virideſcente colore, quem foeminae hoc morbo laborantes habere plerumque ſolent. Dicitur aliis pallor, morbus virginum, febris alba, icterus albus. Eſt cachexiae genus, ſexui ſequiori proprium, quo tamen non niſi poſt pubertatis annos affliguntur. Frequentius eo laborant virgines, vel viduae iuniores; nonnumquam in matrimonio viuentes.

Esse solet cum mensium vitiis, quae quandoque morbum faciunt, quandoque a morbo aliunde orto nascuntur. Quibus ille imminet, illis ab initio labra et hypophthalmia pallida fiunt et lurida, post tota facies, et tandem vniuersum corpus, tali colore deprauatum, paullulum intumescit. Foemina conqueritur de insolita lassitudine, respirationis difficultate, cordis palpitatione. Appetitus vel nullus est, vel vitiatus; saepe malacia, quandoque pica superuenit. Pulsus est languidus, vrina pauca, ab initio aquosa, ingraueſcente morbo pallida et crassa. Vix non semper fluor albus accedit. Tales non raro Venerem valde adpetunt, quae desideria quandoque morbum pariunt, quandoque ingraueſcente morbo ab acri humore magis excitantur et increbreſcunt. Hic morbus differt a Leucophlegmatia, in qua tumor corporis maior est. In anasarca cum maiori tumore maior est durities. In ictero color luteus est. Proxime conuenit Chlorosis cum Cachexia, cuius genus est et id foeminis proprium.

§. 551.

Hic morbus frequens esse solet foeminis, quae corpus rarum habent, ab imbecillioribus etiam sic genitis natisque, et quae otio deditae molliter viuunt, corpus haud exercent. Caussa continens esse videtur humor alias excerni solitus in vtero et genitalibus retentus, ibique corruptus, qui post aliis humidis admiscetur, vitium etiam sic contrahunt, vt tandem totus corporis habitus deprauetur. Immo hic humor corruptus tandem genus neruosum cerebrumque afficit, sensus internos turbat, mentemque mouet, quare nonnumquam ex ingraueſcente morbo oritur maniae genus, quod Nymphomaniam vel Furorem vterinum vocant. Sunt vero plures caussae, quae varias se- et excretiones turbant, et hoc cachexiae genus pariunt. Inter has sunt principes omnia, quae chyli sanguinisque et reliquorum bonorum succorum confectionem in corpore impediunt, catameniorum suppressio, viscerum omniumque fibrarum in corpore imbecillitas

cillitas a quacumque cauſſa orta, victus vel crudus atque durus, vel varius ac opiparus, calidus, multo aromate vel cepis conditus, nimiae calidae, praecipue infuſi Thée et Coffée potus, potus etiam valentior, et vinum aduſtum, panis acidus, maxime glutinoſus, calidus. Magnam vim habent animi pathemata, praecipue amor moerorque. Inter cauſſas referri debet ſanguinis rubicundi defectus, vel propter viſcerum et pulmonum inprimis imbecillitatem, vel ſanguinis crebriores miſſiones. Nec minus etiam haec vitia a plethora oriri poſſunt, ſi hac humorum circuitus tardatur et ſe-atque excretiones ſufflaminantur. Plurimum prae ceteris conferunt Veneris deſideria, praecipue ſi haec per phantaſiam excitantur augenturque. De philtris, quantum valeant, res dubia videtur. Inter cauſſas etiam eſt palloris ſtudium, quem ſibi quandoque deuoratis variis heterogeneis epotoque aceto conſciſcere ſolent.

§. 552.

Morbus hic inter initia et ſi cauſſa tolli poteſt, ſine negotio curatur; vbi vero vetuſtas acceſſit, vel ſi cauſſae non tolluntur, victusque non mutatur, corpus non exercetur, ſaepe curari nequit. Deſinit tandem in corporibus raris in hydropem, in aliis in hecticam. In ipſa curatione, ſublatis prius cauſſis cognitis, ante omnia videndum eſt, vt ſeet excretio humorum vterinorum recte fieri poſſit. Quare ſaepe optimum auxilium eſt in matrimonio. Enitendum etiam eſt, vt menſtrua recte fluant, de quibus alibi dictum. Sanguinis miſſio, niſi plethora adſit, nocet. Neceſſaria tamen eſt, ſi in corporibus frigidis medicamentis calidioribus vti volumus. Cauſſae ſedulo diſtinguendae ſunt. Si igitur morbus ortus fuit a viſcerum imbecillitate, adhibenda ſunt omnia, quibus his nouum robur additur. Primum eſt corporis exercitatio, victus ſiccior, panis bis coctus cum aromate, carnes ſiccae, macriores, cereuiſia meracior, pauca, cum lupulo, et cum hac aqua fontana ſaliens vel Selterana. Vinum paucum, ſed meracum, praecipue Gallis

lis Pontac dictum. Cum his dari debent medicamenta mucum et glutinosum attenuantia, amara, nec non sales. Ab initio experiri possumus Sales Cardui benedicti, Thermarum Carolinarum, aliosque neutrius generis et Pilulas Stahlii. Proficiunt etiam infusa cum vino et aqua ex radice Helenii, Gentianae rubrae, Aristolochiae rotundae, Vincetoxici, Costi dulcis; herba Artemisiae, Fumariae, Marrubii, Melissae, addito Rhabarbaro, radice Bryoniae, Sale cathartico, Fibris Hellebori nigri. His tamen non ita facile vtendum, si, id quod saepe accidere solet, morbo neruorum distentio accedit, vel ad minimum vehementiores hysterici motus interdum superueniunt. His mitiora, et praecipue Rhabarbarum solum conducit, et Pilulae ex Gummi Ammoniaco, Galbano, Asa foetida, addito Croco, Myrrha et extracto Cichorei. Prae reliquis autem his proficiunt Acidulae, et inter has prae ceteris Pyrmontanae, nec non in corporibus frigidioribus Thermae Carolinae. Prouide enim agendum est in corporibus imbecillioribus, cum calidiora medicamenta in his facile haemoptysin, vomitum cruentum, et alias sanguinis profusiones mouere possunt, quae non raro funestae fiunt. Quo maior huic morbo vetustas accessit, eo mitioribus etiam aquis mineralibus, sed his diu, et saepe per plures menses, est vtendum. His tunc proficiunt plurimum Spadanae, per duos tresque menses potae. Cum aquis mineralibus dari possunt Pilulae Becheri, vel his similes, Sapo Venetus, vel alia cognita resoluentia. Laudant in iis corporibus, in quibus bilis deficit, vnum alterumque granum bilis siccatae Lucii piscis vel anguillae. Haec bilis mica panis potest inuolui, auro etiam obduci et deglutiri potest. Cum prandio dari possunt Elixiria stomachica alibi laudata.

§. 553.

Si mediantibus his primae viae purgatae fuerunt, et corpus laxum est, adhibenda sunt roborantia. Plurimorum Practicorum obseruatione prae aliis proficiunt martialia, quae

quae vero magnam Medici diligentiam poſtulant. Nocent enim in corpore adſtricto, maxime in plethora, ſi ſanguis nimis mobilis, ater atque craſſus eſt, et vbi primae viae ſordibus prae ceteris glutinoſis laborant. Quare praecipue conducunt poſt adhibita infuſa vel poſt epotas aquas minerales, quae etiam plurimum de Marte participant. Limatura Martis dari poteſt cum Pilulis ſupra laudatis, vel cum Tragea, ſi illa radicibus acrioribus, veluti Pimpinellae, Ari, Zingiberis, Corticibus aurantiorum recentibus, Cortici Winterano, vel compoſitioni Birkmanni adiicitur. Ceteris omnibus praeferri debet infuſum ex Limatura Martis et Cortice Peruuiano cum vino meraco Rhenano paratum. In corporibus raris et ſic dictis phlegmaticis adiici poteſt Cortex Winteranus. Limatura Martis etiam, ex conſilio SYDENHAMII, ab aliis cum vino Rhenano coquitur, et decoctum addito Saccharo in Syrupum vertitur. Martialia interdum ab initio ſymptomata exaſperare videntur. Non tamen propterea vſus eorum protinus intermittendus eſt. Cum his valde neceſſaria eſt corporis exercitatio et diligentior obſeruatio omnium rerum non-naturalium. In exercitatione a lenioribus, et ſi res poſtulat, ad vehementiorem corporis motum progrediendum eſt. Plurimum proſunt fricationes non ſolum abdominis, ſed artuum et totius corporis, cum his faſcia roborans, vel thorax, quibus partes ſolidae conſtringuntur. Inter remedia externa ſunt balnea et thermae, quibus et menſtrua euocantur, et vitiatus humor magis emollitur. Balneorum itaque vſus, repurgato prius corpore, egregius eſt, praecipue, ſi illa cum aquis mineralibus adhibentur. Apud nos magnam celebritatem habent Thermae Toeplicenſes. Balneis domeſticis adiici poteſt decoctum herbae Petroſelini, Artemiſiae, Rutae, Chamomillae romanae, ſummitatum Iuniperi. Cauendum, ne balnea nimis calida ſint.

§. 554.

§. 554.

Furor vterinus tandem oritur a corrupto liquore genitali, quo etiam mentis, quae vanas imagines accipit, functiones perturbantur. Atrox morbus eſt, praecipue ſi aegrae omnem pudorem exuunt. In his, ſi malum recens eſt, quandoque proficit matrimonium. Obſeruanda ſunt ſimul communia praecepta. Inprimis ſalubritatem afferre poſſunt abſtinentia a fame propior, cum aquae ſolius potu, aquae minerales et ſerum lactis, quae diu multumque potari debent. Omnibus adiici poteſt plurimum Nitri. Adhibenda ſunt auxilia, quibus phantaſia corrupta ab inhaerente idea auocatur. De venaeſectione notandum, illam ab initio et plethoricis prodeſſe, malo confirmato vero nocere.

SATYRIASIS ET PRIAPISMVS.

§. 555.

Morbi ſunt ſpaſmodici, viris proprii, qui perpetua fere membri genitalis tentigine laborant. Eſt tamen quaedam differentia. In Priapiſmo tentigo eſt cum dolore, et quaſi Tetani quoddam genus, ſine magno Veneris deſiderio. In Satyriaſi vero maxima eſt ſalacitas, et homines coeco impetu in Venerem ruunt. Sedes horum morborum eſt in muſculis erectoribus, qui ſpaſmis adducuntur. Quare hi morbi frequentes ſunt iis, qui ſpaſticis morbis, arthritide, nephritide et ſimilibus, conflictantur. Priapiſmus tamen frequentior eſſe ſolet corporibus imbecillis, cachecticis, quibus genus neruoſum valde imbecillum eſt. Priapiſmus gonorrhoeae cum magno dolore accedit, quod a materia acri vrethrae membrana interior inflammatur, qua inflammatione in conſenſum trahuntur et corpora cauernoſa et muſculi erectores. Idem oritur in calculoſis, praecipue ſi calculus aſperior veſicae ceruicem exagitat. In Satyriaſi cum tentigine

gine humores ſpermatici vel copia, vel acrimonia peccant, et idem efficiunt. Priapiſmus, qui etiam frequens eſt iis, qui pueri vel iuuenes Venere abuſi ſunt, ſaepe degenerat in morbos conuulſiuos, ipſamque epilepſiam; Satyriaſis vero in veram maniam.

§. 556.

In curatione horum morborum cauſſae conſiderandae ſunt, illaeque, quantum fieri poteſt, tollendae. De cachecticorum curatione protinus dicam, nec non de gonorrhoea, in qua malum medicamentis calidis et diureticis plurimum augetur, emulſionibus aliisque lenioribus leuatur. Calculoſis leuamen afferunt emollientia, praecipue oleum cum balneis emollientibus. In Satyriaſi quandoque morbum tollit coitus, quandoque, ſi phantaſia iam multum corrupta eſt, morbus magis eo accenditur. His vita debilis ſeruanda eſt, ſanguis crebrius mitti debet, et aluus mitioribus, ſatis tamen valentibus, ducenda. Imperanda eſt abſtinentia a fame propior, et potus aquoſus. Vitanda eſt omnis occaſio, quae Venerem accendere poteſt, etiam decubitus ſupinus, ſomnus matutinus protractior. Nulla fides habenda eſt ſpecificis, quae vulgo laudantur.

CACOCHYMIA ET CACHEXIA.

§. 557.

Gradu inter ſe differunt. In priori corrupta ſunt ſola humida, in altera cum his etiam ſolida atonia vel alio vitio laborant, et cachexia proprie eſt corruptus totius corporis habitus. Quibus hi morbi imminent, illi ab initio obeſi fiunt, mox pallidi, tandem liuidi et luridi. Vitiatus color oritur a non recte ſubactis et per quietem quaſi corruptis humoribus, praecipue lympha. Deficit enim in his corporibus

poribus assumtorum concoctio et assimilatio. De colore tamen notandum, pallidum et alienum colorem non semper horum morborum indicium esse, qui quoque post terrorem ac timorem, suppressam iracundiam, post magnam euacuationem, Venerem aliasque occasiones oritur, quare necesse est, vt vitiatus color maneat et adaugeatur. Praeter ea aegri conqueruntur de cita defatigatione, lassitudine, et ad quamuis tum ingenii, tum corporis exercitationem subeundam ineptitudine. Pulsus est languidus, frequens palpitatio et anxietas, maxime post pastum, cum flatulentia et ructu. Vrina plerumque alba est et multa, tandem etiam crassa et cruda. Sub finem mentis torpor accedit, vertigo, sensuum obnubilatio, immo vertigo caduca, etiam pedes intumescunt, et totum corpus tumidum fit et imminet hydrops. Sunt tamen, qui atrophiam hecticamque etiam ad cachexiam referunt, ideoque distinguunt inter aridam et humidam.

§. 558.

Caussa proxima huius morbi est, vti dixi, humorum cruditas et partium solidarum atonia, hinc laeduntur omnes functiones naturales, tandemque etiam animales, praecipue turbantur se - et excretiones. Maxime laeditur nutritio. Occasionem dare solent omnes illae caussae iam alibi expositae, variarum se - et excretionum, praecipue mensium et haemorrhoidum, sudorum nocturnorum suppressio, plethora, solidorum laxitas et viscerum atonia. Quare etiam corpora rara his morbis longe facilius obnoxia fiunt, et ad eos plurimum faciunt nimia quies, litterarum nimium studium, moeror, amor et omnes animi perturbationes, intemperantia in victu, errores in potu. Etiam nascuntur hi morbi post magnas euacuationes, dysenteriam, haemorrhagiam, nimiam venaesectionem in febribus aliisque morbis, diuturnum lactatum matris imbecillioris, post ptyalismum Mercurio concitatum nimium, alui fluxum nimium, diabetem, Veneris abusum, gonorrhoeam diuturnam, praecipue benignam,

nignam, poſt alios grauiores morbos non recte curatos, veluti ſi in febribus acutis et ardentibus ſanguinis miſſiones nimis frequentes fuerunt, ſi febres intermittentes curatae fuerunt vel per nimios ſales, vel per corticem Peruuianum intempeſtiue datum, vel per alia ſic dicta ſpecifica, poſt haemorrhagias adſtringentibus ſuppreſſas, poſt morbos arthriticos et varii generis dolores mediantibus opiatis curatos, poſt abuſum vel intempeſtiuum vſum Martialium, et ſi his aliisque quaecumque excretio, veluti fluor albus, ſudor pedum, fuit impedita, poſt ſcabiem repreſſam, poſt magnas ſuppurationes, etiam a ſuppuratione cohibita, a potus ſpirituoſi abuſu. Maxime hoc accidit, ſi homines, ex febribus aliisque morbis conualeſcentes, ſe protinus aëri exponunt, et ſibi in aliis rebus indulgent. Aër etiam paludoſus non parum confert.

§. 559.

Quantum hi morbi ab aliis differant, ſupra dictum fuit occaſione eorum, quae de Chloroſi fuere praecepta. In Atrophia corpus non tumidum, ſed macilentum eſt. In Scorbuto cachexia eſt, ſed alia, et plerumque cum oris aliarumque partium foeda exulceratione. Curatur cacochymia in iunioribus, praecipue ea, quae relinquitur ab errore in victu, non ita facile, ſi viſcera atonia laborant. Nullam curationem recipit cachexia, ſi labes eſt in viſcere, vel alia corporis parte, quae tolli nequit. Inter mala ſigna ſunt color valde luridus et virideſcens, praecipue accedente nigrore, magna ſpirandi difficultas, hypochondriorum duritia, animi crebrior defectio et ſyncope. Mutatur facile in anaſarcam, quandoque in tabem ſeu hecticam. Si cacochymicis et cachecticis vrina multa et viſcida exit, cum euphoria, bonum ſignum eſt.

§. 560.

In curatione attenuandi corrigendi et educendi ſunt vitiati humores, ſolidis vero, ſi fieri poteſt, nouum robur

conciliandum, in omnibus vero ſedulo conſiderandae ſunt cauſſae. In Cachexia igitur, quae a prauo victu, nimia quiete, et ſimilibus ortum cepit, dari debent Sales: Sal catharcticus, Sal Thermarum Carolinarum, Sal Cardui benedicti, Tinctura Tartari. Praecipue vbi ex acrimonia acida, victu crudo, vegetabili, orta fuit Cachexia, proficit Tinctura Antimonii acris, nec non, quam BOERHAAVIVS inprimis extollit, Tinctura Salis Tartari Harueana. Vid. *eius Chemiam Tom. II. Proceſſ.* 79. vbi agit de vegetabilibus. Huius Tincturae drachma j. ad ij. miſceri poſſunt cum vncia vna Syrupi quinque radicum aperientium, adiecta aqua Foeniculi. Vbi viſcidum exſuperat, proficit Gummi ammoniacum, vel vitello oui ſolutum, vel cum pilulis Becheri. Haec et ſimilia per plures dies dari poſſunt. Hoc vero de Salibus aeque ac purgantibus, nec non de aliis ſtimulantibus tenendum eſt, prouide agendum eſſe, et ſemper a lenioribus incipiendum. Nam ſi impetu agitur, vaſa, vitiato humore iam diſtenta, rumpuntur, et oritur lethalis hydrops, id quod etiam in ipſius hydropis curatione obſeruandum eſt. Praemiſſis digeſtiuis, dari poſſunt laxantia, praecipue infuſa per epicraſin laxantia, ex Pimpinella alba, Helenio, Cichoreo, Centaurio, Fumaria, Cortice Aurantiorum flauo, foliis Sennae, radice Bryoniae, Agarico in petia ligato. Vel dari poteſt Puluis radicis Ialappae iteratis vicibus. Proſunt etiam Pilulae Stahlianae, aliaeque. In corporibus infirmis idonea ſunt Apozemata ex Senna et Rhabarbaro. Praeſtantiſſimum auxilium afferunt aquae minerales, praecipue Thermae Carolinae, et cum his datae Pilulae Becheri vel aliae his ſimiles. Reliqua, quae ad roborantia attinent, ad vſum Corticis Chinae, Martialium, corporis exercitationem, abſtinentiam ab omnibus, quibus corpus infirmari ſolet, ea ſeruanda ſunt, quae alibi, et praecipue de Chloroſi praecepimus. Limatura Martis commode cum Pilulis Becheri datur, quibus etiam admiſceri poteſt Sapo Venetus.

§. 561.

§. 561.

Haec vero medendi methodus, per euacuantia, peſtifera foret in Cachexia poſt grauem haemorrhagiam vel aliam magnam euacuationem relicta, in qua conducunt iuſcula diluentia cum radicibus aperientibus, Petroſelini, Cichorei, Apii, herbis recentibus Naſturtii, Cardui benedicti, &c. Multum prodeſt lac aſininum diu potandum, ſerum lactis, in quo ferrum candens exſtinctum fuit, quod conducit praemiſſis prioribus. Antequam vero haec dantur, immo cum his ipſis, ſedulo expurgandae ſunt primae viae laxantibus mitioribus, praecipue Rhabarbaro. Adiici interdum poteſt ſtimulus ſalinus ex Tinctura Tartari aliisque. Conducunt etiam infuſa aquoſa ex Saſſaparilla, Scorzonera, Cichoreo, ligno Saſſafras, quae, horis matutinis epota in lectulo, lenem exſpirationem mouent. Si morbus ortus fuit a male curata ſuppreſſaque febre, illa reuocari debet methodo, quam alibi propoſui. Si a pure repreſſo, danda ſunt decocta ſanguinem purgantia. Si cachexia orta fuit ab abuſu vini aduſti, conducit ſerum lactis, lac aſininum, potus diluens, iuſcula illa et ſimilia; raro haec curatur. Si a moerore, plurimum conducit corporis exercitatio, iter et aliae etiam ludicrae grataeque exercitationes. In omnibus ſeruanda eſt aluo libertas, et ventriculo proſpiciendum eſt, non ſolum abſtinentia, ſed datis interdum etiam medicamentis ſtomachicis. Niſi morbi tum cauſſis, tum eius naturae et ſymptomatis aptetur victus aliarumque rerum non-naturalium vſus, parum proficiunt medicamenta.

HYDROPS.

§. 562.

Huius diuerſa genera et diuerſi gradus ſunt. Oedema eſt tumor mollis, frigidus, impreſſi digiti veſtigium retinens, praecipue in pedibus, aliquando etiam in manibus

et quandoque in palpebris. Leucophlegmatia dicitur, ſi vaſa, praecipue venae lymphaticae laxatae, pituita albida diſtenduntur. Si humor vero magis viſcidus eſt, tumorque magis durus, isque, vt etiam in leucophlegmatia eſſe ſolet, per totum corpus diffuſus eſt, dicitur Anaſarca. In hac cutis digito preſſa non tam facile cedit, fouea vero diutius manet. Ceteroquin ſunt plura hydropis genera, quae certas corporis ſedes infeſtant. Nam humor contrahitur nonnumquam in tunicam celluloſam Peritonaei, quod hydropis genus fere Aſcitem repraeſentat. Aſcites dicitur, ſi humor in abdomen effuſus eſt. Si autem vapor, non vero aqua, abdomen diſtendit, dicitur Hydrops ſiccus vel Tympanites. In pectore eſt hydrops pectoris, pericardii, pulmonum. In capite Hydrocephalum internum et externum; praeter ea eſt Hydrops ſcroti, Hydrocele, Hydrops ouarii, Hydrops vteri et tubarum vteri. Quandoque in viſceribus fiunt Hydatides, quae ad hydropem etiam referri debent, quum nihil aliud ſint, quam lymphatica vaſa a quieſcente humore corrupta et quoad molem aucta lympha.

§. 563.

Haec omnia genera inter ſe differunt, aliquando tamen difficilius dignoſcuntur. Leucophlegmatiam et Anaſarcam duritie potiſſimum et tumore differre diximus. In Aſcite abdomen tumet, accedit ſub finem pedum oedema cum hydrope ſcroti, marceſcentibus partibus ſuperioribus. Aqua in ventrem contracta, moto corpore, ita mouetur, vt eius motus digitis percipi et oculis etiam conſpici poſſit. Vrina pauca eſt, rubicunda, craſſa. Sudor nullus, ſpirandi difficultas, ſitis magna, ſub finem tuſſis ſicca et febricula lenta. Si aqua in tunicam celluloſam Peritonaei contracta eſt, tumor durior, cutis magis intenta eſt, nullus percipitur intus aquarum motus, nec pedes facile intumeſcunt. In Tympanite tumor abdominis durus eſt, et ſi manu feritur, quaſi ſonorus, is preſſo digito non cedit, aeger ſentit tormina circa vmbilicum et lumbos, anxietatem

tem praecordiorum, vrina pauca eſt, rubra et rodens. In hydrope pectoris dyſpnoea eſt, quae veſperi multum exacerbatur, tuſſis ſicca, ſenſus refrigerii in pectore, laſſitudo, praecipue artuum ſuperiorum, anorexia. Fere eadem ſymptomata ſunt in Empyemate, ſed hoc ex morbo inflammatorio relinquitur; Hydrops pectoris ab aliis cauſſis oritur. Diſcrimen inter hydropem ſcroti et hydrocelem exponit Chirurgia. In Hydrocele ſcrotum rugas habet, et penis inflatus haud eſt. Tumor etiam, ſi vnum latus Hydrocele laborat, inaequalis eſt, vt ſcroti ſutura non in medio ſit, penis vero inflatus non eſt. Secus ſe omnia habent in Hydrope ſcroti, in quo ſcrotum erugatum, ſutura in medio eſt, et integumenta penis, ipſumque praeputium valde aquis intentum. Ouarii hydrops, cui ſub finem plerumque Aſcites accedit, difficulter dignoſcitur. Interdum hoc genus oritur in ſterilibus, et plerumque menſtruorum obſtructio accedit. Foemina molem aliquam in abdomine ſentit, quae moto corpore ita mouetur, vt aegra etiam motum ſentiat. Tumor abdominis inaequalis eſt. Hydrops vteri opinionem grauiditatis facere poteſt; nam eo etiam catamenia ſupprimuntur. Certiſſimum fere ſignum in mammis eſt, quae grauidis durae et tumidae fiunt, quippe in quas lac contrahitur. Cachexia vero et Hydrope laborantium mammae molles ac penſiles nullum lac habent. Hydrope vteri aegris ſaepe humor ex genitalibus effertur, id quod raro incidit grauidis. Ab Aſcite hydrops vteri diſtinguitur, quod in hoc tumor magis inferiorem partem abdominis et peluim, in Aſcite totum abdomen occupat. Aſcites etiam opinionem grauiditatis ſaepe facit, immo incidit, vt grauida hydropica fiat. Vt hoc etiam dignoſcamus, conſiderari debent cauſſae praegreſſae, mammarum et totius corporis habitus, appetitus, qui in grauidis in primis temporibus laeſus, poſt medium geſtationis tempus plerumque melior eſt. Certiſſimum vero ſignum eſt in orificio vteri interno, quod in grauidis mutatum, verſus inferiora et inteſtinum rectum inclinatum et quaſi depreſſum, in Aſcite laborantibus natu-

rale eſt. Cauendum eſt Medico, ne ab aſtutioribus foeminis decipiatur.

§. 564.

Si vero ſymptomatum, quae in hydropis pathologia occurrunt, ratio reddenda eſt, tumor in omni hydrope ab humoris abundantia naſcitur, qui vero in varias ſedes contractus eſt. Tumor hic, quamdiu humor in diſtentis vaſis lymphaticis haeret, durus eſt, elaſticus; ſi vero hic iisdem ruptis in cellulas tunicae adipoſae emittitur, tumor mollior fit, et qui digito ita cedit, vt huius etiam impreſſi veſtigium diutius maneat. Dyſpnoea oritur vel ab impedito motu diaphragmatis, vel a compreſſo pulmone, in hydrope pectoris, vel ſi humor in pulmonum veſiculas contractus eſt. Febris naſcitur ab acri corruptoque per quietem humore. Sitis a deficiente humido blando in faucibus. Nam et aliae partes marcidae fiunt et ſiccae. Humida enim per alias vias efferuntur, ob quam cauſſam etiam vrina pauca eſſe ſolet, ſudorque nullus, intolerabilis ſitis, vbi ſub finem quieſcentes humores corrumpuntur, putrefiunt, et alcaleſcentes ſitim in faucibus excitant. Pulſus paucus eſt, propter minus mobilem ſanguinem et deficientes vires. Tuſſis ſicca oritur ab acri humore bronchia vellicante.

§. 565.

Cauſſa varia eſt. Nam hydrops naſcitur vel vitio lymphae glutinoſae atque corruptae, quare cachectici hydropici fiunt, vel a laxitate ſolidorum, qua lymphae circuitus impeditur, quae ſic quieſcit, et quiete corrumpitur, denique ab obſtructione venarum abſorbentium in variis cauis et receptaculis, nec non ab impedito lymphae circuitu in ſuis receptaculis. Hoc incidit iterum ex variis cauſis: Si vaſa lymphatica vel venae ſanguinem ferentes a quacumque cauſſa premuntur arctanturque, et ſi viſcera, glandulae, aliaeque partes, ad quas illae pertinent, indurantur et ſcirrhoſae fiunt. Peſſima hydropis cauſſa eſt, ſi vaſa lymphatica rumpuntur. Occaſiones vero, ex quibus hae hydropis

cauſſae

cauſſae naſcuntur, ſupra, vbi de Cachexiae origine diximus, relatae fuerunt.

§. 566.

Hydrops morbus periculoſus eſt, et qui difficulter tollitur. Nullam curationem recipit, ſi a ſcirrho et labe in viſceribus incepit. Igitur a cauſſa petenda eſt prognoſis, et videndum, num morbus pedetentim adoleuerit, vel num tumor repente increuerit, quod vltimum plerumque accidit, vbi vaſa rupta ſunt, quod genus deterius eſſe dixi. Melior eſt Anaſarca quam Aſcites, hac vero peior Tympanites. Spem faciunt morbus, cui nondum vetuſtas acceſſit, virium integritas, aetas iuuenilis, mens compoſita, et ſi aeger abſtinentiam ſitimque tolerare poteſt, hypochondriorum mollitia, reſpiratio liberior, vrina aquoſa et copioſa, pulſus magnus et tardus. Quo paucior vrina, eo peior; peſſima vero craſſa et lixiuioſa eſt. Saliua ſpiſſa, tenax, viſcida, linguae et dentibus inhaerens, oris foetor cum tuſſi, mali morbi indicia ſunt; ſignificant enim humorem quieſcentem corruptum eſſe, putreſcendo acrem fieri et volatilem. Quo vehementior ſitis, eo citius morbus morte finitur. Haemorrhagia narium in hydropicis mortem inſtare ſignificat, quae ideo frequens eſt, quod vaſa ſanguifera mole aquarum compreſſa ea parte, qua libera ſunt, rumpuntur. Si in pedibus cutis exulceratur, quandoque aeger ſeruatur, ſi per vlcera copioſior humor fertur. In vlceribus tamen hydropicorum metuenda eſt gangraena. Hydrops interdum, ſed raro, naturae beneficio ſoluitur, per copioſas aquarum deiectiones, vel ſi plus humoris per vrethram excernitur, quam bibitur. Superueniens vero diarrhoea, cum maiori imbecillitate, ſaepe peſſima, et mortis inſtantis nota eſt.

§. 567.

In Curatione enitendum, vt lympha attenuetur, quiescens humor euocetur, et vt partes ad debitum robur perducantur. In dandis autem varii generis medicamentis ſemper a mitioribus incipiendum et pedetentim ad valentiora proce-

dendum. Inprimis reſpiciendum eſt ad aegrum. Si hic enim febre laborat, et totus corporis habitus iam corruptus eſt, lenioribus medicamentis, minime acribus et calidis, res agenda eſt, quum alias facile vaſa rumpantur et aeger praecipitetur. Vbi vero corpus frigidum eſt, et ſine febre, efficacioribus vtendum. Lympham attenuant atque reſolvunt ex vegetabilibus acriora: radix Pimpinellae, Ariſtolochiae, Valerianae, Bryoniae, Imperatoriae, Ireos Florentinae, Petaſitidis, Helenii, Gentianae rubrae; herba Cochleariae, Fumariae, Beccabungae, Abſynthii, Centaurii minoris, Marrubii, Abrotani, Scordii, Rorismarini, Cuſcutae; Cortes medius Sambuci, Cortex Winteranus, Cortex flauus Aurantiorum amarorum; baccae Lauri, Iuniperi, ex quibus parari poſſunt varii generis infuſa, vel ſine purgantibus, id quod ab initio melius eſt, vel additis etiam efficacioribus euacuantibus. Inter reſoluentia ſunt etiam alia vegetabilia, Allium et radix Armoraciae; haec ex lacte coquuntur, cuius decocti libra ad minimum vna per diem epotatur. Efficacior fere eſt Cortex medius Sambuci ex fero lactis coquendus. Ab *Edimburgenſibus* in *Tentamin. Vol. V. Art.* 7. extollitur Succus radicis Ireos paluſtris, cuius guttulae 80. dantur altera quaque hora. Admiſcent huic ſucco quartam circiter partem Syrupi domeſtici, quem alias Syrupum Rhamni catharctici, vel de Spina ceruina vocamus. Doſis poſt aucta fuit, et hoc medicamento omnis aqua ex corpore fuit euocata. Sub finem autem homo apoplecticus obiit. Magnam efficaciam habet Squilla, quae varia ratione exhiberi poteſt. Ab initio experiundum eſt Acetum ſquilliticum ad vnciam j. vnam cum dimidia, vel duas datum. Extractum Squillae ad gr. v.-viij admiſceri poteſt pilulis Stahlii, addito pauco Nitro. Proſtat etiam puluis Squillae compoſitus Stahlii; longe efficacius eſt decoctum cum vino meraco Rhenano. De his omnibus medicamentis illud dicendum, in iis exhibendis magna diligentia medentis opus eſſe. Nam non raro nocent, et aegrum, qui adhuc per tempus ſeruari potuiſſet, praecipitant, id quod

metuen-

metuendum eſt in maiori ſolidorum atonia, vel ſi vlcus, ſcirrhus, aliudue vitium in quo viſcere latet, ex quo morbus ortus fuit. Etiam experientia docuit, ſaepe aegros, qui, eductis omnibus per catharctica aliaque euacuantia aquis, conualuiſſe videbantur, breui poſt apoplecticos obiiſſe.

§. 568.

Haec omnia, quae in frigidis corporibus, quae ſine febre ſunt, conueniunt, aliena ſunt in iis, quae iam febricula tenet. His dandi ſunt ſales, Cremor Tartari, Terra foliata Tartari, Extracta radicum aperientium. Vrgente aeſtu experiri licet Acetum ſquillitieum ad vnciam dimidiam vel integram; plerumque tales ſeruari non poſſunt.

§. 569.

Inter aperientia et reſoluentia etiam ſunt Sales fixi maiori in quantitate exhibendi, Sal Thermarum ad vnciam vnam et dimidiam, Sal Cardui benedicti vel Abſynthii; Tinctura Antimonii acris vel tartariſata, prae ceteris vero Sal ſtipitum fabarum. Sales, ſi eorum vſum ſequitur copioſioris vrinae profluuium, ſpem faciunt. Videndum vero, quoniam haec omnia ſitim mouent, ne aeger ad ſatietatem bibat. In abſtinentia enim a potu maximum remedium poſitum eſſe, iam CELSVS prodidit *Lib. III. Cap.* 21. His vero praemiſſis, adhibenda ſunt euacuantia. Mitiora ſunt infuſa per epicraſin laxantia, quibus illa reſoluentia adiici poſſunt. Aquas etiam educunt phlegmagoga et hydragoga, quorum magnus numerus in officinis eſt. Efficaciora vero non ſemper tuta ſunt. Inter mitiora eſt radix Ialappae ad ſcrup. j. vel drachmam dimidiam, Diagrydium ad gr. IV-vj. Noui exemplum, vbi illud genus, quod Anaſarcam vocamus, Magneſia alba cum Sale catharctico, addito auro fulminante, curatum fuit. Exhiberi poteſt pulvis Mechoacannae albae ad drachm. j. vel vnam et dimidiam pro doſi. Succus Ireos noſtratis ad ſcrup. ij. vel drachmam vnam. Efficaciora ſunt Elaterium ſeu Succus Cucumeris

aſinini; Extractum Eſulae, quod ad gr. iij-iv-vj datur. Haec tamen in corporibus imbecillis facile inflammationem concitant. Sedulo illud obſeruandum in exhibendis illis efficacioribus purgantibus, a mitioribus et a minori doſi ordiendum eſſe. Vbi vero febris vrget, haec efficaciora purgantia aliena ſunt. His dari poteſt Rhabarbarum cum Sale, vel Tinctura Rhabarbari cum Liquore terrae foliatae Tartari parata, Anima Rhabarbari vel decoctum Mannae cum foliis Sennae. Nec alieni ſunt clyſteres, quibus vero etiam efficaciora, et praecipue Tartarus emeticus ad gr. iv-v. admiſceri poteſt.

§. 570.

Si his euacuantibus tumor deſidit, et corpus extenuatur, oportet partem flaccidam faſcia infirmitatem adiuuante deligari, quae non ſolum poſt paracenteſin abdominis, ſed etiam poſt diſſipata oedemata crurum neceſſaria eſt; ſanguis enim per nimis laxata vaſa moueri nequit, atque facile ſubſiſtit, qui, ſi hoc per paracenteſin in vena caua accidit, lethalem ſyncopem, in pedibus vero oedemate liberatis obſtructionem, abſceſſus aliosque nouos morbos parit. Dari praeterea etiam debent roborantia, et fere optimum eſt vinum generoſum, in quo ferrum candens exſtinctum fuit, et illud ante notum infuſum Limaturae Martis cum Cortice Peruuiano. Quoniam illa euacuantia, tum purgantia, tum diuretica, non quotidie exhiberi poſſunt, diebus mediis danda ſunt ſtomachica, Elixiria ex Extractis amaris cum Tinctura ſalis Tartari parata. Vomitus interdum ſalutaris eſt, qui vero non nimis frequens eſſe debet. Reſpiciendum ſedulo eſt ad vires. Sanguinis miſſio plerumque aliena eſt et noxia, niſi plethora manifeſta ſit et a menſtruorum et haemorrhoidum obſtructione, vel ab aſthmate ſanguineo ortum habuerit morbus.

§. 571.

Victus etiam curationi accommodandus eſt. De abſtinentia a potu iam ſupra dixi, illam valde neceſſariam eſ-

ſe.

ſe. Potioni praeſtanda eſt cereuiſia meracior, vinum generoſum, vinum cum Abſynthio. Sitis fallitur, ſi ſaepius os eluitur aqua cum parte ſexta ſucci Citri vel aceti. Vbi ſitis vrget, aqua dari poteſt cum vino, vel etiam admixto ſpiritu ardente. Cibus ſit ex materia leui, quae facile ſubigitur, ex pane cum aromate, carnibus aſſis meracioribus; nocent iura, legumina, aliaque flatulenta. In aëre aeger viuat ſicco, montano, non paludoſo. Plurimum conferunt exercitationes apricante Sole. Veteribus maximum auxilium fuit in arena. Arena enim ſole percalefacta obruebant aegros, quos ſic quaſi torrefactos extenuabant. Nocet ſomnus nimius. Stragula veteribus in vſu fuere ex herbis fragrantioribus. Praeſtant ſtragula duriora prae mollibus. De frictione alibi retuli, in ea ad roborandas partes maximum auxilium eſſe.

§. 572.

Oedema, ſi a compreſſione venarum oritur, veluti in grauidis, facile curatur. Si a laxitate, adhibenda eſt faſcia ſeu tibialis genus (*ein Schnürſtrumpf*), quod auxilium vero pernicioſum eſt, ſi oedema ab Aſcite vel hydrope pectoris ortum fuit. Nec non aliam curationem poſcit, quam hydrops. De remediis externis vide Chirurgiam.

§. 573.

Anaſarca magis reſoluentibus et diureticis, quam purgantibus curatur, praecipue multum proficit Sal ſtipitum fabarum. In hoc genere, ſi viſcera nullo vitio laborant, ſalubres eſſe poſſunt Thermae. Non negligenda ſunt roborantia et vincturae externae. Anaſarca a ſolis cauſſis externis, veluti a vehementiori frigore orta, ſi viſcera ſine labe ſunt, non aliam curationem deſiderat, quam externam. Prius licet experiri fricationes in laconico, et ſi hae non proficiunt, in artubus inferioribus concidenda cutis eſt, vt aquae efferantur. Non ita tutum eſt vlcera admotis cantharidibus excitare.

§. 574.

§. 574.

Hydrops pectoris ab initio difficilius dignoscitur. Aeger conqueritur de praecordiorum angustia, quae vesperi potissimum increbrescit. Frequentes sunt cordis palpitationes, pulsus inaequalis est, sub finem intermittens, accedit tussicula sicca. Corpus intabescit, facies lurida fit, et tandem aeger fluctuantem humorem in pectore sentit. Sub finem brachia imbecilla fiunt, immo extenuata, pedes ex oedemate intumescunt. Morbus chronicus est, qui saepe pedetentim ingraueſcit, vt homo tandem vel suffocetur, vel apoplecticus moriatur. Ab asthmate humido differt, in quo tussis humida est, non sicca, qualis est hydropicis. Hic morbus saepe ex communibus hydropis caussis nascitur, saepe ab asthmate spastico relinquitur, nec non a morbis inflammatoriis pectoris, et si ex his in pulmonibus scirrhi relicti fuerunt. Plurimum confert violenta pulmonum inflatio; quare tibicines et cantores huic morbo saepe obnoxii fiunt. Multum conferunt mala pectoris conformatio et cordis polypus ex aliis caussis ortus. Quo maior est orthopnoea, eo maior spes est. Curandi methodus non alia est, quam communis. Ab initio dari debet crebrius Oxymel squilliticum cum Syrupo de Althaea vel Capillorum Veneris. Cauendum tamen est a nimio vsu becchicorum, quibus pulmones aliaeque partes magis infirmantur. Plurimum confert a primis initiis equitatio. Vbi febricula vrget et tussis arida, quandoque dari possunt emulsiones dilutiores; praestat Oxymel squilliticum. Experiri licet Gummi ammoniacum. Veteres ferrum candens hinc inde pectori admouerunt, et excitatis magnis vlceribus et suppurationibus quandoque desperatum hunc morbum curarunt. Vix tentanda est paracentesis thoracis, qaae mortem accelerat.

§. 575.

Ascites etiam pedetentim aut plurimum ingruit. Aegri ab initio conqueruntur de insueta lassitudine et corporis grauitate, spirandi difficultate, hypochondriorum tensione, tandem

tandem intumeſcunt pedes, in viris ſcrotum, in mulieribus pudendorum labra, cum tabe ſuperiorum partium. Reliqua ſymptomata communia ſunt, et multum intenditur abdomen. Sub finem, ſi cauſſa morbi in hepate vel liene eſt, quandoque accedit icterus, etiam niger, mortis prodromus. In ſectis cadaueribus polypus in corde, tumor et durities glandularum et viſcerum, praecipue hepatis, omentum corruptum, bilis in cyſtide pauca et glutinoſa reperiri ſolet. Humor vero, cuius quandoque magna vis eſſe ſolet, quandoque limpidus, quandoque corruptus, gelatinoſus, immo, ſi ex ruptis vaſis lacteis emiſſus fuit, lacteus et chyloſus reperiri ſolet. Curatur morbus, ſi ortus fuit ab obſtructione venarum abſorbentium, et proficiunt hic prae ceteris purgantia. Haec ſi non proficiunt, omne praeſidium a Chirurgia et Paracenteſi ſperandum, de qua vide Chirurgiam. Haec mortem accelerat, ſi rupta ſunt vaſa lymphatica, et ſi viſcera corrupta ſunt. Vbi vrina lixiuioſa fit, nulla ſpes eſt. Si Aſcites in foeminis cum ouarii tumore eſt, omnia fruſtra fiunt.

§. 576.

Hydrops vteri plerumque naſcitur a coagulo, mola, vel parte placentae, in vtero relictis, praecipue ſi in vaſa lymphatica obſtructa, tum etiam placentae, humor contrahitur, ex quibus dilatatis hydatides naſcuntur. Saepe hoc hydropis genus in grauidis eſſe ſolet, vbi omnis vehementior curatio aliena eſt. Conſiderare debemus ſigna ſupra data. Indicium fere certius partus in vtero haerentis eſt eius motus vitalis. Nihilominus tamen etiam falluntur foeminae, quae ſibi aliisque perſuadent, ſe ſentire hunc motum geſticulantis infantis, qui a ſpaſmis et flatibus deſcendentibus concitatus fuerat. Ex vtero, ſi in eo moles aquarum eſt, quandoque effluit copioſior humor; hoc vero etiam grauidis interdum accidere ſolet, ſi aquae, quas ſpurias adpellant, ex genitalibus efferuntur. Hoc enim accidere ſolet, ſi duo ouula impraegnata in centrum deſcende-

runt,

runt, alterius vero foetu quacumque ratione ſuffocato vel corrupto, humor ex ruptis velamentis effertur. In curatione plurimum proficiunt infuſa vinoſa per epicraſin laxantia, Pilulae Becheri, obſeruatis communibus praeceptis reliquis. Proſunt quoque fotus ex herbis roborantibus genitalibus admiſſi.

TYMPANITIS.

§. 577.

Spurium quaſi hydropis genus eſt, et dicitur hydrops ſiccus vel flatulentus, in quo non tam humor, quam aër flatusque in abdomen et inteſtina contrahuntur. De diagnoſi ſupra diximus. In Tympanite venter eſt tympani inſtar intentus inflatusque. Tumor eſt durior, ab initio crebriores ſunt ructus et flatus, poſt intenditur dolor ſub cordis ſcrobiculo cum multa anxietate. Pulſus eſt inaequalis, plerumque durus et celerior, accedit ſitis, alvus contracta, dura, et deiectio rara ſcybalorum. Aliquando, ſed parum, leuatur homo exploſis ructibus et flatibus. Vrina rubra, craſſa, ex qua, inualeſcente morbo, multa craſſaque deſidunt. Color faciei luridus, accedit ſub finem oedema. Aſcite laborantibus pedes mox ab initio intumeſcunt; in Tympanite ſub finem, et vbi prius magna ventris facta fuit inflatio. In Aſcite digito ſentiri poteſt intus aquarum motus; in Tympanite maior inflatio et crebriores intus a flatibus ſonitus audiuntur. Tympanitis tamen ſaepe in Aſcitem mutatur, et ideo haec duo interdum inter ſe iunguntur. Differt ab Emphyſemate, quod plerumque cum vulneribus eſſe ſolet; a Cholera ſicca ſeu morbo ructuoſo HIPPOCRATIS. Nam in Tympanite confirmata raro ἄνω καὶ κάτω exploditur aër, et ſi hoc accidit, aliquale, quamuis breue, leuamen ſentit aeger; in Cholera eiusmodi ſonitus

vix

vix non perpetuo efferuntur, ſine vllo leuamine. Sedes morbi eſt in inteſtinis, quae poſt mortem ſaepe mirum in modum flatibus intenta reperiuntur. Aër vero, isque a quieſcentibus humidis ortus, nonnumquam etiam in abdomine eſt inter viſcera et Peritonaeum, ita vt inciſo corpore poſt mortem putris halitus cum impetu exſpiret.

§. 578.

Cauſſa huius morbi eſt reſolutio inteſtinorum, et ſi motus periſtalticus quacumque ratione laeſus deficit, materia etiam mucida, fermenteſcens aſſumtorum, ſi a viſceribus abdominis et a bile aliisque ſuccis chyliſicationi inſeruientibus non fuit ſubacta, ſed motu inteſtino et calore rarior facta, in halitus reſoluitur. Notabilis eſt illa obſeruatio in *Transactionibus Britannicis no.* 414. *Vol. VII. p.* 572. vbi ex vulnere minori folliculi fellei magna inflatio abdominis, eaque funeſta, orta fuit, ita, vt nec ἄνω nec κάτω ſonitus ab aegro emitti potuerit. Ex qua re clarum eſt, bilem ad periſtalticum motum plurimum facere, et eam debilem, qua mucus et tenacior pituita reſolui nequit, tympaniti occaſionem dare. Forte etiam in altero genere, vbi aër in abdomen contractus eſt, accedit atonia Peritonaei et muſculorum abdominis.

§. 579.

Huic morbo foeminae frequentius obnoxiae ſunt, et ex viris infirmiores. Plerumque enim his etiam viſcera imbecilliora ſunt, in quibus humores non recte conficiuntur. Obſeruatione compertum eſt, eos, qui de doloribus colicis, vmbilici regionem infeſtantibus iisque pertinacioribus, et qui nullis remediis obediunt, conqueruntur, huic morbo obnoxios fieri. Oritur Tympanitis a refrigerio abdominis, a potu frigido, a potu fermenteſcente, cereuiſia tenui, prae ceteris ab aqua niuata, et ab abuſu ſpiritus ardentis Praeter ea multum ad hunc morbum conferre poteſt cibus crudus, glutinoſus, inflans, animi crebrior commotio per

iram,

iram, paſſio hyſterica, alii morbi ſpaſtici, colica flatulenta, ſpasmodica; dyſenteria, vomitoriorum et purgantium abuſus, mala materia a malignis variolis in viſcera abdominis inclinata, glandularum in meſenterio, nec non pancreatis et hepatis ſcirrhus, anodynorum et opiatorum in morbis ſpaſticis abuſus, nimis frequentes ſanguinis miſſiones et aliae profuſiones. Interdum morbus ab aſſumtis venenis relictus fuit.

§. 580.

Morbus periculoſiſſimus eſt, qui, ſi inueterauit, raro curatur, et numquam ſi partes glanduloſae ſcirrhoſaeque factae fuerunt. Sperari poteſt, ſi homini nulla febris eſt, nulla vel non admodum magna ſpirandi difficultas, appetitus bonus, et ſi morbus a malo victu et non a peioribus cauſſis ortus fuit.

§. 581.

Curatio abſoluitur remediis carminatiuis et aluum ducentibus. Ab initio dari poſſunt Pilulae Becheri, infuſa ex carminatiuis et Rhabarbaro cum vino parata, enemata ex herbis et ſeminibus carminatiuis cum iure carnium decocta, addito oleo et ſale, praecipue ſale Ammoniaco ad drachm. j. vel ij. Semper cum laxantibus dari debent carminatiua. Conducit etiam Liquor anodynus Hoffmanni, cum quarta parte Balſami vitae. Frequentius iterari debent enemata. Extrinſecus abdomini admoueri poſſunt ſacculi ex herbis fragrantioribus, et praecipue Balſama alibi laudata. Extollunt fomenta ex Sulphure, quod cum vrina ſani hominis decoctum fuit. Imponi etiam a nonnullis abdomini ſolent ſacculi auena cruda vel arena pleni. Cum his neceſſaria ſunt enemata, quae etiam ex vrina ſani hominis cum Terebinthina, vitello oui ſubacta, fiunt. Victus omnibus accommodandus eſt, et vinum dandum paucum meracum, vel vinum cum Abſynthio fermentatum. Sub finem puluis ille Birkmanni cum Croco Martis et alia ſubinde laudata martialia.

§. 582.

§. 582.

Vbi vero iam febricula aegrum tenet, eumque ſitis vexat, et vrina lixiuioſa eſt, periculum certum eſſe ſolet, et tunc medicamenta iam memorata aliena ſunt. Aluus duci poteſt Rhabarbaro. Dandae ſunt aquae Sedlicenſes cum Liquore anodyno. Adhibenda ſunt enemata, et ſi res bene cedit, pedetentim ad efficaciora procedendum.

SCABIES.

§. 583.

Eſt minimarum fiſtularum, quae copioſiores in cute ſunt, exulceratio, ab humore, qui per eas naturaliter effertur, ſi is vitio ſui generis, eoque contagioſo, corruptus eſt. Incipit ſcabies plerumque in artubus, ſed poſt, vbi inueterauit, ea totum corpus, excepta facie, occupat. Frequens eſt iunioribus, in quorum corporibus maior raritas et vaſorum omnis generis maior numerus eſt. Pertinacior eſſe ſolet in ſenibus. Diſtinguitur in benignam et malignam. Vltima aliis morbis accedit, ſcorbuto, lui venereae. Vel cum illa eſt viſceris cuiusdam, praecipue ex iis, quae chylificationi inſeruiunt, vitium. Magnum diſcrimen eſt inter humidam et ſiccam. Humida habet puſtulas maiores elatioresque, multo humore, eoque pinguiori, turgidas, quae ruptae vertuntur in cruſtam ſpiſſam, pinguem, quae per cutim diffunditur. In ſicca puſtulae minores ſunt, ſero acriori turgidae, cum qua eſſe ſolet intolerabilis pruritus et vix ſuperabile ſcalpendi deſiderium. Haec poſterior ſenibus et corporibus ſiccis adſtrictisque; prior iunioribus et corporibus raris frequentior eſt. Circulus rubicundus, quo puſtulae comprehenduntur, maiorem inflammationem ſignificat.

§. 584.

Sedes huius morbi esse videtur tum in sero, quod per cutim excernitur, tum etiam, vt videtur, in oleo tunicae adiposae, et pinguiusculo humore glandularum cutanearum atque sebacearum. Ille corruptus humor, quamdiu sanguis admixtus est, sine noxa conquiescit, a sanguine vero secretus et ad illas fistulas et glandulas secretorias delatus, maiorem acrimoniam adipiscitur, inflammat roditque. Peculiare tamen et sui generis vitium esse videtur, quod eius contagium indicat. Nam contagione potissimum, mediantibus linteis, vestibus aliisque rebus, quae corpori admoventur, et si haec cum corpore sano incalescunt, in alia corpora transfertur.

§. 585.

Frequentior itaque caussa huius morbi est contagium. Si vero is sine hoc ex aliis suisque caussis in aliquo corpore nascitur, plura sunt, quae occasionem dare possunt. Praesertim aliunde aduenientes homines, aëri aquisque haud adsueti, si has impuras potant, vel etiam iisdem manus lauant, non raro scabiem contrahunt. Aliquid conferre videtur humor lentus, ex defectu exercitationis ortus, mundities neglecta, aër vappidus, incluſus, impurus, paludosus. Quare mala scabies miseros saepe vrget, qui carceribus squalidis et subterraneis adseruantur. Victus crudus, salsus, ex fructibus horaeis austeris, nec non carnibus viscidis, sale conditis. Animi pathemata, praecipue moeror, quibus humorum lentor multum augetur, et humorum tenuiorum confectio impeditur, cohibita exspiratio, mensium et haemorrhoidum obstructio, multum conferre videntur. De vitio in visceribus nato iam dixi. Saepe in scabie maligna omnique medicinae reluctante laborantibus post mortem tumidi scirrhosique reperti fuerunt lienes.

§. 586.

Quandoque facile satis tollitur, nonnumqnam vero vix vllo modo expugnari potest, prae ceteris maligna, ex alio

modo

modo vel ex viſceris vitio orta. Facillime curatur ea, quae ex contagio nata fuit, ſi ei mox inter initia ſuccurritur. Eſt tamen etiam critica, qua orta ſoluuntur alii deſperati morbi, arthritis, aſthma ſpaſticum, quartana, epilepſia. Longe tamen frequentius eſt videre morbos ex ſcabie male curata ortos, epilepſiam, catarrhum ſuffocatiuum, paralyſin, haemoptyſin, phthiſin, hydropem, varia oculorum vitia, praecipue amauroſin. Senibus ex ſcabie, ſi ei vetuſtas accedit, ſaepe metuenda eſt hectica et maraſmus. Peſſima eſt ſcabies, quae ſub cute in brachiis et in dorſo tubercula maiora habet, ſeu glandulas cutaneas tumefactas et cellulas tunicae adipoſae, coacto humore plenas et dilatatas. Haec tubercula in iis frequentius naſcuntur, quibus ſcabies externis fuit ante tempus cohibita.

§. 587.

Curatio accommodanda eſt et ipſi morbo, et aetati ac temperamento aegri. Raro opus eſt ſanguinis miſſione, quae tamen ſalutaris immo neceſſaria eſſe poteſt in corpore admodum pleno. Initium curationis fiat remedio purgante, in ſcabie ſicca benigniori. Si malum benignum et valde recens eſt, ex contagio ortum, id quandoque inter initia dato catharctico tollitur. Non vero tutum eſt morbum, ſi inueterauit, ſolis purgantibus curare. Metuenda enim ſunt eadem mala, quae ab intempeſtiuo externorum reprimentium vſu naſcuntur. Dari poſſunt in ſcabie humida Pilulae ex panchymagogo Crollii, Mercurio dulci, Diagrydio; vel Emulſiones ex Reſina Ialappae cum aliquot granis Diagrydii. In ſcabie ſicca meliora ſunt decocta Tamarindorum, Rhabarbari, foliorum Sennae, Mannae et Caſſiae. Interdum tamen dari poteſt Mercurius dulcis cum Syrupo de Cichoreo cum Rhabarbaro, vel de Spina Ceruina, &c. Purgantia inter aliorum medicamentorum vſum debent octauo vel decimo quoque die iterari.

§. 588.

Praemiſſis purgantibus, dari poſſunt decocta ex radice Chinae, Bardanae, Sarſaparillae, Scorzonerae, Cichorei, Glycyrrhizae, addito pauco ligno Saſſafras. Plurimum proficit, ſi haec decocta, ſed minus meraca, potui miniſtrantur. Meraciora ex iam dictis compoſita conueniunt in ſcabie humida. Sedulo tamen videndum eſt, ne iisdem et aliis medicamentis, praecipue in iunioribus et plenis, ſanguis nimium cieatur, quae res inflammationem concitat, et ſcabiem multum exaſperat. Igitur niſi morbus venereus ſub ſcabie deliteſcat, alienum eſt Guaiacum cum aliis valentioribus, quae in corporibus ſiccis et ſcabie ſicca exaſperatis funeſtam tabem afferre poſſunt. Cum his decoctis etiam dari poteſt Eſſentia Fumariae, vel ſimplex, vel compoſita. Fumariae plures ſpecificam virtutem tribuunt, nec non Tincturae Antimonii tartariſatae, cui addunt Eſſentiam Succini, atque in corporibus raris Eſſentiam Myrrhae. In ſcabie ſicca vero, et in corporibus adſtrictis omnia calida nocent. His proficiunt leniora decocta ex herba Meliſſae, Fumariae, Scolopendrii, Cuſcutae. Immo nonnumquam magis proficiunt decocta radicis Althaeae, Cornu Cerui florum Sambuci, ſeminis Papaueris albi, Cydoniorum. Inprimis ſalutare eſt decoctum Fumariae cum Sero lactis, cuius quotidie libra j. ad ij capiat homo. In huius vero vſu per multum tempus perſeuerandum eſt. Etiam in ſcabie ſicca et corporibus, quibus tabes imminere videtur, coquantur iuſcula non gelatinoſa, ſed tenuiora, ex carnibus minime pinguibus, veluti pullis cohortalibus cum herba recenti Fumariae; extollunt plurimum iuſcula Viperarum.

§. 589.

Poſtquam haec per aliquod tempus data fuerunt, recurrendum eſt ad ſpecifica. Horis veſpertinis dari poſſunt pulueres ex Antimonio diaphoretico, lapidibus Cancrorum praeparatis et floribus Sulphuris; dari poſſunt ad gr. iij - v - viij. pro doſi. Proficit etiam Aethiops mineralis eadem doſi

dandus

dandus et per tempus iterandus. Si malum valde pertinax, et ſuſpicio eſt, eis virus venereum eſſe admixtum, horis veſpertinis dari poſſunt grana iij-v-viij Panacaeae LEMERY, vel Mercurii dulcis rite praeparati, ita tamen, vt aluum non moueat. Quare hoc tertio quoque die circiter fiat. Specificam virtutem habet Regulus Antimonii medicinalis, qui ex Antimonio, cum Sale communi et Sale Tartari fuſo, paratur, cuius grana iij-vj-viij. ſemel vel bis per diem terreis admixta dantur. In ſcabie humida proficit etiam Antimonium crudum, quod, in petia ligatum, adiicitur decoctis. Mercurius non eodem tempore, quo ſulphur datur, convenit. In corporibus ſiccis, tabidis, morboque diuturno et omnis fere generis vitiis, quae in cute naſcuntur, exaſperatis confectisque, quandoque proficit diuturnior vſus lactis aſinini. Cauendum eſt, ne temere illam ſcabiem vehementioribus curare velimus, quae critica eſt, et qua alii ſupra dicti morbi interdum leuantur. Haec per multum tempus tolerari debet. Vbi in aegro febris accedit, omittenda ſunt illa ſpecifica, praecipue Sulphur et Mercurius. In his vero exhibendis ſedulo ſemper ad aegrum, eius habitum, ad ipſum morbum eiusque cauſſam atque etiam peruicaciam, reſpiciendum eſt, quibus omnibus haec remedia accommodanda ſunt.

§. 590.

Tandem recurrendum eſt ad externa, quae vero numquam, niſi bene repurgatis humoribus, tuta ſunt. Semper a mitioribus incipiendum eſt; ſine noxa fere eſt vnguentum de Ceruſſa, quod alio nomine vnguentum album camphoratum dicitur. Efficaciſſimum, ſed minus tutum reprimens, eſt ſulphur viuum, cuius drachma vna vel altera priori compoſitioni poteſt adiici, ſi efficaciori opus eſt. Si malum valde refractarium eſt, adhiberi poteſt vnguentum Neapolitanum, cuius exigua portio illiniatur carpo. Nec minus ſalutaris et fere ſine periculo eſt aqua phagedaenica Chirurgorum. Cingula ab aliis parari ſolent vel cum vn-

guento Neapolitano, vel si cingula ex panno scissa in mortario lapideo Mercurio imbuuntur, qui diu cum albo ouorum in alio mortario lapideo subactus fuit. In scabie vero sicca haec remedia non semper tuta sunt, maxime in senibus et tabidis. Saepe plus proficiunt balnea ex aqua cum lacte vel decocto furfuris, quae saepe iteranda sunt et diu adhibenda, et post diuturnum horum vsum tandem ad benigniora mercurialia recurrendum est. Multum extollunt mucilaginem ex cortice medio arboris Tiliae, cum aqua communi vel aqua rosarum extractam, quam etiam, addita cera, in emplastrum vertere solent. Inter reprimentia minus tuta referri possunt Balnea ex scoriis metallicis, tum venereis, tum martialibus, vel ex scoriis, quae ex Cadmia in Smaltum fusa relinquuntur (*die Schlackenbäder*).

§. 591.

Si scabies citius, quam par est, vel purgantibus fuit male curata, vel externis repressa, et ex hoc mali morbi sequuntur, illa reuocanda est. Dari possunt decocta, quae supra laudauimus, et cum his per aliquot dies pauca grana Panacaeae LEMERY, vel Mercurii dulcis. Ne fauces offendat Mercurius, is ad grana v. circiter excipitur Syrupo Fumariae, vel alio quodam, et in bolum vertitur, vel pulveres fieri possunt, additis terreis, qui crustulo (Germ. *Oblate*) comprehendi atque sic deglutiri possunt. Videndum est, ne ptyalismus Mercurio concitetur, et regimen imperandum est aegro. Si ptyalismus imminere videtur, dandum est purgans. Si post horum vsum scabies non revertitur, dari debent Flores Sulphuris, horis potissimum vespertinis. Vbi febris superuenit, ab vsu horum medicamentorum per tempus desistendum est. Omnibus morbis cutaneis reuocandis inseruiunt Balnea (*das Wolkensteiner- und Wiesenbad*), quorum balneorum effectus est, vt purpura scorbutica per totam cutim erumpat; quae balnea etiam in affectibus rheumaticis inueteratis multum proficiunt. Illud vero sedulo notandum est, nihil magis necessarium

ſarium eſſe, quam diligentem victus et regiminis obſeruationem. Alienus eſt cibus pinguis, mucilaginoſus, crudus, ex leguminibus aliisque vegetabilibus. Vitandum eſt omne frigus; aër, ſi paludoſus eſt et impurus, mutandus; vitandum eſt omne contagium, et frequentiſſime mutanda ſunt lintea veſtesque. Hac enim munditie neglecta, vix ſperari poteſt curatio.

ELEPHANTIASIS ET LEPRA.

§. 592.

Morbi frequentiores fuerunt olim, quam noſtra aetate, qui, poſtquam morbus venereus in Europam inceſſit, in noſtris ad minimum terris fere euanuerunt. Eſt tamen differentia inter Lepram Graecorum et Arabum, de qua prolixe agit *Leonh.* FVCHSIVS in *Paradoxis medicis Lib. II. Cap. XVI.* Graecorum Lepra fuiſſe videtur *Impetigo* CELSI, *Lib. V. Cap.* 28. §. 17. cuius hic quatuor genera recenſet. Nihil aliud eſt, quam ſcabies ferina, ex qua quandoque vlcera fiunt, quibus etiam cruſtae et quaſi furfures ſupernaſcuntur. Longe vero grauior morbus fuit Lepra Arabum, quam Graeci Elephantiaſin appellarunt. Vide CELSVM *Lib. III. Cap.* 25. et ARETAEVM. Durus hic morbus eſt. Aegri ab initio de alui pertinaci obſtructione conqueruntur, fiunt triſtes, pigri, ſomnus eſt multis inſomniis turbatus. Cutis crebras maculas, ab initio rubicundas, mox liuidas et nigras, tandem etiam crebros tumores habet. Ex his ſquamae decidunt, ab initio albidae, liuidae, tandem nigricantes. Exaſperatur vniuerſum corpus, et plerumque prius facies tumoribus duris, ſcirrhoſis, varicoſis, ſcatet, qui tandem in foeda atque calloſa vlcera degenerant, quae quandoque cum multa ſanie, quandoque cum multa ſuppuratione ſunt. His vlceribus

ossa etiam vitiantur. Tumores adeo increscunt, vt etiam manuum pedumque digiti tandem sub tumoribus condantur. Summa cutis tandem fit arida, inaequaliter crassa, asperior, corio sicco similis, quae tandem omni sensu destituitur, vt in eam acum etiam sine dolore et sensu demittere possis. Pili defluunt, vox rauca est, cum sibilo, anima intolerabilem foetorem spirat, vrina cruda, iumentorum vrinae similis. Si sanguis mittitur, in eo corpuscula albicantia, splendida, milii semini similia, natare dicuntur. Miseri coeco impetu in Venerem feruntur, quare etiam nonnulli hunc morbum Satyriasin vocarunt. Haec vero illius potius symptoma est. Tandem febris hectica et marcor diu exoptatam mortem affert.

§. 593.

Sedes morbi esse in lympha prorsus corrupta videtur. Contagiosus est, viris frequentior quam foeminis. Dicunt, hanc lepram oriri ex scorbuto, scabie, morbo venereo, multa et incongrua medicatione corruptis, praecipue si malus cibus ex carnibus suillis, salsamentis, piscibus et carnibus fumo induratis, nec non abusus aromatum aphrodisiacorumque accesserit. Conferunt obstructiones haemorrhoidum et menstruorum. Haereditate etiam propagatur morbus.

§. 594.

Lepra Graecorum mitior non aliam curationem poscit, quam scabies, eam tamen longiorem. Lepra Arabum, seu Elephantiasis, vbi vetustas accessit, tolli nequit. Inter initia vero existimo, inprimis respiciendum esse ad causas illosque morbos, ex quibus hoc vitium natum fuit et adoleuit. Danda sunt valentiora emetica, ex Antimonii vitro et Sulphure Antimonii, quod vltimum ad gr. iij - iv. exhiberi potest. Cum his etiam purgantia ex Ialappa, Mercurio dulci, Agarico trochiscato. Non aliena esse possunt infusa ex radice Bryoniae, Valerianae, Pimpinellae albae; herba Fumariae; ligno Sassafras, Mechoacanna, Agarico, foliis Sennae et similibus. His praemissis diu perseuerandum

dum eſt in vſu decocti ex radice Bardanae, Chinae, ligno Saſſafras, addito etiam Antimonio crudo. Mercurius inprimis prodeſſe poterit, ſi morbus venereus eſt. Si vero corpus valde calet, et illud macie extenuatur, eluendum eſt copioſioribus iuſculis tenuioribus, vel ſero lactis, ex quibus coquantur herbae antiſcorbuticae: Fumaria, Trifolium fibrinum, Carduus benedictus, Naſturtiorum varia genera. Veteres plurimum tribuunt Viperis. Omnes aliae praeparationes nullius vſus ſunt; aliquando prodeſſe poterit decoctum Viperarum cum iuſculo tenuiori. Cum his omnibus frequentiora adhibenda ſunt enemata leniora et lubricantia, nec non balnea, quibus cutis mollitur. Ab initio balnea fiant ex decocto furfurum vel lacte. Vbi cutis mollita fuit, admiſceri poſſunt herbae Fumariae, Saponariae, Agrimoniae, additis etiam foliis Peti. Ad cutim purgandam etiam conferunt illa ſupra dicta remedia contra Scabiem.

MORBI VENEREI EORVMQVE DIVERSI GRADVS ET SYMPTOMATA.

§. 595.

Dirum hoc morbi genus ex contagio quodam ſpecifico oriri ſolet, quod contagium ab initio mite, inueteratum vero adeo nocens fit, vt partes non ſolum fluidas corrumpat, ſed ſolidas etiam et duriſſima oſſa rodat et voret. Illud corpori admotum (nam e longinquo non agit) primum leuem inflammationem excitat, partesque rodit. Dicunt nonnulli eſſe acidae naturae, et ſaniem veneream Syrupi violarum colorem mutare in rubicundum, id quod experimentis probandum erit. Nec hic de origine diſputandum. Quamuis olim ſimiles morbi in nonnullis obſeruati

fuerunt, morbus tamen et frequentior et peior factus eſt, adlato ex America Seculo XV. contagio. Multum ſemper ad morbos exaſperandos confert aër, victus aliaque. Sedes primaria eſſe videtur in humoribus lymphaticis, ſaliua et ſimilibus, nec non in oleo tunicae adipoſae atque celluloſae.

GONORRHOEA IN VTROQVE SEXV.

§. 596.

Non ex alia cauſſa, quam ex impuro coitu naſcitur, ſi virulenta eſt. Ab immoderato tamen coitu aliquando leuis inflammatio et humoris etiam effluuium, praecipue in foeminis, oriri poteſt, quod vero ſponte finitur. Quibus gonorrhoea imminet, illi tertio, quarto, rarius octauo vel decimo die poſt impuram Venerem ſentiunt pruritum quemdam in glande atque vrethra, quo etiam inter initia ad libidinem magis incenduntur, tandem pruritus mutatur in dolorem, qui mingendo exaſperatur, ita vt ſtranguria oriatur et frequens mingendi cupiditas. Vexantur aegri priapiſmo, profluit tandem ex vrethra, et in foeminis, quae etiam tentiginem ſentiunt, ex vagina humor ab initio paucus, glutinoſus, albicans, mox vero cinereus atque ex flauo virideſcens. In viris facilis diagnoſis eſt, in foeminis, praecipue ſi veritatem confiteri nolunt, longe difficilior, quum in multis conueniat cum fluore albo. Supra tamen expoſita fuit differentia.

§. 597.

Sedes huius morbi varia eſſe ſolet. In foeminis affectae ſunt illae glandulae, quae ad latera orificii externi poſitae ſunt, et lacunas ſeu foramina habent. Vid. illarum glandularum deſcriptionem in WINSLOW *Tr. du bas Ventre*

Ventre §. 628. Laborant etiam prae ceteris illae glandulae, quae copiosiores exitus habent circa meatum vrinarium, nec minus etiam glandulae per totam vaginam vteri. Addunt nonnulli adhuc in foeminis glandulas COWPERI iuxta anum sitas. Vid. ASTRVC *Tom. I. p.* 247. In viris autem aliquando, rarius tamen, virus haerere videtur in glandulis, substantia spongiae adsimili, et in illis minoribus glandulis, quae in corona conspiciuntur. In hac vltima virorum gonorrhoea nihil effluit ex vrethra, humor vero acris, purulentus, rodens quandoque copiosus reperitur inter glandem et praeputium. Vid. inter alios *Histor. Acad. Reg. Scientiarum* 1729. *p.* 16. Hanc gonorrhoeam nonnulli spuriam vocant. Alia sedes est, quam COCKBOVRNIVS vnicam esse credidit, in illis copiosioribus lacunis, quae in vrethra reperiuntur et a MORGAGNIO adcuratius descriptae sunt. Ex his enim naturaliter humor exsudat, quo vrethra lubricatur, qui humor hoc vitium contrahit. Aliquando etiam virus haeret in glandulis COWPERI et aliis a LITTRIO in *Histor. Acad. Reg. Scient.* 1700. descriptis. Hanc gonorrhoeam obseruationibus probauit et descripsit LITTRIVS in *Commentar. Acad. Reg. Scient.* 1711. *p.* 262. In his gonorrhoeae generibus paucus humor effertur, et glandulae COWPERI, in perinaeo iuxta musculos transuersos sitae, inprimis dolent. Frequentissima vero sedes est in prostata et in vesiculis seminalibus, quorum ductus excretorii iuxta sic dictum Verumontanum exitum habent. Haec gonorrhoea cognoscitur ex copiosioris spissiorisque humoris profluuio. Saepe tamen non vna pars, sed plures laborant, quare malum etiam intenditur. Est aliud gonorrhoeae genus, quod siccum dicitur, in quo dysuria, stranguria, dolor cum inflammationis signis vehementer vexant aegrum, vbi tamen vel nullus, vel paucus humor exit. Hoc genus a remediorum calidorum et adstringentium abusu ex aliis huius morbi generibus nascitur, et nonnumquam inflammatione et abscessu perinaei finitur.

§. 598.

§. 598.

Per quam viam virus ad haec loca perueniat, num per cauernoſam glandis ſubſtantiam, quae ex cauernoſo corpore vrethrae naſcitur, num per ipſam vrethram, Auctores non conſentiunt. Quidquid horum ſit, virus illud rodens prius inflammationem excitat, a qua fere omnia ſymptomata naſcuntur. Vrina enim, quae ſuper partes eroſas inflammatasque fertur, illum acerbiorem dolorem adfert. Dolore adducuntur et criſpantur fibrae illius membranae, qua intus contegitur vrethra cum omnibus vicinis partibus. Hinc per conſenſum male afficitur ſphincter veſicae, qui quaſi conuellitur, ita, vt ſtranguria naſcatur et crebrior mingendi cupiditas. Inflammatione aucta, et intenſis illis fibris nerueis, comprimuntur vaſa ſanguifera, quae ſi rumpuntur, id quod in corporibus debilioribus facile accidit, multum ſanguinis per vrethram effunditur. Hac inflammatione illoque ſenſu etiam irritantur muſculi erectores, hinc ſtimulus ad Venerem et moleſtus priapiſmus. Ex eadem cauſſa, inflammata videlicet interiori tunica, membrum, agentibus erectoribus, cum acerbiſſimo dolore incuruatur. Tandem etiam propter inflammationem, maxime ſi illa calidis medicamentis exaſperata fuit, praecluduntur illi ductus excretorii, virulentus humor coërcetur, qui vaſis lymphaticis abſorbetur, fertur ad glandulas inguinales, in quibus bubones fiunt, vel diffunditur in vniuerſum corpus, maxime vero in tonſillas et glandulas ſaliuales, et naſcuntur vlcera faucium. Non raro etiam ille humor corruptus fertur in vaſa deferentia, et intumeſcit cum inflammatione teſticulus.

§. 599.

Gonorrhoea maligna in iuuene, ſi nullum aliud vitium in aliis humidis eſt, et ſi venerea lues haec corrupit, et ſi regimen obſeruatur, ſine magno negotio curari poteſt, citius, quam gonorrhoea benigna. Haec ſi inueterauit, et praecipue ſi illa ex nimia laxitate veſicularum ſeminalium, et, qui ex his educuntur, ductuum excretoriorum orta eſt,

non-

nonnumquam funeſtam tabem, in aliis epilepticos motus, aliaque grauiſſima mala afferre poteſt. Ceteroquin gonorrhoea ſibi relicta, niſi cohibeatur, non facile luem infert, et homines diu ea laborant ſine alia noxa. Magnum autem diſcrimen eſt, pro diuerſis ſedibus, quae laborant, et ſi inflammatio, quae accedit, mitior vehementiorque eſt. Si materia, quae effertur, albida et ſpiſſiuſcula ſit, reliqua vero ſymptomata ſe remittunt, morbus mutatur in melius. Etiam ſpes eſt, ſi in vrina flocculi ſpiſſiores, albidi, veluti ramenta, natant. In foeminis tolerabilior eſt, et facilius curatur, quam in viris. In viris ex gonorrhoea, tanto magis male curata, ſaepe relinquuntur carunculae, de quibus ſupra dictum eſt.

§. 600.

In Curatione et tempora et corpora ſedulo diſtinguenda ſunt. Inter prima initia, poſt ſuſceptum contagium, aliquantum proficere poſſunt emollientia extrinſecus glandi admota, balnea ex aqua fluuiatili, ex decocto emolliente, vel epithemata ex radice Althaeae et floribus Chamomillae ex lacte cocta. Haec decocta etiam mediante ſiphone in vrethram dari poſſunt. Haec auxilia ſola neceſſaria ſunt in illa gonorrhoea, quam ſpuriam vel aridam vocant, quam ſupra deſcripſi. Si vero morbus iam adoleuit, et aeger dolores ſentit, et ſi iam facta eſt inflammatio, confert exhibere laxans antiphlogiſticum, ex decocto Tamarindorum, Mannae, Cremoris Tartari, Caſſiae. Aluus ſemper aperta et lubrica ſeruanda eſt enemate. Danda eſt aegro ptiſana diluens, ex radice Althaeae, Scorzonerae, Cichorei, foliis Lactucae, Parietariae: vel quae meliores ſunt, dilutiores emulſiones ex ſeminibus frigidis, ſemine Papaueris, Amygdalis excorticatis, addito Nitro et abſorbentibus. Optimum in hoc caſu eſt Nitrum, quo ſaepe totus morbus tollitur. Si ingraueſcit morbus, et cum hoc inflammatio, recurrendum eſt ad alia auxilia. Sanguis mittendus, praecipue plethoricis, aluus ducenda lotionibus emollientibus, haud

calidis,

calidis, addito Nitro. Extrinſecus imponenda ſunt epithemata ex emollientibus. Demittendus eſt aeger in balneum emolliens.

§. 601.

Vbi vero deferbuit inflammatio, et purulenta materia copioſior ſine dolore effertur, danda ſunt laxantia paullo efficaciora in phlegmaticis, ex Mercurio dulci, Extracto panchymagogo, Pilulis de Succino Cratonis et ſimilibus. Haec laxantia quinto ſextoque die iterari debent. Cum his vero exhibenda ſunt decocta ex radice Sarſaparillae, Chinae, Bardanae, Pimpinellae, Ligno Sancto, Saſſafras. Si horum vſu dolor non augetur, ſed imminuitur, in his ſolis perſeuerandum eſt. Si vero corpus phlegmaticum eſt, ad efficaciora pergendum. Vlcus efficacius abſtergunt Tinctura Antimonii, Eſſentia Pimpinellae. De his omnibus remediis vero ſedulo notandum, ea accommodari debere ad aegri naturam. Si enim, praecipue in cholericis et haemorrhoidariis, nec non in iunioribus, his acrioribus et vehementioribus vtamur, alia mala, nouae inflammationes, dyſuria, ſtranguria, haemorrhoides coecae, abſceſſus et fiſtulae in perinaeo concitantur. Tunc proficiunt mitiora laxantia ex foliis Sennae, Cremore Tartari, Manna et ſimilibus. Proficit etiam decoctum ex Sarſaparilla, China, Scorzonera, cui etiam folia Sennae adiiciuntur. Cum his omnibus neceſſarium eſt, vt aeger cibo vtatur pauco, ex materia imbecilla, et potione dilutiſſima, ex aqua vel ptiſana, vt abſtineat ab omnibus cogitationibus venereis, decubitu ſupino, in victu ab omnibus acribus, fermenteſcentibus, ſalſis, dyſpeptis. Si morbus valde refractarius eſt, adhiberi poſſunt Mercurialia. Datur Panacaea LEMERY ad ſcrupulum dimidium pro doſi, quae commode conſerua Roſarum pallidarum et Syrupo earumdem, vel florum Perſicorum excipitur et in bolum vertitur. Datur eiusmodi bolus tertio quoque die cum illis remediis ſanguinem purgantibus, ex quibus aliis praeferri debent decocta. Nec

alienum

alienum eſt Vnguentum Neapolitanum, ſi pauca quantitas Mercurii, ad drachmam j. vel ij. circiter, extrinſecus partitis vicibus perinaeo illinitur. Neceſſarium vero eſt, vt eo tempore, quo Mercurius adhibitus fuit, aeger vitet omne frigus, et vt ſemper, ne ptyaliſmus oriatur, poſt fricationem ſumat laxantia, ex quorum numero illa apozemata reliquis praeferenda ſunt. Quamdiu extrinſecus adhibetur Mercurius in vnguento, non facile mutanda ſunt lintea. Raro vel numquam gonorrhoea concitato per Mercurium ptyaliſmo curatur.

§. 602.

Si tandem ex vſu horum remediorum corruptus humor, ex vrethra efferri ſolitus, benignior videtur, et magis albicans, adhibenda ſunt remedia, quae hoc profluuium pedetentim cohibent. Hoc efficiunt Balſama: Balſamum Peruuianum, de Copaiua, nec non Terebinthina. Balſama admiſceri poſſunt illis Eſſentiis et Tincturis. Balſama haec commode etiam excipiuntur vitello oui ſorbilis, et cum eo deglutiuntur. Tandem efficacius cohibet Terebinthina. Plurimum ad cohibendam gonorrhoeam etiam valet os Sepiae praeparatum. Sedulo autem videndum, ne his vtamur, ſi vlcus nondum purgatum eſt, tanto magis, ſi corpus impurum fuerit. Nec etiam ad horum remediorum vſum nimis properandum eſt.

§. 603.

Multum tribuunt lotionibus in vrethram immiſſis, quarum variae apud Auctores reperiuntur compoſitiones. Omnes minorem efficaciam habent, niſi partes iam atonia laborant. Nec tamen his, quibus etiam profluuium coërcetur, temere vtendum eſt.

§. 604.

Nonnumquam ex gonorrhoea, praecipue male curata, ſanguinis profluuium oritur ſaepe periculoſum. Cauſſam ſupra adduxi. Adhibenda ſunt omnia auxilia, quae ad haemor-

morrhagiam ſiſtendam neceſſaria ſunt, enemata emollientia, frigida, lintea frigida madentia, quae perinaeo et mentulae imponuntur. Dentur emulſiones cum ſemine Papaueris, Nitro et Cryſtallo montana praeparata. Vrgente malo ſanguis ex brachio mittendus. Vinctura ſunt conſtringendi digiti manuum; prae ceteris omnibus neceſſaria eſt quies et abſtinentia. Si gonorrhoea citius ſuppreſſa fuit, illa recenti re iterum poteſt reuocari. Eſt tamen differentia. Si poſt ſuppreſſionem inflammatio mota eſt, quam ex ſignis facile cognoſcimus, et ex qua plerumque vel bubo, vel tumor teſticuli metuendus eſt, adhibendum eſt ſolum Nitrum cum temperantibus, quae admiſceri poſſunt emulſioni ex ſemine Papaueris. Si vero adſtringentia et Saturnina adhibita fuerunt, et nulla acceſſit inflammatio, proficit Balſamum Peruuianum vitello oui ſolutum, vel emulſionibus admixtum. In eo caſu, vbi nulla inflammatio adeſt, licet etiam experiri Tincturam Antimonii acrem, praemiſſo laxante cum Mercurio dulci. Equitatio reuocare poteſt gonorrhoeam, qua abſtinere debent, qui hoc morbo praecipue cum inflammatione laborant.

§. 605.

Gonorrhoeam benignam vocant, quando praeter voluptatem humor non acris, ſed blandus ex genitalibus vtriusque ſexus excernitur. Plerumque relinquitur a gonorrhoea diuturna vel frequenti, aliquando etiam a Veneris praematuro nimioque vſu. Eſt tamen differentia. Nonnullis perpetuum ſtillicidium eſt, et maribus glans ſemper humore viſcido madet. Aliis vero accedit, vt leui aliqua preſſione vel commotione facta, dum aluum vel lotium exprimunt, vel dum muſculi erectores agunt, verum ſemen inuitis exprimatur ſine voluptate. In prioribus plerumque ductus excretorii in vrethram aperti ampliati ſunt; in poſterioribus vero infirmatae ſunt illae menbranae, ipſi etiam, vt videtur, muſculi relaxati, quibus ceteroquin ſemen in veſiculis ſuis continetur, et tempore coitus exprimitur.

mitur. Haec atonia oriri videtur a nimis frequenti tentigine, quae vel ex voluntate, vel ex morbis dictis venereis, et, quae his accedere ſolet, inflammatione profecta fuit. Ex hac enim intentione crebriori naſcitur laxitas et atonia. In foeminis morbus hic non facile dignoſcitur, refertur plerumque ad fluorem album, cuius frequentior cauſſa etiam nimia impuraque Venus eſſe ſolet. Vterque morbus pertinax eſt et difficilius ſaneſcit, praecipue in ſenibus. Saepe finitur in ſenibus marcore et tabe, in iunioribus ſumma corporis et viſcerum imbecillitate, vertigine, epilepſia. Vid. HOFFMANNI Diſſert. de *Morbis ex nimio Veneris vſu.*

§. 606.

In curandis his morbis minime feſtinari oportet, quia ſaepe in his corporibus ſimul acrimonia quaedam deliteſcit, vel ex aliis cauſſis, vel ex morbo venereo relicta. Haec ante omnia expugnanda eſt congruis auxiliis, victu et medicamentis. Dari poſſunt noduli laxantes, ex radice Vincetoxici, Cichorei, Rhabarbaro, foliis Sennae, Paſſulis, Cremore Tartari, quae infuſa aluum ſubducentia per aliquot dies potari poſſunt. Fiunt commode ex aequis portionibus Vini et aquae. Interpoſito aliquo tempore, ſi nihil eſt, quod impediat, corpus eluendum eſt aquis mineralibus. Egregie proficiunt Pyrmontanae, quibus ſub finem etiam lac admiſceri poteſt. Debilioribus conducunt Selteranae cum lacte aſinino vel alio, diu potandae. Nec alienum eſt, ſi lacti admiſceas decoctum Millefolii, Agrimoniae, Saluiae, Meliſſae, Malicorii. Etiam ferrum ignitum in ſero lactis exſtingui poteſt, ſerumque quotidie potari. Experientia compertum eſt, nonnullis profuiſſe Thermas Carolinas, quae vero, ſi malum valde inueteratum, et aeger iam imbecillior factus eſt, hominem praecipitare poſſunt. His auxiliis diu multumque adhibitis, et repurgatis, vt decet, humidis, adhibenda ſunt roborantia. Sunt vero haec, praeter dicta balſama, cum vitello oui ſoluenda, Corallia, Succinum, Os Sepiae praeparatum. Melius conducunt

roborantia ex Cydonio, miua Cydoniorum, Confectio Strobilorum Pini, cuius aeger quotidie ad drachmas ij. circiter ſumat. Sunt, qui extollunt compoſitionem QVERCETANI. Etiam adhiberi poſſunt Liquores, qui in vrethram dantur, quibus tantillum Sacchari Saturni admiſceri poteſt. Perinaco admoueantur epithemata, non nimis calida, ex radice Biſtortae, Tormentillae, herba Menthae criſpae, Saluiae, Pulegii, Alchimillae, Roriſmarini, foliis Lauri, baccis Lauri, quae ex vino rubro coqui poſſunt. Superhaberi etiam poteſt emplaſtrum neruinum, oleo quodam ſtillatitio conſpergendum. Etiam proſunt balnea frigida. Omnia vero ſaepe fruſtra adhibentur, niſi aeger ſollicite vitet omnia acria, quae ſanguinem mouere vel etiam Venerem incendere poſſunt. Vita enim debilis fere optima eſt. Nocet inprimis equitatio. In foeminis ſaepe, fruſtra ſumtis omnibus, profecerunt Thermae Toeplicenſes.

LVES VENEREA.

§. 607.

Naſcitur ex contagio, et plerumque ex gonorrhoea, vlceribus, bubonibus, ſi negliguntur vel male curantur. Praecipue vitium hoc, quo omnia corporis humida corrumpuntur, metuendum eſt iis, qui vlceribus illis ſic dictis cancroſis laborantes, haec, ſine adhibitis internis ſanguinem purgantibus, ſiccant glutinantque. Aliquando oritur a contagio partium externarum per oſcula et ſaliuam, vel ſi homines ſub iisdem ſtragulis decumbunt. Morbum contrahit infans ex vitiato lacte; infans vero a parentibus genitus, qui hoc morbo laborant, morbum affere poteſt nutrici. Plerumque illae partes primum afficiuntur exulceranturque, quae impuro humore primum contaminatae fuerunt. Contagium tamen haud ex longinquo, nec per atmoſphaeram, veluti

veluti in febribus malignis, nocet. Morbus per contagium partium externarum ortus ab initio longe facilius tollitur, quam qui ex humoribus vitiatis per genitalia ſuſceptus fuit.

§. 608.

Symptomata huius morbi varia et fere infinita ſunt. Ab initio aegrorum animos inceſſit grauis moeſtitia, quae non ex ſolo pudore et metu, ſed, vt videtur, ex lentore tenuiorum humorum lymphaticorum oritur. Qui vero hoc morbo per vniuerſum corpus eiusque tenuiora humida diffuſo laborant, ſentiunt dolorem ab initio fere rheumaticum, poſt oſteocopum, ſeu quo, vt deſcribunt, interiora oſſium quaſi telo quodam acuto terebrantur. Hic dolor, ſi in interioribus oſſium eſt, plerumque proficiſcitur ab obſtructione in vtroque perioſtio, interno externoque. In hoc enim a lympha, tum viſcida, tum acri, mouetur inflammatio, ex qua tandem, facta ſuppuratione atque exulceratione, naſcitur caries. Nonnumquam etiam perioſtium afficitur, intenditurque ab intumeſcente oſſe, praecipue ſi tumor breui tempore multum increſcit. Peſſimum eſt, ſi doloris cauſſa haeret in vitiata medulla inflammatoque vel vitiato et eroſo perioſtio interno. Dolores hi diſtinguendi ſunt ab aliis rheumaticis, arthriticis et iſchiadicis doloribus. Rheumatici dolores ſedem habent in membranis ipſiſque muſculis; arthritici in ligamentis oſſium, praecipue articulorum; ſcorbutici in ipſis articulis et horum ligamentis capſularibus, quorum humor ſeu axungia vitium contraxit. Morbi venerei autem ipſa oſſa, eaque duriora, et plerumque mediam eorum partem infeſtant. Venerei noctu et ſtragulorum calore multum exaſperantur, quod ſignum pathognomonicum eſſe ſolet. Venereis etiam ſimilis accedit cephalalgia, quae quoque lectuli calore intenditur.

§. 609.

Tandem vero his omnibus alia accedunt. In cute maculae erumpunt rubicundae, purpureae ſeu ephelides

et lentigines, ſcabies, lichenes, ex quibus ſquamulae decidunt. Praecipue autem in fronte et capitis parte capillis obſita, fiunt vlcuſcula, quibus inhaeret cruſta pinguior, flaueſcens, quae, ſi auſertur, mox renaſcitur. Vorant haec vlcera in latum et profundum, et niſi medela adferatur, in capite ad pericranium vsque penetrant. Labra finduntur, et in his etiam vlcuſcula fiunt. Si morbus ingraveſcit, oritur ἀλωπεκία ſeu pilorum defluuium. In genitalibus mala vlcera fiunt, quae ſerpunt, ita, vt puſtulis pus fundentibus omnia exaſperentur. Saepe etiam id, quod ſanum videbatur, iterum exulceratur. Naſcuntur etiam in his partibus verrucae, ſic dicti porri, in ano fici et mariſcae, condylomata ſeu tumores duri cartilaginoſi, abſceſſus, fiſtulae, quae ſaepe, in perinaeo ortae, ſinuoſae fiunt, et intra inteſtinum rectum deſinunt. Fauces exulcerantur, et oriuntur vlcera impura cacoëthea, quae tonſillas, penetrandoque ipſum ad perioſtium, vorant. Inter haec dentes labant caduntque. In capite et aliis etiam ſedibus membrisque oriuntur gummata, tophi, nodique, qui acerbiſſimum dolorem in perioſtio intento mouent; tandem hi tumores matureſcunt, aperiuntur, atque ſub finem ad ipſa oſſa, exeſo corruptoque perioſtio, penetrant, vt oſſa carioſa fiant. In oſſibus non ſolum caries, ſed etiam tumor ſeu maligna exoſtoſis naſci ſolet. Aliquando oſſa tota in ambitu ſuo intumeſcunt, quem tumorem Hyperoſtoſin nonnulli adpellant. Sub finem, niſi auxilia adhibeantur, corruptis omnibus humidis, homines tabidi fiunt pereuntque.

§. 610.

Saepe hic morbus confunditur cum Scorbuto. Differunt ortu. Verus Scorbutus naſcitur ex malo victu et regimine, maxime ſi nautici homines, crudo ſalſoque victu vtentes, ſe atmoſphaerae frigidae grauique per multum tempus exponunt atque exſpirationem cohibent. Etiam oritur ex moerore et inſueto vitae genere, impura aqua, defectu exercitationis, &c. Morbus venereus non niſi ex con-

contagio. Et Scorbuto contagium eſt, longe tamen ſegnius, quam morbo venereo. Nam illud vix alia ratione, quam per os et ſaliuam propagatur. Verus ſcorbutus in terris ſeptentrionalibus endemius eſt, et inter nauticos homines frequentior. In ſcorbuto laborant prae ceteris partibus gingiuae. In morbo venereo tonſillae aliaeque glandulae. Scorbuticorum vlcera ſunt cum magno aeſtu et pruritu, accedente gangraena et putredine, magis etiam in latum diffuſa. Venereorum vlcera ſunt profundiora, lenta, et in quibus humor eſt glutinoſus, ſubpallidus, craſſitudinem mellis aut viſci referens. Non niſi valde confirmatus ſcorbutus perioſteum exedit, et oſſibus vitium adfert. Nec haec facile a ſolo veroque ſcorbuto intumeſcunt. In ſcorbuto magis afficiuntur carnes, quam glandulae; in morbo venereo hae prae ceteris. Dolor artuum in ſcorbuticis articulos, in venereis mediam artuum partem prae ceteris occupat. Priorum dolores non ita vehementes ſunt, nec adeo calore exaſperantur. Vtriusque vero morbi cauſſae manifeſtae ſunt.

§. 611.

Morbus venereus ipſe plurimum differt pro diuerſo contagio, morbi vetuſtate, ſymptomatum vehementia, et ipſis partibus, quae laborant. Is multum exaſperatur, ſi alii morbi accedunt, veluti Rhachitis, Scorbutus, Arthritis, Malum hypochondriacum. Facilius tollitur morbus, quamdiu adhuc in fluidis haeret. Vbi vero partes ſolidae, praecipue interna viſcera vel oſſa vitiata ſunt, malum difficilius tollitur, et non raro nullam curationem admittit, praecipue ſi ad oſſium vitia manus Chirurgi admoueri nequit. Peior longe eſt vera et venerea exoſtoſis, quam caries, quae ab inflammato corruptoque per eumdem morbum perioſteo ortum coepit. Difficillimus morbus eſt, qui recruduit, vel olim ſopitus nouo contagio auctus fuit, maxime ſi vario mercurialium vſu fuit tentatus. Si viſcus vitio laborat, ſequitur tabes et hectica venerea, tandem funeſta. Ceteris

paribus celerius et melius ſaneſcunt foeminae, quibus catamenia fluunt, quam aliae, quibus illa non proueniunt, etiam hae facilius, quam viri. In hoc morbo fere nihil a naturae efficacia, quae in aliis morbis curandis maxima eſt, ſperari poteſt.

§. 612.

Medendi ratio varia eſt, de qua etiam magnum diſſenſum inuenimus inter Auctores. Semper videndum, vt minori malo leniora auxilia et tolerabiliora, vehementi vero efficaciora adhibeantur. Reuocari poſſunt hae medendi rationes ad vſum decoctorum aliorumque liquorum, qui adverſus hunc morbum, adhibita etiam ſudatione, dari ſolent, et ad Mercurii vſum, qui extrinſecus optime per vnguenta admouetur, ab aliis per ſuffitiones, vel etiam intus datur in variis arte chymica praeparatis. Praeterea Mercurius vel ita datur, vt excitetur atque per plures dies continuetur ptyalismus, vel, id quod aliis in more eſt, ſaliuae profluuium, quod imminet, datis catharcticis iterum auertitur. De ſingulis ſeorſim.

§. 613.

Decocta ſic dicta antiuenerea proficiunt in corporibus raris et obeſis, ſi morbus adhuc in humidis haeret, et ſi non omne corpus, ſed partes quaedam, veluti glandulae ſaliuales, laborant. Valde autem nocere poſſunt meraciora decocta corporibus adſtrictis, emaciatis, et quibus tabes imminere videtur, praecipue iis, quae iam pulmones ex aliis cauſſis affectos, tuberculis ac ſcirrhis plenos, habent. Decocta parantur ex radice Saſſaparillae, Chinae, Bardanae, Pimpinellae albae, ligno Saſſafras, Iunipero et, quod ceteris efficacius eſt, Guaiaco. Haec decocta ab initio dilutiora, mox meraciora potanda ſunt. Hiſce non ſolum praemitti, ſed cum his interpoſitis vicibus aliquoties dari debent catharctica, ex Extracto panchymagogo, Pilulis de Succino Cratonis, Mercurio dulci, Reſina Ialappae, Agarico

rico trochiſcato et ſimilibus. Cum decoctis dari poſſunt Eſſentia Pimpinellae albae, Succini, Myrrhae, prae aliis vero Tinctura Antimonii, ex qua, ſi lignis radicibusque modo commemoratis affunditur, parantur Tincturae antiuenereae. Si per tempus, adhibito ſimul idoneo victu, aeger decocta potauit, id quod commode horis matutinis in lectulo fieri poteſt, is, ſumto decocto meraciori, ſudare poteſt in laconico, accenſo ſpiritu ardente, Germ. (*Schwitzkaſten*); vel excitato vapore ex ipſo meraciori decocto Ligni Guaiaci. Poſt quotidianam ſudationem, quae pro viribus aegrotantis ad horas circiter tringinta vel quadraginta protrahenda, et in qua per plures dies perſeuerandum eſt, aeger debet ſe per tempus in lectulo continere, ex conclaui vero numquam egredi, quum frigida aura corpori admiſſa plurimum nocere poſſit. Adiici etiam poteſt decoctis Antimonium crudum in petia ligatum ad vnciam vnam pro menſura. Id vero nonnullis nauſeam vomitumque mouet. In victu vitanda ſunt omnia iurulenta, quae nocentiſſima ſunt, ſalſa, pinguia, acria, acida. Potioni praeſtandum eſt vel decoctum ſecundarium illarum radicum et lignorum, vel aliud ex his compoſitum et palato magis accommodatum. Si fieri poteſt, aeger veſcatur pane bis cocto et carnibus aſſis, non vero mucidis, quales ſunt ſuillae, anaticae, anſerinae, quae alienae et nocentiſſimae ſunt. Ceteris praeſtantiores ſunt carnes ferarum. Vinum alienum; vinum vero ardens peſtilentiſſimum eſt. Semper cura habenda eſt, vt aluus reſpondeat, quae ducenda eſt lotionibus. Cum decocto aeger veſci poterit vuis Corinthiacis. Finita curatione aeger pedetentim ad priſtinam viuendi rationem reuertatur.

§. 614.

Mercurio aduerſus hunc morbum ſingularis et ſpecifica virtus eſt. Vt videtur, agit ſumma ſua mobilitate et pondere minimarum particularum, quibus lymphae itinera praecluſa aperiuntur, lentique humores attenuantur, ac in ſerum

conuertuntur. Non vero tollit obſtructionem in maioribus vaſis, veluti in ſcirrho. Nec oſſium morbis ſemper medetur, nec gonorrhoeae. Adhiberi debet ad minimum ſub hoc noſtro Septentrionali coelo magna diligentia, ne is, in corpore debili relictus, maiora mala pariat. Eius vſus varius eſt. Vel enim intus dantur varii generis praeparata, ex quibus ceteris praeſtantior eſt Mercurius dulcis, et, quae ab hoc parum differt, Panacaea LEMERY, vel is extrinſecus admouetur corpori; optime in vnguento, ab aliis per ſuffitus, emplaſtra, cingula. His omnibus vel ptyalismus concitatur, vel etiam, illo impedito, Mercurius per aluum educitur. Magna controuerſia eſt, quaenam methodus praeſtantior? In maiori malo ceteris omnibus efficacior viſa eſt medendi ratio per ptyalismum, illito vnguento Neapolitano concitatum.

§. 615.

Si itaque curationem per ptyalismum adhibere velis, corpus magna diligentia adhibita praeparandum eſt. Sanguis mittendus, praecipue ſi id corporis habitus poſtulat. Ante et poſt Venaeſectionem aluus ducenda eſt admixto aliis catharcticis Mercurio dulci. Poſt per decem vel duodecim circiter dies aeger bis per diem et per horae tempus demittatur in balneum ex aqua fluuiatili, quae balnea maxime neceſſaria ſunt ſiccis et adſtrictis corporibus. Aeger etiam victu tenui vtatur durante balneo, pane candido, brodiis tenuioribus, carnibus iuniorum animalium aſſatis, et concedi poteſt pauxillum vini. Nec alienus eſt panis bis coctus cum paſſulis. Nocent dyſpepta, acida, ſalſa, pinguia, aromata. Potioni praeſtanda eſt ptiſana, non ex meracioribus, ſed ex hordeo, radice Graminis, Saſſaparillae, Glycyrrhizae. Finitis balneis, aluus iterum ducatur. Tandem praeparandum eſt vnguentum. Mercurius adhiberi ſolet, qui ex Cinnabari obtinetur, ſi haec cum Limatura Martis puro igne vrgetur, vel adhibetur Mercurius ſaepe per corium transmiſſus. Adhibenda eſt ſuilla axungia recens,

cens, ab omnibus membranis ſtudioſe liberata, nec igne liquata, nec ſalſa, nec rancida. Sumi poſſunt pares portiones Mercurii et axungiae. Frequentius vna portio Mercurii admiſcetur duabus axungiae. Subigitur Mercurius vel ſaliua hominis ieiuni, vel dum paucae guttulae Terebinthinae prius Mercurio adiiciuntur, et cum hoc diu teruntur. In tota curatione ratio habenda eſt non tam vnguenti, quam Mercurii.

§. 616.

Huius vnguenti adhibetur primo die tantum, quantum drachmam dimidiam Mercurii continet. Nec facile vltra drahmam j. vel vnam et dimidiam, Mercurii adſcendendum eſt. Etiam vnguentum iterum diuidendum pro vtroque latere et variis, quae inungendae ſunt, partibus; nec non ſi portio Mercurii bis per diem, horis matutinis et veſpertinis adhiberi debet. Vnctio fiat coram igne, deterſa prius cute, et ſi fieri poteſt manu Chirurgi, vel ſi hic Mercurium metuit, ipſius aegri. Pars diu perfricanda eſt ad rubedinem. Primo die inungantur plantae pedum, vel locus, vbi articulus aſtragali cum tibia eſt; altero die praeter has et genua; tertio die inguina et nates. Sunt, qui etiam ad carpum et brachia adſcendunt. Poſt fricationem, quae ſemper horis matutinis et veſpertinis, poſt peractam concoctionem, adminiſtranda eſt, quieſcat aeger in lectulo, ſtragulis bene, non tamen ad ſudorem vsque, coopertus. Sic continuandum eſt, donec aeger exſpuat per nychtimeron circiter libram vnam ſeri; tunc enim intermittenda eſt fricatio et Mercurii vſus. Vbi vero ſputum iterum imminuitur, iterum Mercurius admoueri debet, donec aeger per nychtimeron exſpuat libras circiter tres. Periculoſum eſt, ſi plus ſaliuae exſpuitur. Ptyalismus continuari debet vsque ad triceſimum circiter diem, et ſi ante hunc deficere videtur ſputum, iterum admouendus eſt Mercurius, vel dandus Mercurius dulcis. Magna eſt differentia. Plures enim adhibito pauco Mercurio ſpuunt, alii vero maiori doſi opus

habent. Plerumque ſufficit vncia vna, ad ſummum duae. Fuerunt, qui nec tribus vnciis commoti fuerunt. Durante ptyaliſmo victus ſit tenuis, tenue iuſculum, interdum ouum ſorbile. Plures lac dare ſolent, et polentum vel oryzam cum lacte decoctam. Vacillant dentes et aeger maſticare nequit. Lintea numquam mutanda ſunt, nec ſtragula. Temperatus calor in conclaui ſeruandus. Potioni praeſtanda eſt ptiſana lenior, non vero meracior. Nec ſerum lactis, quod aegris gratum eſt, alienum fuit. Si aluus non reſpondet, ea lenioribus lotionibus ducatur.

§. 617.

Peracto illo tempore, bonum eſt, ſi ptyalismus pedetentim imminuitur. Prouide mutanda ſunt lintea, et in victu adhuc perſiſtendum eſt, datis tamen paullo valentioribus iuſculis cum Cremore hordei, auena, oryza, et aliis. Si nimius eſt ptyalismus, aluus duci poteſt ſub finem Apozemate ex foliis Sennae, Rhabarbaro, Manna. Proficit etiam, ſi aegro per plures dies Decocta antiuenerea paullo meraciora propinantur. Pedetentim etiam is ſe aëri committat, et ad priſtinam viuendi rationem reuertatur. Plurimum nocere ſolet fames, qua aegri, poſt has curationes excitati, ſe multum implere ſolent.

§. 618.

Varia incidere poſſunt in hac curatione. Nonnumquam oritur ſuffocationis periculum, caput intumeſcit, impedita eſt omnis reſpiratio et deglutitio. Oritur vel a refrigerio, maxime potu frigido, vel a nimio Mercurio, praecipue, ſi aeger olim iam medicamentis ex Mercurio praeparatis fuit tentatus. Feſtinandum eſt in curatione. Protinus caput et collum linteis calidis inuoluendum eſt. Si a nimio Mercurio malum ortum fuit, mutanda ſunt lintea, et linteis detergenda eſt cutis, cui illitum fuit vnguentum. In aluum immittenda eſt lotio ex foliis Sennae ad drachm. ij.

vel

vel iij. additis emollientibus. Stimulus adiici poteſt ex Electuario de Hiera picra ad vnciam circiter dimidiam. Etiam aluus duci poteſt cum Apozemate ex foliis Sennae. Si malum valde vrget, ſanguis mittatur ex talo. Regimen ſit tale, vt diapnoë adaugeatur. Nonnumquam tormina cum diarrhoea, immo deiectionibus cruentis oriuntur. Hoc incidere poteſt, ſi corpus ante curationem non recte fuit praeparatum, id quod purgantibus et balneis fieri ſupra diximus, vel ſi aeger victu pleniore vinoque vſus eſt, vel ex refrigerio. Frequentior autem cauſſa eſt, ſi aeger ſaliuam deglutit. Quare ſemper ſub ſomno is pronus iacere debet, vt ſputum ex ore effluere poſſit. Etiam antequam aliquid deglutire vult, debet ſemper os prius eluere, vel calida, vel gargariſmo emolliente. Aduerſus hoc ſymptoma clysma ex lacte pingui, addito pauco Croco, vitello oui, oleo Amygdalarum dulcium recenti vel Liliorum alborum, in aluum immittendum eſt. Aeger deglutiat oleum Amygdalarum recens ſine igne expreſſum, et ſi ſymptomata non leuantur, dandum eſt Diaſcordium Fracaſtorii ad ſcrup. j. vel drachmam dimidiam pro doſi, quae doſis etiam, ſi illud res poſtulat, altera vel tertia vice repeti poteſt. Abdomini imponatur tegula calida, et ſi ſymptomata vehementiora ſunt, mutari etiam poſſunt lintea, id quod tamen prouide fieri debet. Vbi deiectiones conquieuerunt, dandum eſt Rhabarbarum in puluere, ad exturbandas ſordes in inteſtinis relictas. Vix attinet dicere, eo tempore, quo haec et alia ſymptomata ingruunt, abſtinendum eſſe ab omni vſu Mercurii, ad quem, poſtquam illa ſymptomata conquieuerunt, reuertendum eſt. Hoc etiam faciendum eſt, ſi durante hac curatione foeminis menſtrua proueniunt. Ibi enim quieſcendum eſt, ſed idem regimen ſeruandum. Si menſtrua copioſiora fluunt, eo tempore dari debent iuſcula paullo meraciora cum oryza.

§. 619.

§. 619.

Plurimum vexantur aegri oris vlceribus, quare aeger frequentius debet os eluere decocto Altheae, florum Verbasci, Chamomillae, Sambuci. Etiam non alienae sunt mucilagines Psyllii et Cydoniorum. Nocentissima sunt omnia adstringentia in gargarismis. Vlcera haec saepe oriuntur ex frigidiori aura, ori admissa, ex potu frigido, ex nimio Mercurii vsu. Vbi vlcera vehementiora fiunt, et dolorem inferunt, illi decocto vel gargarismo adiici potest lignum Sassafras, vel Lignum sanctum. Vlceribus illini potest mel rosatum, cui vna vel altera guttula Spiritus Salis admiscetur. Nec aliena est essentia Pimpinellae albae, frustulo sacchari excepta. ASTRVCIVS extollit Collyrium LANERANCII.

§. 620.

Si vero ptyalismus non vnguento, sed Mercurio intus sumto excitandus est, nullum praestantius praeparatum est, quam Mercurius dulcis, iterata sublimatione praeparandus. Datur is, ne gingiuis inhaerescat, optime in bolo, cum Syrupo quodam et Conserua. Quotidie dari potest ab initio ad scrup. semis, tandem ad gr. xv. vel scrupulum vnum. In hac dosi perseuerandum est, vel ea augenda, vel minuenda est, donec aeger per nychtimeron exspuat circiter libras tres saliuae. Videndum est enim sedulo, ne ex nimio Mercurio oriatur suffocationis periculum. Vbi sputum ante tempus deficere videtur, dari potest nouus stimulus ex Mercurio dulci ad gr. viij. vel scrup. semis. In imbecillioribus quotidiana Mercurii dosis diuidi debet in duas vel plures partes, ita, vt pedetentim offeratur. Ceteroquin Mercurius tempore vespertino commode sumitur. Cetera cum iis conueniunt, quae supra dixi.

§. 621.

Alia methodus est, vbi tertio quoque die, aliquando etiam quarto vel quinto, datur Mercurii dosis, obseruato regimine

gimine. Vbi aeger ſpuere incipit, dantur catharctica. Eadem ratione etiam illinire ſolent vnguentum Neapolitanum; et ita hanc curationem continuant, donec euaneſcunt ſymptomata. Sub finem iterantur catharctica; datur ptiſana meracior, adhibentur etiam balnea. Quae methodus quum in Gallia vſitatiſſima ſit, forte in locis ſeptentrionalibus non bene reſpondiſſe videtur; praecipue ſi aegri cum his regimen non ſeruauerunt.

SCORBVTVS.

§. 622.

Eſt cacochymiae genus, ſeu peculiaris ſanguinis omniumque humorum in corpore dyſcraſia, quae ex variis cauſſis naſcitur. Saepe ad ſcorbutum referri a Clinicis ſolent omnia morborum genera paullo difficiliora, morbi ſpaſtici, arthritici, quos quidem interdum, non vero ſemper ex vero Scorbuto oriri, certum eſt. Crebrius ſcorbuti nomine ſignificant morbum venereum. De cuius et ſcorbuti differentia ſupra dictum fuit. Verus ſcorbutus, vix notus populis meridionalibus, communiter ſeptentrionalibus eſt endemius. In terris ſeptentrionalibus naturalis et copioſior prouentus eſt Cochleariae aliarumque herbarum antiſcorbuticarum. Prae ceteris nautae eo laborant, cuius rei cauſſa a viuendi ratione petenda eſt.

§. 623.

In Scorbuto ſyndrome eſt variorum ſymptomatum. Ipſe autem morbus diſcrimina habet. Nam aliquando in corrupto corporis habitu exſuperat oleum rancidum, quod, admixto ſale, per attritum attenuato, volatile factum, parit Scorbutum, quem vocamus calidum. Aliquando exſuperat ſalſum, aliquando vero, maxime in iis, qui, victu vege-

vegetabili aceſcente vſi, malo hypochondriaco conflictati, tandem ſcorbutici fiunt, acidum. Omnes aegri ab initio conqueruntur de inſolita corporis laſſitudine, torpore, ſomnolentia, ſpiritus difficultate, cordis palpitatione, et poſt, increbreſcente morbo, de obtuſo lumborum artuumque dolore, qui illi dolori ſimilis eſt, quem poſt paullo vehementiorem et inſolitam exercitationem ſentimus. Dolor veſperi exaſperatur, mane, proueniente ſudore, ſe remittit. Facies et tota cutis fit pallida, liuida, et conſpiciuntur maculae, mox rubicundae, mox flaueſcentes nigricantesque. Anima fit foetida, gingiuae ſtomacace laborant, ſeu exulceratione ſanguinolenta, quae in ſcorbuto calido ad gangraenam ſpectat, in frigido autem lenta eſt, in qua multus et muco ſimilis humor eſſe ſolet. Scorbuticis venae raninae atro ſanguine turgidae ſunt, dentes labant caduntque. Tandem fiunt vlcera non ſolum in ore, ſed aliis etiam corporis ſedibus, ex quibus crebrius ater ſanguis erumpit. Sanguis ex vena miſſus varius eſt, colore vel liuidus, vel niger, multo ſero acri et pituita viridi, flaueſcente mixtus. Venter flatibus intentus eſt. Flatus enim ex cruditate oriuntur. Pulſus paruus, debilis, inaequalis eſt. Vrina varia, in ſcorbuto calido ſaepe lixiuioſa, cum multo ſedimento tartareo matulae inhaereſcente; in frigido nonnumquam pallida, mox alia et quandoque nigra, cum ſedimento farinoſo. Ingraueſcente morbo ſaepe paralyſis oritur, σκελοτύρβην vocant. Oſſa tandem vitium contrahunt, et carioſa fiunt, id quod frequentius incidit, vbi acidum exſuperat. Illa exeſo perioſtio friabilia fiunt. Inter cauſſas non ſolum, ſed etiam inter cauſſarum ſymptomata diſcrimen eſt. Vbi exſuperat rancidum, ſpiritus grauior eſt et fere intolerabilis, cadauer olens, copioſiores ſunt maculae nigricantes, vlcera ad gangraenam ſpectant. Accedunt vigiliae, marcor, febris lenta, aluus male fluens, cruenta, bilioſa et peioris odoris, quam ex conſuetudine eſſe ſolet. Sub finem accedit inſania. In ſalſo difficilior reſpiratio et artuum vehementior dolor eſt. In acido exſuperante vrina plerumque

que vel pallida, vel nigra; ſpiritus oris acidum olet, cadunt celerius dentes exeſi, ſcabri, nigri, vitianturque oſſa. Sub finem arthritis, rheumatiſmus, melancholia et inſania, vi etiam coërcenda, accedunt.

§. 624.

Cauſſae plerumque a rebus non-naturalibus petendae ſunt. Plurimum confert aër, quare in oris maritimis loca, in quibus poſt inundationes aqua ſalſa marina quieſcit et putreſcit, ſcorbuto gignendo aptiora fiunt. Haec putredo adaugetur, ſi herbae, nec non animalia marina cum aquis paludoſis putrefiunt. Plurimum etiam conferunt nauticorum hominum carnes et piſces ſale conditi, fumo indurati, caſeus rancidus et legumina valentiora. In nauigationibus longis nautae potant aquas verminoſas, putres. Scorbutus etiam naſcitur in miſeris, qui in carceribus concluſis detinentur, nec non in iis, qui in locis ſubterraneis ſuper pauimenta, lapide ſtrata, habitant, et quibus aëre frigido, humido ac vappido inſenſibilis exſpiratio cohibetur. Plurimum confert moeror, nimia quies, defectus ſomni, plethora, haemorrhoidum et menſtruorum obſtructio, febris quartana male curata, maxime celerius vel Cortice Peruuiano, vel adſtringentibus cohibita. Malum eſt hereditarium, et habet aliquod contagium, lentum vero et minus efficax.

§. 625.

Morbus recens, ſubito ortus, citius tollitur, quam qui ex humorum dyſcraſia, pedetentim in corpore genita, natus fuit. Quibus multae et magnae maculae rubicundae fiunt, illis metuenda eſt haemorrhagia per nares, vel per pectus, quae interdum funeſta eſſe poteſt. Menſtruorum et haemorrhoidum profluuium leuat morbum, ſi ex harum excretionum vitiis ortus fuit, non vero, vbi ab acrimonia et nimia ſanguinis raritate tale profluuium oritur. Viſcera ſi male affecta ſunt, aegri tabidi moriuntur, vel etiam exſtinguuntur haemorrhagia exhauſti. Si morbus a malo victu

ortus

ortus fuit, tolli nequit, niſi cibo potuque mutatis. Si alimentorum bonorum copia datur, ſaepe breui conualeſcunt homines nautici.

§. 626.

In Curatione videndum eſt, vt humida corrigantur; vt craſſum iterum tenue; ſtagnans, mobile; cohaerens, fluidum fiat; et praecipue, vt adſit copia mitis illius blandique humoris, quo corpus alitur, et ex quo perfectiſſimi ſucci elaborantur. Praeterea ſedulo conſideranda eſt acrimonia, illaque differentia inter ſcorbutum calidum et frigidum ſic dictum. Hanc differentiam non ſolum cognoſcimus ex ſupra dictis ſymptomatibus, ſed etiam ex cognitis cauſſis. Igitur acrimonia muriatica eſt, ſi ex victu duro, multo ſale condito, morbus ortus fuit, &c. Praeterea morbus plurimum differt gradu. Ab initio enim quandoque paullo efficaciora et euacuantia locum habere poſſunt, quae peſtifera eſſe ſolent, vbi morbus iam adoleuit, quum a valentioribus et ſanguinem cientibus medicamentis metuenda ſit viſcerum corruptio, vaſorumque ruptura. In hoc enim deſperato caſu non niſi mitioribus agendum eſt. Venaeſectio vix vmquam proficit, plurimum nocet. Emetica ab initio morbi, in corporibus valde robuſtis, et vbi vitium a malo victu ortum eſt, et varia indicia cruditatem in ventriculo haerere ſignificant, admitti poſſunt. Laudant inprimis decoctum Sedi vermicularis ad vncias iij. vel IV. In aliis, vbi morbus iam adoleuit, ex vomitu funeſta haemorrhagia metuenda eſt. Praeſtantiora ſunt, quae aluum ducunt, ex quorum numero, in ſcorbuto inprimis calido, conducunt Tamarindi, Cremor Tartari, folia Sennae, Paſſulae, Rhabarbarum, Sal catharcticus. Ex his parari poſſunt Apozemata, vel ſi vires illud permittunt, noduli laxantes, additis herbis ſic dictis antiſcorbuticis. In frigido vero ſcorbuto, praeter nodulos hos laxantes, inprimis conducunt Sales neutrius generis; Sal catharcticus; Sal Thermarum Carolinarum; Sal Tachenii. Haec purgantia vero

ita

ita exhibenda ſunt, vt mala materia non vi, ſed pedetentim educatur.

§. 627.

Maximum vero praeſidium in medicamentis ponitur, quae cognitae acrimoniae contraria ſunt. Igitur in ſcorbuto calido plurimum proficiunt Succi acidi vegetabilium recentium: herbae Acetoſae, Acetoſellae, Lactucae, Endiuiae, Ceraſa, Ribeſia, Fraga, Mori, Limonia, Aurantia et citrina poma, Tamarindi, Cremor Tartari, Paſſulae, Mel, Oxymel. His varium in modum praeparatis, vel ex aqua, vel ex ſero lactis, vel ex lacte ebutyrato decoctis, vtatur aeger. Parari etiam poſſunt iuſcula carnium iuniorum valde tenuia, et ex his illae modo dictae herbae coquuntur. Plurimum etiam proficit ſerum lactis ſolum diu potandum. Etiam ab initio morbi conducunt aquae minerales Schwalbacenſes, Selteranae, Spadanae. Ab aquis valentioribus et Thermis abſtinendum eſt. Accommodari debet victus, et poſſunt herbae illae recentes offerri in iuſculis et acetariis.

§. 628.

In ſcorbuto frigido remedia paullo acriora neceſſaria ſunt. Inter ea eminet Cochlearia eiusque recentis ſuccus. Hac enim herba Septentrionales populi ſola curantur. Nullius vſus ſunt arte chemica praeparata ex Cochlearia, veluti Spiritus: minoris virtutis eſt decoctum herbae ſiccae. Huc etiam pertinent omnia Naſturtiorum et Raphanorum genera: herba Beccabungae, Fumariae, Trifolii fibrini. Ex his commode parantur infuſa et vina medicata. Plurimum proficit cum his potus diluens; aqua cum melle; aquae minerales; aqua fontana, addito Nitro; etiam iuſcula carnium iuniorum cum modo dictis herbis commode coquuntur. Pauperibus dari poteſt Raphanus ruſticanus ex ſero lactis coctus. Sunt, qui in frigido ſcorbuto, et vbi acidum abundat, plurimum laudant aquam Calcis viuae. Caute tamen cum hoc remedio agendum, quod non niſi robuſtiori-

bus conuenit; in tabidis et in ſcorbuto calido multum nocere poteſt. Neceſſe etiam eſt, vt aeger aquae Calcis ſuperbibat ſerum lactis. Vbi ſcorbutus admodum inualuit, praecipue, ſi oſſa iam adfecta ſunt, omni medicatione mors acceleratur. Victus ſedulo obſeruandus, et omnium rerum naturalium vſus. Corporis exercitatio quotidiana ſit, non nimis tamen vehemens, praeſertim ab initio. Superato vero morbo, ad nouum robur viſceribus praeſtandum, illa maxime neceſſaria eſt. Eum in finem etiam danda ſunt martialia, carminatiua, et alibi laudata roborantia.

§. 629.

In omni hac curatione minime properandum eſt. Venaeſectio plerumque nocet. Infantibus, qui remedia illa non facile ſumunt, plurimum proficiunt balnea ex ſola aqua fluuiatili dulci, vel ex decocto herbarum, quae aduerſus illud ſcorbuti genus, quo laborant, proficiunt. Aliqua difficultas eſt, ſi in corpore ſcorbutico ex contagio oritur venerea lues. Nam Mercurii vſus non ſine periculo eſt. In hoc caſu decoctis Saſſaparillae, Chinae, Bardanae, vtendum, et his humores ſimul diluendi ſunt. Vbi vero ſcorbutus calidus eſt, praeſtat prius corpus ſero lactis aliisque diluentibus eluere, et poſt auxilia aduerſus morbum venereum adhibere.

§. 630.

Stomacace remedia externa requirit. Si vlcera cruenta, foetida et nigra ſunt, conducunt acida, ſuccus Citri, Spiritus acidi, Roob Diamoron, Mel Roſarum. Fieri poſſunt gargarismi in ore continendi. Plurimum etiam proficiunt herbae, Acetoſae, Acetoſellae, vel ſolae, vel cum ſaccharo maſticatae. In ſcorbuto frigido, aut magis lento, praeſtantiſſimum remedium eſt Cochlearia crebrius maſticata. Nec alienum eſt Nitrum et Sal catharcticus, ſi aquis Rutae, Saluiae, Plantaginis ſoluuntur, et os iisdem eluitur. Vbi autem vlcera valde ſordida ſunt et craſſiori

muco

muco obducta, prosunt valentiora, ex Spiritu Cochleariae, Essentia Myrrhae et similibus; vel sola Essentia Pimpinellae albae dari potest. Haec remedia vel frustulo Sacchari excepta, linguae imposita, ore continentur, vel excipiuntur melle rosato. Etiam Gargarismi parari possunt ex decocto herbarum antiscorbuticarum. Gummi Laccae et Sanguis Draconis plurimum valent ad roborandas gingiuas, quas scalpello concidi, non raro vtilissimum est.

RHEVMATISMVS ET ARTHRITIS VAGA.

§. 631.

Morbi spastici sunt et dolores, qui ab impedito transitu lymphae aliorumque tenuiorum humorum, per varii generis membranas, musculos, ligamenta, tendines proueniunt, qui vero non ita pertinaces sunt, ac podagra, sed subinde locum mutant. Differunt inter se tum gradu, tum loco adfecto. In vtroque morbo membrum aegre mouetur, mitior vero est dolor in rheumatismo, vehementior in arthritide. In rheumatismo dolor saepe musculis et horum membranis, praecipue musculis ceruicis, ponderis instar incumbit. Aliquando de sensu refrigerii conqueruntur aegri. In Arthritide dolor magis acutus est, spasticus et pungens. Vterque saepe cum febre ingruit, tandem vero febris euanescit, manente dolore. Febris illa catarrhali similis est. Chronici sunt morbi. Soluuntur quandoque vrinae et ventris profluuio, aliquando sudore. Interdum, superueniente febre, crassa ex vrina desidunt cum leuamine. Nonnumquam Rheumatismus, praecipue si aliud vitium, veluti scorbutus, accessit, per plures annos durat et per vices ingrauescit, atque iterum se paullulum remittit. Ob id in regionibus borealibus exempla sunt de aegris diuturno

rheumatiſmo vexatis, qui gibboſi facti ſunt. In aliis mala materia, praecipue ſi externa adhibita fuerunt, conuertitur in viſcera, et oritur tabes. Si illa inclinatur in cerebrum, epilepſia. Diuerſa nomina habent hi morbi, et prae ceteris notandus eſt dolor lumborum, ſeu ſic dicta Lumbago arthritica, quae, ſi vomitum excipias, omnia ſymptomata arthritidis habet.

§. 632.

Morbi hi frequentiores ſunt corporibus raris iis, qui opiparo et vario victu, vino, acido, crudo, nec non otio abutuntur, maxime vero, qui ſudorem repreſſerunt, et corpus calens aurae frigidae vel perflatui expoſuerunt. Plurimum confert haemorrhoidum et menſtruorum obſtructio, neglecta ſanguinis miſſio, aëris viciſſitudines ſubitaneae, moeror, ſpiritus ardentis abuſus, et omnia, quibus tranſpiratio cohibetur, corpus vero imbecillum redditur. Rheumatiſmi cauſſa frequentior eſt refrigerium, etiam ſaltem vnius partis, v. g. pedis. Ex hoc enim refrigerio fit ſtrictura neruorum per vniuerſum corpus, et inſenſibilis exſpiratio cohibetur.

§. 633.

Sedes itaque morbi ſunt membranae, tendines et glandulae Hauerſianae, ipſaque ligamenta. In his enim partibus lympha cruda, tenax, craſſa, vel acrior, et tenuior quieſcit, obſtructionem et quaſi ſpurium quoddam inflammationis genus parit, ipſosque neruos partesque neruoſas ad ſui contractionem excitat, ex qua contractione ſeu ſpasmo ille vehemens dolor naſcitur. Nonnumquam aegri levantur exanthematibus, purpura ſcorbutica, ſcabie, vel ſi vlcera ſponte naſcuntur. Nec non ſi haemorrhoides et menſtrua iterum proueniunt. Raro hi morbi funeſti ſunt, interdum tamen, vbi magna febris accedit, vel vbi extrinſecus incongrua auxilia admouentur. In ſenibus magis metuendi ſunt, et quandoque in maraſmum degenerant; in aliis tandem mutantur in arthritidem fixam ſeu podagram.

§. 634.

§. 634.

In curatione humores quieſcentes ſoluendi et per loca opportuna euacuandi ſunt. In rheumatiſmo, ſi febris ſimul adeſt, a primis initiis quandoque illa curatio adhibenda, qualis conuenit febri catarrhali. Dari poteſt Liquor terrae foliatae Tartari cum Spiritu Nitri dulci, vel Liquor anodynus Hoffmanni cum pauco ſpiritu bezoardico. Aeger bibat ptiſanam, aluus ducatur clyſtere, et prae ceteris omnibus regimen imperandum eſt, et videndum, ne ſudor reprimatur. Hac ratione quandoque inter initia grauior morbus auertitur. Si vero febris iam ſe remiſit, et vel nulla eſt, vel valde exigua, morbus pertinacior eſſe ſolet. Is quandoque, maxime in plethoricis, inter initia auertitur, ſi ſanguis mittitur, aluus ducitur decocto Tamarindorum, Rhabarbari, foliorum Sennae, Mannae, et hoc etiam, ſi res poſtulare videtur, iteratur. His praemiſſis dari poteſt emulſio ex ſemine Papaueris, addito Nitro et Antimonio diaphoretico. Aeger bibat Decoctum Radicis Graminis, Glycyrrhizae, Cichorei, florum Papaueris rhoeados vel Papaueris albi. Vbi vero aeſtus adeſt, decocto, vel aquis deſtillatis, admiſceri poteſt Syrupus Violarum, florum Papaueris rhoeados, vel Papaueris albi. Hoc tamen ſedulo videndum eſt, ne rheumatismus ortus ſit a febris cuiusdam mala materia in membrum quoddam inclinata, in quo caſu euacuantia nocere poſſunt. Praeſtat tunc lenioribus diapnoicis vti, v. g. ptiſana, Cornu Cerui ſine igne, Antimonio diaphoretico, Nitro, aliisque ſimilibus. Vbi morbus valde refractarius eſt, praemiſſa ſanguinis miſſione dari poſſunt noduli laxantes, qui vero in corporibus raris et phlegmaticis meliores ſunt, quam in aliis.

§. 635.

In Arthritide vero aluus duci debet ab initio clyſteribus emollientibus, vel puluere ex Rhabarbaro et Nitro; poſt propinari debent decocta Saſſaparillae, Scorzonerae, Pareirae brauae, Cichorei, Glycyrrhizae, adiectis etiam

Paſſulis et Caricis pinguibus. Si dolores valde vrgent, danda ſunt temperantia; vbi vero illi ſe remittunt, cum decocto dari poteſt Mixtura ex Liquore minerali Hoffmanni et Tinctura Antimonii. Prae ceteris neceſſe eſt, vt aeger a vino et cereuiſia abſtineat, et bibat decoctum vel ptiſanam. Vbi malum miteſcere coepit, optime datur purgans antiphlogiſticum paullo efficacius. Non facile ad Opiata procedendum eſt; ſi tamen id res poſtulare videtur, praemiſſo iteratoque purgante, dari poteſt Laudani opiati gr. j.-ij. Laudani liquidi gtt. xv.-xx. Pilulae WILDEGANSII gr. ij-iij. Sedulo videndum, ne purgantia prius dentur, quam vbi materia iam mobilis facta eſt, et ne abutamur opiatis.

§. 636.

De Topicis ſedulo notandum, illa plurimum nocere poſſe, raro iuuare. Si morbus recens eſt, a ſero repreſſo, et ſi non tam acutus dolor, quam quidam refrigerii ſenſus partem infeſtat, proficit frictio cum linteis aſperioribus. Etiam admoueri poſſunt cucurbitulae, altius prius inciſa cute, euocatoque ſanguine. Hae cucurbitulae proficiunt in morbo chronico, praecipue in foeminis, quibus catamenia non fluunt, ſi ſuris admouentur, adpropinquante periodo menſtrua. In morbo refractario et ſaepius reuertente optimum auxilium praeſtant Thermae Toeplicenſes, vel in his terris aquae, quibus ſerum purgatur, Wolckenſteinenſis et Wildungenſis. Ante tamen horum vſum conſert corpus Thermarum Carolinarum, quae ſaluberrimae ſunt, vel aliarum aquarum mineralium potu eluere, et poſt illis externis vti. Ne malum reuertatur, aeger ſingulis menſibus vtatur leni catharctico. Vitet omne frigus, tanto magis humidum, Venerem, aliaque quae nocere poſſunt. Victus et corporis exercitatio ita accommodari debent, vt nulla in primis viis cruditas ſit, et vt viſceribus priſtinum robur reſtituatur.

PODA-

PODAGRA.

§. 637.

Dicitur Arthritis fixa, quod ſedem non facile mutet, pro diuerſis etiam partibus, quas occupat, etiam Gonagra, Chiragra &c. Huic obnoxia ſunt corpora, quae occaſione Arthritidis deſcripſimus. Vbi imminet, aeger ſentit totius corporis languorem, aliquem plenitudinis et grauitatis ſenſum, appetitum proſtratum, nauſeam, agrypniam. Tandem in pede vel alia parte, prae ceteris vero in articulo inter metatarſum et pollicem, ſentit ab initio leuiorem ſpasmum, qui mox in dolorem vehementiorem degenerat. Plerumque haec fiunt cum febricula et vago horrore. Pars, quae laborat, nitet, parum tumet et rubet. Dolor autem talis eſt, vt fere intolerabilis, et pars omnium rerum, ſtragulorum etiam molliſſimorum, impatientiſſima ſit. Dolor etiam acerbior eſt verſus veſperam, horis matutinis miteſcit. Vrina pauca eſt et ignea, et aeger nullum ſomnum capere poteſt. Miteſcente vero malo, pars, quae laborat, magis intumeſcit, vrina, id quod tamen non perpetuum eſt, ſedimentum demittit lateritium. Non vna tamen ratione aegros hic morbus corripere ſolet. Nonnumquam enim eum praecedit grauior cephalalgia, ſpirandi difficultas et aſthma, imo et colica, qui aegri in maiori periculo verſantur, donec mala materia in artuum extrema conuertitur. Etiam duratio dolorum plurimum variat. Vbi enim morbo vetuſtas acceſſit, illius paroxysmi longiores ſunt. Etiam vbi morbus frequentius et plurimum ſaeuiit, relinquuntur in articulis nodi, materia tartarea et tophacea pleni, qui quoque tumores nonnumquam exulcerantur. In reliquis autem, vbi paroxyſmus deſaeuiit, dolores ſe remittunt, tumor pedetentim deſidit, epidermis huiusque ſquamulae ſecedunt, diu autem manet rigor, obſcurus dolor, et ſaepe etiam tumor. Vide, qui optime de his ſcripſit, SYDENHAMIVM.

§. 638.

Sedes huius morbi ſunt articulorum ligamenta et glandulae, ex quibus axungia articulorum excernitur. Frequentius malum pedes infeſtat, in quorum partibus tardior eſt circuitus humorum, qui itaque facilius quieſcunt. Cauſſa continens eſſe videtur humor acrior, et praecipue articulorum axungia corrupta, quibus ſpaſmi illi concitantur. Non enim ſanguis ipſe, ſed ſuccus tenerior minimorum vaſorum, qui variorum viſcerum actione elaborantur, vitium contraxiſſe videtur. Multum diſputant Auctores de natura huius vitiati humoris, qui cum illa materia gypſea et cum axungia articulorum ex cadaueribus extracta experimenta inſtituerunt. Vid. KERCKERING in *Spicil. anatom. Obſeru.* 28. et *Acta Acad. Bononienſ. p.* 148. Probabiliſſimum videtur, illam materiam in genere conuenire cum tartaro, de quo ſupra occaſione Nephritidis dictum fuit. Id non ſolum illi tophi ſignificant, ſed confirmant etiam obſeruationes, ſaepe podagricos calculoſos eſſe. Haec materia cruda, quae ex humidis deſidit, a natura vero in extrema conuertitur, in ligamentis circuitum abſoluere non poteſt, ibi accumulata haeret, et tandem quacumque re incitata, inflammationem et ſpaſmos mouet. Hunc morbum habere aliquam purgationem et therapiam, qua corpus ab aliis grauioribus morbis liberum praeſtatur, ſine dubio eſt.

§. 639.

Morbus hereditarius eſt, et eos, qui illum a parentibus acceperunt, citius ac vehementius infeſtat. Eum adferunt multumque exacerbant abuſus vini, praecipue valentioris, ſulphure et tartaro abundantis, nec non vini non recte fermentati, auſteri. Plurimum facit Venus vel nimia, vel praematura, ira, moeror, nimium litterarum ſtudium, victus vegetabilis crudus, nec non nimis iurulentus, pinguis, qui ab imbecillis viſceribus non recte digeritur. Ingluuies, otium, tranſpiratio cohibita et totius corporis,

poris, praeſertim vero pedum, refrigerium. Quare venatores, ſi laute viuunt, facilius, quam ceteri, fiunt podagrici. Plurimum etiam confert haemorrhoidum obſtructio; ad minimum his fluentibus morbus quidem non tollitur, plurimum tamen leuatur. Vbi ei vetuſtas acceſſit, quandoque haemorrhoides fluunt, ſub vehementiſſimis doloribus. Habet etiam aliquid contagii, quod praeſertim per veſtimenta et ſtragula propagatur

§. 640.

Morbus in ſe ſpectatus plus doloris et incommodi habet, quam periculi. Eſt, vt dictum, therapia quaedam, qua corpus ab aliis ſaepe morbis leuatur. Si eo laborant iuniores, illi raro longaeui fiunt; ſi vero ſenes eo laborare incipiunt, et dolores non vagi, ſed exquiſiti conſtantesque ſunt, is longaeuitatem promittit. Tandem vero ſenes, tanto magis imbecilli, eo opprimuntur, ſi iis vires deficiunt, ex mala materia, quae, ſi non in artuum extrema propelli poteſt, in viſcera inclinatur. Si morbus variis medicamentis, praecipue externis, tentatur, dira ſequuntur ſymptomata: Aſthma conuulſiuum, Catarrhus ſuffocatiuus, Apoplexia, Paralyſis, adfectus ſoporoſi, Phrenitis et alia. Nondum reperta fuit methodus, qua tuto mederi poſſumus podagrae, ſi illa inualuit.

§. 641.

Podagra auerti vel plurimum mitigari poteſt abſtinentia a nimio crudoque cibo, a Venere et omnibus, quae nocere poſſunt. Plurimum nocet ebrioſitas. A vino vero non prorſus prohibendi ſunt, qui ei adſueti fuere. Illud enim, quum ventriculum roboret, proficere poteſt, modo ſit edentulum, paucum, generoſum. Durante vero paroxyſmo, etiam poſtquam ille deſaeuiiſſe videtur, ſaepe pauco vino dolores plurimum exacerbantur et recrudeſcunt. Senibus vinum ſalubrius eſt, quam iunioribus. Praeterea abſtinendum eſt a victu nimis iurulento, a caſeo vel aceſcente,

vel rancido, a leguminibus et omnibus, quae difficilius concoquuntur. Sanguis mittendus eſt plethoricis et adſuetis, numquam vero durante paroxyſmo. Sedulo videndum eſt, ne inſenſibilis exſpiratio et ſudor matutinus cohibeatur. Alvus ſubito ducenda eſt remediis mitioribus. Maximam ſalubritatem praeſtant Thermae Carolinae, quibus podagra optime auertitur. Non raro tamen, ſi illae potantur, dolores ſaeuire incipiunt. Si non ita vehementes ſunt, nihilominus Thermae potari poſſunt. Si Thermarum copia non datur, propinari debent Acidulae, Pyrmontanae et Schwalbacenſes. Corpus exercendum eſt ſedulo. Ad roboranda viſcera egregie proficit equitatio. Haec vero in pedibus dolores tumoresque excitare poteſt. Nec alienum eſt, ſi quandoque, purgato prius per catharctica corpore, aeger per aliquot hebdomadas horis matutinis bibit infuſum aquoſum ex Saſſaparilla, Cichoreo, herba Saluiae, Meliſſae, Betonicae, Chamaedryos. BOERHAAVIVS laudat ſalem volatilem Cornu Cerui, qui ad gr. ij-iij. horis matutinis in lecto ſumi poteſt ex aqua, ita, vt aeger tale infuſum ſuperbibat, et auctam diapnoen congruo regimine excipiat. Huic vero curationi diu inſiſtendum eſt. Nec aliena eſt articulorum fricatio eo tempore, quando nullus dolor ſaeuit; ſit tamen modeſta, et talis, qua pori aperiuntur, non vero nimius rigor affertur ligamentis, tendinibus et ipſi cuti. Plurimum etiam extollunt cucurbitulas plantis pedum et ipſi loco, qui maxime dolere conſueuit, altius prius conciſa cute, admouendas, id quod tertio quoque menſe fieri iubent. Ante omnia videndum, vt ventriculus et alia viſcera robur debitum habeant. Quandoque, praecipue ſi aeger vinum non bibit, ante prandium is ſumere poteſt Elixir ſtomachicum. Nec omittendum eſt, magnam neceſſitatem eſſe ſomni, cui nihil detrahere debent podagrici.

§. 642.

Si vero homo corporis languore, agrypnia, obſcuro aliquo ſenſu, percipit ſibi paroxyſmum imminere, mox alvus

vus ſoluenda eſt vel clyſtere, vel Manna et leniſſimo remedio. Datis enim valentioribus, metus eſſe poteſt, ne mala materia in viſcera vertatur, et oriatur inflammatio interna. Si febricula iuncta eſt, oportet huius rationem habere, et dari poſſunt puluilli temperantes, diaphoretici, cum aquis diapnoicis. Vbi febris ſe remittit, et, deſaeuiente dolore, pars magis intumeſcit, vrina cocta eſt et ſedimentum habet, dari poteſt mixtura ex liquoris anodymi partibus duabus vel tribus, eſſentiae Scordii parte vna, vel eadem proportione dari poteſt Spiritus bezoardicus Buſſii. Cauendum eſt, ne aeger diapnoen cohibeat. Potioni praeſtanda eſt aqua vel fontana, vel Selterana, vel ptiſana ex hordeo. Nocet omnis cereuiſia, etiam quam maxime potus frigidus. Victus ſit, qui ſuſtinet, non vero alit. Nocent omnia iurulenta. Vix non omnia topica pernicioſa ſunt, et prae aliis ſpirituoſa, Emplaſtrum ſaponatum Barbette aliaque. Laudant plures cataplasmata paregorica et emollientia, quae leuamen adferre poſſunt, partes vero nimium laxant, ita, vt tumor maneat diutius, et vt morbus celerius reuertatur. Nihil magis iuuat, quam continuus et aequalis corporis calor, et mollior partis dolentis decubitus.

§. 643.

Si morbus vel alienis medicamentis curatus, vel malo regimine exceptus, ſe ſubito remittit, alia vero ſymptomate, febris, agrypnia, anxietas ſequuntur, periculum imminet. Igitur reuocandus eſt dolor. Fricandum eſt membrum linteis calidis et aſperioribus, immo admouenda ſunt rubefacientia, cucurbitulae vel ſiccae, vel conciſa prius cute. Dari poteſt vinum Rhenanum vetus, mixtura ex Eſſentia alexipharmaca et Elixir proprietatis, Eſſentia Myrrhae et alia, quae ſanguinis motum augent. In hoc caſu ſanguinis miſſio omniaque auacuantia, temperantia etiam peſtifera ſunt. Sedulo videndum, ne frigore inſenſibilis exſpiratio cohibeatur.

DE

* *

DE NERVORVM DISTENTIONE ET PRAECIPVE DE EPILEPSIA.

§. 644.

Neruorum diſtentio eſt motus praeter voluntatem violentus muſculorum animali actioni inſeruientium. Eius differentia eſt varia. Spaſmus dicitur pertinacior et violenta neruorum intentio cum muſculorum rigore. Conuulſio autem eſt alterna reciprocatio huius intentionis et reſolutionis. Priorem motum nonnulli tonicum, alterum clonicum vocant, quo membra quaſi quatiuntur. Horum motuum varia genera ſunt, variaeque denominationes. Ad primum genus referri debet Tetanus, ſeu Rigor Celſi, vbi corpus, manente ſenſuum integritate, erectum et rigidum eſt. Emproſthotonus, quando adfectis muſculis anterioribus corpus pronum datur et in anteriora inflectitur ac contrahitur. Opiſthotonus, quando laborantibus muſculis dorſi, corpus ad poſteriora retrahitur. Quare morbus eſt Catalepſis, aliis Catoche vel Catochus, quae aegrum temporis momento corripit, qui cum omnium ſenſuum internorum et externorum abolitione, quaſi fulmine tactus, in eo ſitu poſituque membrorum, quem perculſus ſeruauerat, immobilis manet. Membra vero Cataleptici rigida non ſunt, ſed in quemcumque ſenſum flecti poſſunt, quae vero in illo ſitu manent. Interea pulſus et reſpiratio vix quidquam mutantur. Differt a Tetano, in quo etiam homo in eodem ſitu manet, ſed rigidus, qui flecti nequit, et ſenſibus internis et externis manet ſua integritas. In Catalepſi nullus omnino ſenſus, corpus vero, quaſi cereum, poteſt ab adſtantibus mirum in modum intorqueri. Vide *l'Hiſtoire de l'Academie Roiale des Sciences* 1738. *p.* 65. Horum vero morborum princeps eſt Epilepſia, quae olim morbus ſacer, morbus herculeus, morbus comitialis, morbus caducus dicta fuit.

In

In hac variae et vix non omnes partes conuelluntur, et illo reciproco motu agitantur, cum omnium ſenſuum, tum internorum, tum externorum, plenaria abolitione, ſuperſtite cordis et pulmonum actione illaeſa. Aliorum etiam muſculorum ſpaſmi et conuulſiones fiunt, quae ſuis nominibus dignoſcuntur, v. g. ſi labra verſus aures trahuntur, eſt Spaſmus cynicus; ſi conuellitur maxilla inferior, cum linguae aliisque muſculis voci et loquelae formandae inſeruientibus, oritur Riſus ſardonius. Si conuellitur diaphragma, oritur Singultus, qui propterea, praecipue in acutis, ſaepe conuulſionis prodromus eſt. Si vnus ſaltem muſculus ſpaſmo adducitur, id quod frequentius in artubus inferioribus accidit, vocant Crampum, et moleſtum adfert ſenſum, qui, ſi adſcendit verſus ſuperiora, quandoque vniuerſalem neruorum diſtentionem, immo et Epilepſiam infert. Simile quid obſeruatur in foeminis hyſtericis, quibus ſpaſmus ex abdomine per ſtomachum in fauces adſcendit, et ſuffocationem vteri parit. Morbi enim hyſterici cum neruorum diſtentione magna conuenientia eſt, et illa, ſi vehementior eſt, hac ſaepe finitur. Rarum conuulſionis genus eſt Chorea Sti Viti, quae abſoluitur alterna violentaque pedum agitatione et ſaltatione. Simile quid eſſe dicitur in Tarantiſmo. Ad ſpaſticos et conuulſiuos motus referri poſſunt alii morbi: vomitus, tuſſis conuulſiua, aſthma conuulſiuum, cordis palpitatio, ephialtes ſeu incubus, aphonia, dentium ſtridor, priapiſmus, &c. de quibus alibi diximus.

§. 645.

Hoc maxime diſcrimen inter ſimplicem neruorum diſtentionem et inter veram epilepſiam eſt, vt in prioribus homines plerumque ſenſibus gaudeant, immo etiam loquantur, in epilepſia vero interni externique ſenſus prorſus aboleantur. His etiam notis cognoſcere poſſumus eos, qui morbum ſimulant. Illorum enim, de quibus haec ſuſpicio eſt, naribus admouetur Spiritus Salis ammoniaci cum Calce viua, acus infiguntur cuti et parti tendineae, ignis admouetur

tur et pilus euellitur, id quod omne haud ſentiunt epileptici. In his, praeter haec, ſaepe maior agitatio eſt muſculorum abdominis et vehementior ſpaſmus partium internarum, robur inſolitum; pulſus valde aequalis eſt, ſed durus. Omnia ſecus ſe habent in impoſtoribus. Ceteroquin in neruorum diſtentione et epilepſia mirae fiunt quandoque membrorum commotiones et geſticulationes, cum clamore variato, vt ſaepe a cacodaemone illos motus fieri creduli opinentur. In vera epilepſia ſpuma erumpit ex ore, ſaepe exeritur lingua, quae etiam morſu laeditur. Exprimitur vrina, fex alui, ſemen, et ex genitalibus mulierum interdum ſanguis. Hae conuulſiones interdum ſuo tempore reuertuntur, id quod crebrius incidit, ſi vel ex cohibitis variis excretionibus ortae fuerunt, vel ſi vitiata phantaſia acceſſit. Magna eſt differentia inter idiopathicam epilepſiam, cuius cauſſa haeret in cerebro, et inter ſympathicam, quae ex alio vitio, quod in quacumque corporis parte eſt, naſcitur. Vtriusque etiam epilepſiae varii gradus ſunt.

§. 646.

Sunt etiam quaedam ſigna, quae imminentem epilelepſiam ſignificant, praecipue idiopathicam. Aeger ſentit grauitatem in capite, conqueritur de nimio ſomno, vel vigiliis, de inſomniis, de obliuione inſolita, oculis obuerſantur ſplendores et circuli ignei, ex re quauis vehementer commouetur. Sub ſomno frequentius ſupinus cubat, et vexatur priapiſmo. Frequens ei eſſe ſolet aurium tinnitus, oſcitatio, palpitatio cordis, pandiculatio; adpetitus vagus eſt, ſaepe ad voracitatem auctus; vrina cruda, aquoſa. Nonnullis mox ante neruorum diſtentionem acutus ille dolor, vel ex abdomine, vel crampus ex muſculo etiam quodam pedis, et quaſi ſenſus quidam refrigerii ad ſuperiora adſcendit.

§. 647.

Horum morborum cauſſae variae ſunt, multum diſcrepantes atque fere innumerae. Homines conuelluntur, ſi

male

male adfectum eſt cerebrum. Hoc vitium ſaepe haereditarium eſt, ſaepe congenitum, et, vt videtur, ab imaginatione matris grauidae ortum. Aliquid conferre poteſt, ſi caput non recte conformatum eſt, et ſub partu diſtortum. Praeterea id efficiunt omnia, quibus meninges ipſumque cerebrum adficitur, veluti vulnus, vlcus, ſuppuratio, ſanguis et ſerum extra vaſa miſſum, oſſium fractorum feſtucae, tophi, exoſtoſes in caluaria, praecipue in eius parte interiore ortae, oſſicula, lapilli, polypi in dura matre, vel in eius ſinubus poſt mortem reperti, Mercurius in interiora cerebri contractus, id quod quandoque obſeruatum fuit in iis, qui argento viuo curati fuerunt, nec non in artificibus et metalli foſſoribus, qui Mercurium tractauerunt. Etiam hoc accidit, praecipue in corporibus valde infirmis, ſi ſanguis cum impetu fertur ad caput, et cerebri vaſa diſtendit. Quare ex ebrietate et ebrioſitate, ab adſumtis narcoticis, nonnumquam epilepſia. Ex frequentioribus cauſſis ſunt ſubitae animi perturbationes, terror, metus, ira, gaudium. Multum valet phantaſia rei alicui quaſi adfixa et perturbata, praecipue ſi haec deſiderio quodam et animi pathemate, amore, Veneris appetitu et aliis ſimilibus magis inflammatur, quae corrupta phantaſia ſaepe contagioſa eſt, ita, vt malum quaſi epidemicum fiat.

§. 648.

Neruorum vero diſtentio et epilepſia ſympathica ex aliis ſaepe cauſſis oritur, ex magno dolore et neruoſarum partium laeſione, ipſius nerui vel tendinis punctura. Illas efficiunt varii generis venena, praecipue narcotica, v. g. Cicuta ore ſumta vel extrinſecus admota, inprimis animalium venenatorum morſus. Cauſſa frequentiſſima epilepſiae in infantibus, nec raro in adultis, ſunt vermes. Ea etiam oritur crebrius ex dentitione, praecipue in pueris, ex calculo, ex pure in abſceſſu profundius haerente, vel ſi pus in cauum quoddam, veluti pectus, effluxit, a ſeminis abundantia, a repreſſis exanthematibus in morbis exanthematicis,

a ſca-

a ſcabie, podagra, vlceribus chronicis, abſceſſibus criticis et male curatis, et vehementioribus euacuationibus, praecipue ex haemorrhagia et Veneris abuſu. In foeminis ſaepe ab omnibus rebus, quibus paroxyſmi hyſterici mouentur. Nam inter hos morbos magnus conſenſus eſt. Frequentius hoc etiam accidit adultis, a cohibitis variis excretionibus, menſtruorum, haemorrhoidum, ſudore pedum, alarum, &c. nec non a partu difficili. Nulli aetati hi morbi adeo frequentes ſunt, quam primae. Infantes conuelluntur ex meconio retento, ex lactis aceſcentis coagulo in primis viis, ex lacte vitiato per lactantis iram, terrorem, Venerem, aliaque animi pathemata. Praeterea a dentitione, a flatibus, a repletione, victu et lacte crudo aliisque. Omnia exaſperantur, ſi iam cauſſae illae adſunt, aliis cauſſis accedentibus procatarcticis.

§. 649.

Quandoque etiam licet inuenire ſigna cauſſarum. Idiopathicae epilepſiae, cuius ſedes in cerebro eſt, notae ſunt, cephalaea diuturnior, vertigo frequens, ſenſuum hebetudo, torpor et adpetitus vagus atque caninus. Hic enim, ſi praeter naturam eſt, et non a malo hypochondriaco et acrioribus humoribus in ventriculo oritur, ſignificat ab acri humore cerebri meninges adfici. Plura tamen horum etiam in hypochondriacis inueniuntur. In ſympathico morbo, ſi a malo hypochondriaco proficiſcitur, plura cruditatis ſigna ſunt, ructus acidi, nidoroſi, rancidi, nauſea, exacerbatio omnium, et anxietas poſt paſtum, ieiuno autem ventriculo frequens cardialgia. Si malum ortum ſuit a nimia Venere, aeger crebrius, maxime ſub ſomno, priapiſmo vexatur. Si oritur a vermibus, illa phaenomena adſunt, quae olim expoſita fuerunt, inter alia narium pruritus, deiectiones mucidae, tormina, abdominis duritia, et praecipue lumbricorum vel aſcaridum excretio. In infantibus lac coactum eſſe ſignificant deiectiones virides, aeruginoſae, acidum ſpirantes.

§. 650.

§. 650.

Hi morbi in infantibus facilius curantur, quam in adultis. Facilius tollitur epilepsia sympathica, quam idiopathica. Prior tamen facile in alteram mutatur. Haereditaria epilepsia, et connata, ex phantasia matris orta, nec non quae post vicesimum quintum vel quadragesimum annum homines corripit, vix vmquam tollitur. Interdum soluitur epilepsia motu et excretione quadam critica, haemorrhoidibus, pubertatis annis catameniorum excretione, coitu, vlceribus manantibus, scabie, parotidibus ad suppurationem spectantibus. Neruorum distentio, a peruersa phantasia orta, vix tollitur, nisi remotis omnibus, quibus phantasia excitatur; quare optime itinere et excitato alio sensu illi contrario eradicatur. Ex neruorum distentione et epilepsia metuendus est grauidis abortus, aliis, si paroxysmi vehementes sunt, fatuitas, torpor, affectus soporosi, nonnumquam etiam hectica. Epilepsia, quo crebrius et magis inopinanter homines corripit, eo vehementior est. Eam talem esse ceteroquin significant magnus membrorum motus, stertor, spuma oris et sensuum omnium, etiam conquiescentibus membris, relicta abolitio.

§. 651.

Vbi forte incidit, vt praesente Medico aeger conuellatur, corpus, si fieri potest, mox imponatur lectulo; cauendum vero est, ne caput allidatur pauimento. In os ingerendum est corium vel suber. Membra, quantum fieri potest, continenda sunt a robustioribus, non tamen nimia vi adhibita. Pollices etiam extendendi. Naribus admoueri possunt acetum vini acre, ex quo ruta viridis recens trita fuit, nec non acetum Liliorum conuallium, vel Essentia Castorei. Fragrantiora, veluti Spiritus Salis ammoniaci cum Calce viua, fere nimis irritare solent neruos et malum possunt augere.

§. 652.

Curatio obtineri poteſt, ſi tolli poſſunt cauſſae. Laudata ſpecifica ſaepe plus nocent, quam iuuant, quae peſtifera ſunt, ſi dantur infantibus, qui ex vitiato lacte conuelluntur, vel in febribus praecipue exanthematicis. Vbi itaque infantes ex lactis coagulo, ex lacte per nutricis regimen, libidinem, animi perturbationem vitiato, immo etiam ex dentitione, ex qua ventriculus multum infirmatur, ex retento meconio, conuelluntur, et ſi iis abdomen durum eſt, flatibus diſtentum, dari debet Medulla Rhabarbari electi, addito Nitro et quodam abſorbente, veluti Matre Perlarum. Vbi malum vrget et abdomen valde diſtentum eſt, in aluum immitti poteſt lotio emolliens, addito ſaccharo vel melle et oleo. Poſtquam ſordes primarum viarum fuerunt expurgatae, et neruorum diſtentio per vices reuertitur, dari poteſt potiuncula ex aqua florum Tiliae, Sambuci, Nitro, Specifico cephalico, Coralliis cum acido Citri praeparatis, addito Diacodio Montani. Pueris, qui dentitione laborant, in os ingerenda et gingiuis tumentibus illinenda ſunt emollientia, veluti Syrupus de Althaea, cui pauxillum Nitri admiſceri poteſt. Eiusmodi Syrupo commode impraegnatur cruſta panis. Si vermes adſunt, danda ſunt anthelmintica. Si ſcabies repreſſa fuit, illa reuocari debet. Puellis, praecipue hyſtericis, ſuadendum eſt matrimonium, et ſemper curatio a cauſſarum notitia petenda eſt. Epilepſiae idiopathicae raro mederi poſſumus; ſi tamen acris quidam humor cerebrum et meninges infeſtat, excitandi ſunt fonticuli, vel, id quod praeſtantius eſt, ſetaceum. Si quartana vel alia febris aegrum corripit, illa patienter ferenda eſt, minime vero cohibenda vel multis euacuantibus tentanda. Quartana enim per multum tempus tolerata ſaepe epilepſiam tollit. Si a Venere malum ortum fuit, haec et nimia meditatio plurimum nocent. Adhibenda eſt corporis exercitatio, ea tamen moderata et quotidiana, et omnia in victu et regimine in vſum vocanda,

qui-

quibus viſcera et vniuerſum corpus ad aliquale robur perducantur. Si paroxysmus certis temporibus reuertitur, antequam homo illo corripitur, dandum eſt purgans antiphlogiſticum, euitanda ſunt omnia, quae ſenſus neruosque irritare poſſunt. Sanguinis miſſio imperanda eſt, ſi aeger plethora laborat, vel ei adſuetus eſt; non vero facile durante neruorum diſtentione ſanguis detrahendus eſt. Vſus enim docuit, corpus nimium infirmari et crebrioribus inſultibus obnoxium fieri. Si haemorrhoides non fluunt, admoueri poſſunt hirudines. Ceteroquin, praecipue in corporibus Venere, ingenii exercitatione, nimio otio aliisque infirmatis, omni ſtudio enitendum eſt, vt nouum robur concilietur viſceribus, id quod victu potiſſimum et corporis exercitatione obtineri alibi dictum eſt. Aquae minerales ſaluberrimae ſunt, ſi in viſceribus abdominis, chylificationi inſervientibus, et cauſſa et origo mali eſt. In idiopathica vero epilepſia nonnumquam, et praecipue ex his Thermae, nocere poſſunt, quippe quae cerebrum ſaepe nimis adficiunt. Leniores tamen aquae minerales, quales ſunt Selteranae, ſi potioni praeſtantur, vel diutius potantur, ſemper ſalubriores ſunt.

§. 653.

Qui fidem ſuam Specificis addixerunt, plura in materia medica inueniunt. Apud noſtrates nota eſt compoſitio MICHAELIS, ſeu Specificum cephalicum, quod dari poteſt cum aliis. Plures extollunt lumbricos terreſtres, menſe Iunii, quo coëunt, captos, vino exſtinctos, et in vmbra ſiccatos, quorum puluis dari poteſt ad ſcrup. dimidium, vel vnum. Ex his etiam, addito Muſco Corallino, componitur Specificum antiphlogiſticum Stahlii. Muſcus Corallinus anthelminticus eſt. A recentioribus Viſcum quercinum plurimum laudatur. Alia ſpecifica ſunt, Cranium hominis violenta morte exſtincti; Muſcus cranii humani; vngula alcis, ſanguis hominis decollati calidus bibendus; Spiritus ſanguinis humani; Stercus pauonis &c. Plurimum etiam tribuunt

oleo animali DIPPELII, quod deſcribitur in *Vitae animalis morbo et medicina p.* 90. Alii vero docent, ex eius vſu ſaepe ſtuporem et ſomnolentiam fuiſſe ortam. Omnia ſpecifica frequentius fallere ſolent, quam prodeſſe.

LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

§. 654.

Gradu differunt haec ſymptomata, in quibus ad tempus omnes, tum vitales, tum animales motus, ad ſenſum conquieſcunt. Nam et cordis et pulmonum actio prorſus deficere videtur; corpus vero, reſolutis fere omnibus muſculis, ſe ſuſtinere nequit, quare concidit homo, cui erumpit plerumque ſudor frigidus. In Lipothymia tamen arteriarum ictus adhuc ſentiuntur, pulſus vero paucus, debilis, et non raro intermittens eſſe ſolet. In Syncope vero nulla arteria digitum ferit, ſed eſt aſphyxia et vera mortis imago. Abolita enim eſt omnis mouendi ſentiendique poteſtas. Syncope laborantes interdum ſupremo officio mandatos et ſepultos fuiſſe, hiſtoriae teſtantur. Vide Diſſert. WINSLOWII, *de Morte incerta*, a *Ioh.* BRVHIER in gallicum idioma translata. In Syncope vt plurimum corpus non adeo rigidum eſt, ac eſſe ſolet poſt mortem. Syncope etiam differt ab Apoplexia. In ea enim homines plerumque oculos, reſolutis palpebris, claudunt, qui in apoplecticis aperti toruique eſſe ſolent. In apoplexia, praecipue ſanguinea, facies rubet, in Syncope pallet. In apoplexia pulſus magnus, fortis, reſpiratio magna, cum ſtertore; in Syncope pulſus debilis, paruus, intermittens, rarus, qui peſſimus, vel prorſus nullus, reſpiratio etiam ad ſenſum fere nulla. Vt ii, qui Syncope correpti ſine ſenſu et motu iacent, a vere mortuis dignoſcantur, varia vulgo adhiben-

hibentur. Flamma cerei admouetur oculis, qui eius ſplendore ſtringuntur. Naribus eumdem in finem adpropinquantur plumulae, In ſpeculo, ori et naribus adpropinquato, conſpiciuntur exploſi per exſpirationem halitus. Pectori imponitur vaſculum aqua plenum, quod etiam a leniſſimo pectoris motu commouetur. Naribus errhina et ptarmica admouentur. Commouendi, pungendi, fricandi, vellicandi ſunt artus, et aciculae infigendae ſunt digitis ſub vnguibus. Pili euellendi ſunt. Aures ſtrepitu ſonoque agitandae ſunt. Efficacius eſt ferrum candens, quod, ſi volis manuum vel plantis pedum admouetur, ſyncope correptos, mixto acri repentinoque dolore, excitat. Certiſſimum ſignum mortis eſt reſolutio corporis per putredinem.

§. 655.

Oriuntur haec ſymptomata ex omnibus, quibus cordis motus et actio neruorum cardiacorum cohibetur vel turbatur. Sedes eſt in male adfectis neruis, atque conſpirant haec ſymptomata vel cum neruorum diſtentione, vel cum apoplexia, in quos morbos deſinunt. Id confirmat obſervatio, vehementiorem iram in iunioribus, et quibus corpus infirmum eſt, facile mutari in epilepſiam, in ſenibus in apoplexiam. Animo linquuntur imbecilli, ex graui et repentina animi perturbatione, ira, terrore, gaudio, metu et inſueto ſenſu, quare hyſtericis interdum ex odore ſuaueolenti roſae vel aliarum rerum hoc incidit. Id etiam experiuntur grauidae ex motu infantis in vtero, quandoque ex inflato ventriculo, ex quouis dolore vehementiori, ex titillatione et pruritu. Etiam hoc accidit, ſi ſanguinis tranſitus ad cerebellum cohibetur, veluti ex graui haemorrhagia et alia ſubita magna euacuatione, ex labore nimio et vehementi corporis exercitatione cum inedia, ex vigiliis, ex magna ebrietate, ex cruditate primarum viarum vehementer et repente commota, ex humorum nimia viſciditate in chronicis; in acutis ex coagulo inflammatorio et polypo in iugularibus et ſinubus durae matris haerente. Prae ceteris

vero omnes, quibus cerebrum et genus neruorum infirmum et magna humorum ſenſibilitas eſt, frequentius hos morbos experiuntur. Non adeo extimeſcenda ſunt haec ſymptomata in hyſtericis; in grauidis vero, ſi vehementiora et diuturniora ſunt et crebrius recurrunt, interdum ſequitur abortus. In acutis ſummum periculum oſtendunt. Nec minor metus eſt poſt grauem haemorrhagiam et aliam euacuationem, niſi celerius ſuccurrere poſſumus aegro.

§. 656.

Quoniam medicamenta difficilius et non ſine metu ſuffocationis deglutiuntur, protinus adhibenda ſunt externa. Naribus admoueantur volatilia: Spiritus ſalis ammoniaci, cui, praecipue ſi foeminae hyſtericae ſunt, admiſceatur Eſſentia Caſtorei; Sal Anglicanum volatile, addito oleo Caryophyllorum. Facies et nucha conſpergantur frigida, in os ingerantur balſama, veluti SCHERZERI et alia, quae ex oleo Nuciſtae et oleis deſtillatis componuntur. Ingeri etiam poteſt fruſtulum ſacchari, quod excepit Spiritum Salis ammoniaci, vel balſamum Auguſtanorum. Euellantur pili, fricenturque pedes manusque linteis aſperioribus, et ſi Syncope diutius perſiſtit, etiam confugiendum eſt ad clyſteres ſtimulantes. Vbi autem aeger ſibi redditus eſt, danda ſunt analeptica, hauſtus vini generoſi, aquae deſtillatae, et ex his aqua deſtillata Cinnamomi cydoniata, et alia; Confectio Alkermes, Syrupus Coralliorum Quercetani, Syrupus de Canela. Hyſtericis conducit Eſſentia Caſtorei. Quantum fieri poteſt, corpus moueri debet, vt etiam humores ad priſtinum motum reuocentur. Si Syncope a grauiori haemorrhagia orta fuit, vel ex accepto vulnere, vel ex abortu, partu, homo quidem excitandus eſt, omnia vero aliena ſunt, quae motum ſanguinis augent. Quare adhibenda ſunt, quae occaſione ſanguinis profluuii commendavimus: Emulſiones, Iuſcula, et cum his temperantia. Aeger a ſomno prohibendus eſt. Symptoma eſt Syncope, igitur cauſſae conſiderandae ſunt, illaeque tollendae.

MELAN-

MELANCHOLIA ET MANIA.

§. 657.

Est mentis alienatio pertinacior sine febre. Differt itaque a delirio, quod symptoma febris est. Maniae tamen, praecipue confirmatae, aliquando febris vt symptoma accedit. Melancholia nomen habet ab atra bile. Veteres existimauerunt, atram bilem esse humorem naturalem, et eum, praeter modum redundantem et alia humida exsuperantem, hos morbos parere. Est inter hos discrimen. Melancholici vt plurimum tristes sunt, suspicioſi, timidi, solitudinem amantes. Maniaci in quamuis stultitiam feruntur, cuius summus gradus furor est et rabies. Quibus hi morbi imminent, ii plerumque ab initio de insolito pondere corporis, virium imbecillitate, somno insomniis turbato, respiratione lenta ac difficili, anxietate, adpetitu depravato, conqueruntur, pallidi fiunt, et propositi atque idearum semel impressarum sunt tenacissimi.

§. 658.

Interdum oriuntur hi morbi ex vitiato corpore, si in hoc corrupta humida, solida relaxata, vel alia ratione male affecta sunt, quibus mentis actiones perturbari multis obseruationibus compertum habemus. Nonnumquam eadem valetudinum genera nascuntur ex mentis adfectionibus, veluti ex idea tenaciter inhaerente, praecipue si talis aliquo vehementi desiderio, amore, odio et similibus inflammata atque in dies magis confirmata fuit. Nam his inualescentibus, tandem etiam corpus laeditur, et praecipue cerebrum, quo mediante omnes sensus internos fieri nouimus. Igitur morbi hi nascuntur ex sanguine lento, crasso, corrupto, si partes mobiles, gelatinosae, teneriores diffiantur, partes vero oleosae, rancidae, terrestres cum salibus inter se cohaerent. Nam si sanguinis habitus ita corruptus est, is

difficilius, praecipue in abdomine, mouetur, vnde oritur anxietas. Propter defectum laudabilis humoris lymphatici turbantur omnes ſe-et excretiones, et alienantur illa tenuiſſima fluida in cerebro, ſine quibus ſenſus motusque recte fieri nequeunt. Quare inſani fiunt ex morbo hypochondriaco et hyſterico, ſi vetuſtas acceſſit, ex corruptis humoribus primarum viarum et viſcerum abdominis, id quod quandoque fieri poteſt a febribus male curatis, a febribus propter imbecillitatem partium ſolidarum pertinacioribus, quibus etiam humida corporis vitiantur, ex Opii aliorumque Narcoticorum abuſu, ex abundante corruptoque liquore genitali, ex menſium, haemorrhoidum, lochiorum obſtructione, ex nimio calore ſub Sirio, ex nimia Venere, vigiliis, ex victu craſſo crudoque, ex ebrioſitate, praecipue ſpiritus ardentis abuſu, ex potu parciori, et tandem, ſi in ipſo cerebro vlcus vel aliud quid praeter naturam eſt.

§. 659.

Ratio reddi poteſt, cur ſanguis craſſior lymphaque ſua orbatus, terreſtris et acrior, facilius in viſcera abdominis contrahatur. Dum enim ſanguis ex corde in aortam proiicitur, limpida pars ſurſum fertur, terreſtris deſcendit, cuius non minima vis ingreditur arteriam coeliacam eiusque ramos, quae ad viſcera abdominis pertinent. Praeterea ſanguis difficilius mouetur in viſceribus raris admodum, tanto magis per venam portae, quae omnibus valuulis deſtituitur. Ex difficiliori autem motu et lentor humoris et anxietas augentur.

§. 660.

Saepe autem hi morbi ex vitiata mentis actione naſci videntur. Nihil dicam de animi perturbationibus, terrore, gaudio, moerore, amore, aliisque, ex quibus, ſi animo pertinaciter inhaerent, naſcitur Melancholia. Hoc accidit etiam litterarum ſtudiis deditis, qui ſine intermiſſione vnam eamdemque rem mente agitant. Tales ſunt Algebraici, et

qui

qui per difficiliorem calculum varia, veluti circuli quadraturam, quaerunt; Poëtae furore agitati; Fanatici, qui ſalutem aeternam per ſtultitiam quaerunt; qui lectione fabularum romanenſium phantaſiam concitant turbantque; Amatores infelices, et qui ex honoris vel opum diſpendio moerorem contrahunt; qui dura paupertate preſſi, elatum ſpiritum habent, et non niſi magna moliuntur, ſaepe ſtulti fiunt. Nam hi omnes ideae, quae illis impreſſa fuit et aliquo deſiderio agitata, pertinaciter inhaerent, et ſe ab ea depelli non ſinunt, in quibus ſub finem corporis non ſolum humida, ſed ſolida etiam vitiantur. Nam in his poſt mortem cerebrum plerumque exſuccum et fere aridum repertum fuit. Crebrius hoc morbo laborant homines ſicci, et qui corpus adſtrictum habent et gracile, ingenio pollentes et altum ſapientes, quam alii.

§. 661.

Longe difficilius tollitur morbus ex idea ortus, quam qui ex corporis vitio natus fuit. Raro curatur Mania, cui vetuſtas acceſſit, et quae in furorem degenerauit. In hac non raro inſolitum muſculorum robur, tolerantia frigoris et dolorum, diuturna inedia, vigiliae cum phantaſiae corruptae horrendis imaginibus eſſe ſolent. Aegri quandoque epileptici fiunt, vel apoplectici moriuntur. Naturae beneficio tollitur morbus, ſi materia bilioſa, vel etiam acida, picea aliaque, et vomitu et per aluum reiicitur. Nonnumquam id accidit haemorrhoidibus prouenientibus, vel alio magno ſanguinis profluuio, ſuperueniente febre quartana et erumpente ſcabie maligna, vel in cruribus ortis vlceribus.

§. 662.

In curatione reſpiciendae ſunt cauſſae, et ante omnia illae, ſi fieri poteſt, tollendae ſunt. Moueantur haemorrhoides et menſtrua, a Venere prohibeatur aeger, ſi illa abuſus eſt, vel ſalacioribus, ſi id fieri poteſt, concedendum

eſt matrimonium. Numquam vitiati humores vi mouendi ſunt, ſed potius lenioribus diluentibus et leniter euacuantibus. Illa vero diluentia vitiato humori et exſuperanti acrimoniae adcommodari debent. Inter praeſtantiſſima remedia ſunt aquae minerales, quae vero aegris accommodatiores eſſe debent. Thermae non ſemper, neque omnes, ita bonae ſunt. Optimae plerumque eſſe videntur acidulae Spadanae, et, quae cum his proxime conueniunt, Schwalbacenſes. Diu vero per vnum alterumque menſem potari debent. Valentiores, veluti Egranae, poſſunt praemitti, non vero tamdiu continuari. In corporibus imbecillis proficiunt Selteranae, vel ſolae, vel cum lacte. Cum his aquis adhiberi debent balnea frigida, quibus fere quotidie vtendum eſt. Etiam conferunt alia diluentia, quae ſemper acrimoniae, quae in aegro exſuperat, et quae ex ſignis ſuis cognoſcenda eſt, accommodari debent. Si abundat acidum, dari poteſt Sapo Venetus cum Pilulis Stahlianis, Sal Cardui benedicti, Abſynthii, &c. Multum proſunt iuſcula carnium cum Cancris fluuiatilibus, qui viui contundendi ſunt. Adiici poteſt vitellus oui crudi, non cocti. Si exſuperat putre, alcaleſcens, conducit Oxymel, ſuccus fructuum horaeorum maturorum, horum fructuum aëre ſiccatorum decoctum, ſerum lactis, vinum oligophorum; herba Endiuiae, Lactucae decocta; radix Cichorei recens cum Paſſulis. Vbi rancidum exſuperat, optima eſt aqua diluens, additis etiam acidis. His vero diu inſiſtendum eſt, vt leuis, non vero nimia ſit diarrhoea, et frequens ad minimum deiectio. Inter diluentia etiam eſt ptiſana ex hordeo, quae praecipue in acrimonia alcaleſcente et rancida multi vſus eſt. Vbi vero tandem materia mobilis facta eſt, illa ſaepe pedetentim euacuatur, quandoque vero motu quaſi critico. Hoc futurum eſſe ſignificat mira aegri anxietas, nauſea, lipothymia, vomitus, pulſus intermittens, vrina vel nigra, vel bilioſa. In hoc caſu criſis non turbanda eſt. In aluum immittendi ſunt clyſteres paregorici. Danda ſunt leniſſima laxantia, acrimoniae adcommodanda, ex Sale cathartico

tharctico Thermarum Carolinarum, Cremore Tartari, Tamarindis, Manna, Rheo. Vbi tandem materia euacuata eſt, danda ſunt roborantia, martialia, Cortex Peruuianus.

§. 663.

Venaeſectio ſaepe quidem ad tempus leuamen affert, et neceſſaria eſt in valde plethoricis atque adſuetis; in aliis vero malum pertinacius reddit. Nec ſine periculo dantur fortiora purgantia, omniaque, quibus corporum viſcerumque robur reſoluitur. Victus ſedulo conſiderandus, et potio idonea aegro praeſtanda eſt. Cibus ſit paucus, corporis motus, ſi id res patitur, magis continuus quam vehemens. Plurimum proficit equitatio. Somnus, quantum fieri poteſt, ſit longus et quietus, aluus ſemper laxa. Vinum non niſi triſtioribus, alcaleſcente acrimonia laborantibus, numquam furioſis, praeſtandum eſt. Maniacos haud opinantes nonnulli in aquam praecipitare ſolent. Terrore quandoque deletur idea et homo ad ſe redit, numquam vero tollitur mala materia corporis. Etiam ex ſimili terrore interdum morbus exaſperatur. Semper videndum eſt, inprimis ſi morbus ex aliqua idea ortus fuit, vt illa contrariis deleatur et eradicetur. Timidorum itaque animus erigendus eſt. Audacioribus et furibundis incutiendus eſt metus ac terror. Triſtibus grata quandoque eſt muſica; ſalaciores flagris coërcendi ſunt, &c. Prae ceteris neceſſarium eſt iter, locorum et obiectorum mutatio. Numquam melancholico exprobretur ſtultitia, ſed Medicus ante omnia enitatur, vt aegri habeat confidentiam. Peſſimum enim eſt, ſi melancholici Medicum timent vel aſpernantur et nullum auxiliorum genus admittunt.

MORBI GRAVIDARVM ET PARTVRIENTIVM.

STERILITAS.

§. 664.

Sterilitatis cauſſa frequentius in foemina eſt, quam in viro; accidere tamen poteſt, vt inter maritum et vxorem ſit ſterilitas, quae cum aliis non eſt, quam nonnulli relatiuam vocant. Foeminae ex variis cauſſis ſteriles ſunt. Prima cauſſa eſt mala partium conformatio, quae nullum, niſi in atretis, auxilium admittit. De his vide Chirurgiam. Si foeminae nimis obeſae ſunt, omentum altius deſcendit, comprimitque vterum et eius ceruicem. His non aliud remedium eſt, quam parcior victus, corporis exercitatio, aquarum mineralium vſus, quibus omnibus corpus tenuatur. Frequentiſſima cauſſa eſt catameniorum fluxus deficiens, vel aliter vitiatus. Hoc corrigi debet. Poſt abortum et partum difficilem, maxime, ſi adhaerentes ſecundinae digitis auellendae fuerunt, foeminae ſteriles interdum fiunt, ſi interior vteri pars laeſa ſauciataque et ſuppurata fuit, ex qua occaſione etiam interdum Tubarum Fallopianarum ora, in vterum naturaliter aperta, exulcerantur et poſt glutinantur occludunturque. Nec hoc vitium facile auxilium admittit. Non raro ex partu relinquuntur in vtero ſecundinarum partes, quae in molas increſcunt, id quod inprimis accidit, ſi poſt partum vel abortum mulieri lochia non recte proueniunt, vel ſi nimia haemorrhagia adſtringentibus fuit cohibita. His foeminis, nec non iis etiam, quibus quandoque tenacior mucus in vtero haerere videtur, proficiunt Thermae, vel ſi harum opportunitas non eſt, bal-

nea domeſtica. Mulier ſedeat ſuper ſacculum herbis fragrantioribus plenum. Idoneae ſunt herbae, Parietariae, Abſynthii, Matricariae, Meliſſae, Maioranae, Artemiſiae; flores Verbaſci, Chamomillae. Sacculus alius ſuperhaberi poteſt abdomini. Cum his balneis bibat Infuſa per epicraſin laxantia, aquas minerales, et ſumat cum his pilulas Becheri. Haec omnia vero accommodanda ſunt ad foeminarum temperiem et corporis habitum.

§. 665.

Saepe Sterilitatis cauſſa eſt a nimis relaxatis genitalibus et fluore albo, id quod accidit ex frequentiori partu, magna haemorrhagia, nimio coitu. Proſunt aduerſus fluorem album auxilia ſupra propoſita. Adhibenda ſunt ſimul roborantia: vinum rubrum Pontac, quod potioni praeſtandum eſt. Medicamenti loco eſt hoc vinum, ſi in eo ferrum candens exſtinguitur. Dari etiam poſſunt, praemiſſis aliis, martialia. Genitalibus admoueantur fomenta ex roborantibus. Proſunt ſuffitus, ex Gummi Elemi, Olibani, Aminae. Sedulo autem videndum eſt, ne his turbentur catamenia, et ne nimis celeriter cohibeatur aliud proſluuium, cuius mala materia non raro ſcirrhum parit, interdum in viſcera conuertitur. Plurimum valent Thermae Toeplicenſes, quibus, ſi primae viae atque viſcera abdominis ipſeque vterus laborant, praemittendae ſunt Carolinae, per plures dies potandae.

VOMITVS GRAVIDARVM.

§. 666.

Eo plerumque primis menſibus, maxime horis matutinis, vexantur. Non ita timendus eſt, magis vero is, qui vltimis geſtationis temporibus incidit, et qui, niſi a malo victu et repletione ortus fuerit, ſaepe abortum futurum ſignificat.

ſignificat. Oritur hic vomitus a redundantia humorum ad ventriculum, et difficiliori illorum per eius membranas transitu; plurimum tamen conferunt cruditates in eo relictae. Humores vero, qui per genitalia excerni non poſſunt, ad reliqua viſcera abdominis, et ad ipſum praecipue ventriculum conuerti, alia in Pathologia obſeruata oſtendunt. Hic vomitus tolerari debet, niſi vehementior fuerit. Plurimum illum leuant pulueres ex Rhabarbaro, addito Nitro et Conchis praeparatis. Vbi vero tamen vehementer vrget, et propter conuulſionem muſculorum abdominis abortus metum adfert, ſanguis mitti debet ex brachio, praemiſſis iisdem pulueribus. In corporibus robuſtis, et ſi copioſior et tenacior pituita vomitu cum multo labore reiicitur, quandoque non aliena eſt Ipecacuanha ad ſcrup. j. addito Sale catharctico et epotis ſimul multis diluentibus. Sic enim ſaepe ventriculus expurgatur et auertuntur laborioſi illi nixus; caute tamen cum his agendum eſt. Quum hoc auxilium non omnibus opportunum ſit, maior ſecuritas eſt in Rhabarbaro.

ALVI OBSTRVCTIO GRAVIDARVM.

§. 667.

Hac ſaepe vexantur grauidae, ex qua ſola non raro abortus ſequitur, quod ab induratis coaceruatisque acrioribus ſecibus ſpaſmi concitantur. Imperandus eſt potus ſufficiens, diluens victus mollior, ex iuſculis carnium iuniorum, fructibus horaeis aëre ſiccatis, praecipue prunis Damaſcenis, Paſſulis. Dari poſſunt Paſſulae cum Rhabarbaro coctae. Saepe proficit potus Caffée cum lacte. Si haec non leuant, recurrendum eſt ad clyſteres, quos tamen nec feruidos, nec

acres

acres esse oportet. Optime fiunt ex auena excorticata, addito oleo et pauco sale. Interdum decoctum dari potest Mannae cum Cremore Tartari; vel Manna sola, quae cum fabis Caffée coquitur. Plurimi vsus sunt pulueres ex Rhabarbaro, Nitro et Conchis praeparatis, qui tamen magis proficiunt, si primis viis inhaerent cruditates, ex quibus etiam nonnumquam abortus sequitur; aluum autem pertinaciter obstructam melius soluit Manna.

DIARRHOEA GRAVIDARVM.

§. 668.

Diarrhoea non sine periculo est, praecipue si accedunt spasmi vel febris. Protinus dandi sunt Pulueres ex Rhabarbaro et absorbentibus, praecipue Coralliis, addito pauco Nitro, quod vltimum magis necessarium est, si aegra de siti et aestu conqueritur. Post Rhabarbari vsum conueniunt iuscula tenuiora, quibus accedente febre succus Citri miscetur. Si autem diarrhoea sine febre est et a refrigerio orta, ea cum seminibus Carui et Nigellae contusis commode coquuntur. Dari etiam potest Mixtura ex Essentia Castorei, Corticum aurantiorum, Liquore anodyno. Conducunt pulueres ex Castoreo cum Coralliis, quae cum aquis destillatis, Melissae sine vino, Corticum aurantiorum, deglutiantur. Si malum pertinax est, confugiendum est ad sopientia, praecipue ad Diascordium Fracastorii. Euitandum est refrigerium, praecipue pedum.

FOETVS IMBECILLI CVRATIO.

§. 669.

Saepe grauidae abortum metuunt, ſi foetus ſe mouentis impetum non ſentiunt. Videndum eſt, num alia ſigna adſint, quae foetum haud rectum valere oſtendunt. Et his cauſſis accommodanda eſt curatio. Pernicioſa ſaepe ſunt medicamenta analeptica calida, tum intus ſumta, tum abdomini illita, quae foetum roborare vulgo dicuntur. Tolerari poteſt minor cyathus vini generoſi, aqua Cinnamomi cydoniata, et abdomini illitum Balſamum Embryonum, vel aqua Reginae Hungariae. Vehementior commotio foetus maiorem futuri abortus metum affert, quam eius quies

PARTVS DIFFICILIS.

§. 670.

Varias cauſſas variaque auxilia docet Chirurgia. Hoc tenendum, non ſolum a peruerſo ſitu ipſius foetus, ſed etiam ab alieno ſitu vteri partus difficultatem oriri. Antequam os vteri internum ſatis dilatatum eſt, partus numquam accelerari, nec facile membranae digitis dilacerari debent. Id vero neceſſarium eſt, ſi ex auulſa placenta periculoſior oritur haemorrhagia. Primiparis et annoſioribus ante partum conducunt balnea, numquam feruida, ſed tepida. Inſedeant in balneo ſuper ſaccum ex herbis emollientibus. Durante partu genitalibus illinuntur vnguentum pomatum, butyrum ſine ſale, oleum Liliorum alborum.

DOLORES NOTHI ET VERI.

§. 671.

Dolores nothi, ſeu ſpurii, diſtinguendi ſunt a veris. Dolores veri ſunt ſpaſmi muſculorum abdominis, quibus vterus comprimitur, et ipſius, vt videtur, vteri, ſub quibus eius os internum ampliatur. Dolores veri a lumbis incipiunt, diutius durant, per inguina deſcendunt ad imos vsque pedes. Dolores vero nothi vagi ſunt, colicis ſimiles, vel lumbos occupant, non vero ita deſcendunt. Maximum vero criterium eſt, ſi inter dolores orificium vteri internum commouetur, et poſt magis magisque ampliatur. Doloribus nothis medentur clyſteres ex lacte et emollientibus, Rhabarbarum cum Nitro et abſorbentibus, et alia ſupra propoſita; extrinſecus Balſamum embryonum.

VRINAE SVPPRESSIO GRAVIDARVM.

§. 672.

Non omittenda eſt vrinae ſuppreſſio, qua grauidae plurimum vexantur. Illa oritur ab haemorrhoidibus, calculo et aliis cauſſis, quibus ſpaſmi harum et vicinarum partium excitantur. His medentur clyſteres, balnea, fomenta, genitalibus admota. Interdum tamen pertinacior vrinae ſuppreſſio oritur, quando caput infantis, in anteriora inclinati, ceruicem veſicae premit. In hoc caſu quandoque nec demiſſo in veſicam cathetere, vrina educi poteſt, quod vltimum ceteroquin auxilium eſſe ſolet. Igitur ſi hanc cauſſam eſſe nouimus, ſupina collocanda eſt mulier, coxis ela-

tioribus, demiſſiori capite. Duo digiti in vaginam vteri demittendi ſunt, quibus modeſte, nulla vi adhibita, paullulum in poſteriora inclinari poteſt infantis caput. Vrina tunc vel ſponte effluit, vel demiſſo in meatum vrinae cathetere euocatur. Nonnumquam mulieres vexantur vrinae incontinentia. Si hoc ex eo incidit, quod foetus veſicam premit et anguſtiorem reddit, nullum auxilium eſt; ſi vero vrina acrior eſt rodensque, neceſſaria ſunt fomenta et frequentiores genitalium lotiones. Potus etiam detur diluens.

DE CVRA MVLIERIS SVB PARTV.

§. 673.

Ante partum, et quidem vltimis diebus, plethoricis et adſuetis iterum mitti poteſt ſanguis ex talo. Hac ſanguinis miſſione reſpiratio facilior redditur, ita, vt mulier partum melius eniti poſſit. Auertitur etiam febris et inflammationis metus. Ante omnia videndum eſt, vt aluus libera ſit eo tempore, quare protinus illa ducatur clyſtere, praecipue ſi inteſtinum rectum fecibus induratis repletum eſt. Sunt, qui tempore partus pilulas Becheri aqua Meliſſae ſoluunt et mulieri exhibent, id quod in phlegmaticis, et in quibus nulla haemorrhagia metuenda eſt, et quae etiam haemorrhoidibus coecis non vexantur, fieri poteſt. Sub partu imperandum eſt mulieri, ne vel vrinam, vel aluum contineat, id quod peſtiferum foret. Sub partu nocent omnia medicamenta cardiaca, analeptica, immo etiam iuſcula meraciora. Videndum eſt, ne ventriculus potione nimium impleatur. Si dolores deficiunt, id quod, ſi omnia recte fiunt, et ſi infans recte collocatus eſt, rarum eſſe ſolet, dari poteſt Syrupus Capillorum Veneris ad vnciam j. cum aqua quadam deſtillata, v. g. Ceraſorum, Meliſſae

ſine

ſine vino, addita aqua Cinnamomi ſine vino. Conducunt pilulae Becheri, aqua Meliſſae vel Corticum Aurantiorum ſolutae. Plurimum tribuunt Borraci Venetae, cuius ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam admiſcent potiunculae analepticae; reliqua parum proficiunt. Genitalia vngenda ſunt et lubricanda. Membranae vero, niſi illud ſumma neceſſitas poſtulauerit, numquam rumpendae ſunt. Amnii enim liquore optime lubricantur genitalia. Si, aperto orificio interno vteri, membranae aequales, rotundae, turgidae, digito obuerſae ſunt, ſignum eſt foetum recte collocatum eſſe.

§. 674.

Poſt partum puerpera refici poteſt dato pauxillo vini, niſi ſanguinis profluuium illud prohibeat. Omni ſtudio vitari debet, ne aër in vterum irruat, quare genitalia panno calido contegenda ſunt. Obſtetrix educere debet ſecundinas protinus, antequam os vteri iterum contrahitur. Non raro neceſſe eſt, vt demiſſa in vterum manu, mediantibus digitis illas diducat; quomodo id fieri debet, docet Chirurgia. Aër in conclaui nec frigidus ſit, nec calidus. Remouendus eſt omnis ſtrepitus nimiaque lux, et ex praecepto HIPPOCRATIS foemina curanda vt grauiter vulnerata. Si magna imbecillitas eſt, prima alteraque hora ſomnus non ita bonus eſt, et ab eo prohibenda eſt mulier; poſt vero nihil magis ad reficiendas vires idoneum eſt, quam placidus ſomnus. Mulier abſtineat primo alteroque die ab omni cibo, omnique potu fermenteſcente frigido. Nocent iuſcula meraciora. Miniſtranda ſunt iuſcula tenuiora pullorum, non nimis calida, vel etiam iuſcula ex aqua cum farina et cereuiſia ſecundaria, &c. Multum conqueruntur foeminae poſt partum de doloribus (germ. *Nachwehen*). Nihil aliud ſunt quam ſpasmi, quibus ſanguis coactus aliaque, quae in vtero haerent, expelluntur. Primiparae illis non facile vexantur, quod in his vterus ſe longe celerius et maiori vi contrahere ſolet. In aliis auertuntur hi dolores, ſi

mox poſt partum obſtetrix manum demittit in vterum apertum, et ſanguinem coactum aliaque, quae in eo haerent, praecipue ſi mola adeſt, eam extrahit. Vbi vero iam contractum eſt os vteri, tolerandi ſunt illi dolores, numquam, nec ſopientibus, nec nimium temperantibus, cohibendi. Danda ſunt illa iuſcula, quibus admiſceri poteſt oleum amygdalarum dulcium recens. Abdomen faſcia recte accommodata moderate, non tamen nimium, adſtringendum eſt. Ceterum ea obſeruanda ſunt, quae alibi de Lochiis pellendis dixi. Si dolores illi ab admiſſo genitalibus refrigerio orti videntur, fomenta emollientia, panni ſcilicet ex decocto emolliente expreſſi, admoueri poſſunt genitalibus. Nocent ſpirituoſa genitalibus admota, nocet etiam nimius calor et ſtragulorum pondus.

VTERI INFLAMMATIO.

§. 675.

Atrox morbus, ſaepe etiam partum et abortum ſequitur. Dum enim vterus poſt partum contrahitur, vaſa coarctantur, et ſanguinis circuitus, accedentibus ſpasmis aliisque cauſſis, impeditur. Hoc vero fit, ſi ab obſtetricia manu laeſus, vel ad minimum in difficiliori partu multum vexatus fuit, ſi placenta vi fuit diducta, vel ſi haec dilacerata et ex parte fuit relicta. Praecipue autem hoc incidit, ſi lochiorum fluxus fuit coërcitus ab admiſſo genitalibus, praecipue poſt partum et aperto adhuc orificio interno, refrigerio, ab animi perturbatione, ira, terrore, ab adſumtis frigidis aliisque incongruis flatulentis, potu praecipue frigido. Magis obnoxiae ſunt huic morbo mulieres cacochymia, fluore albo, chloroſi, malo hyſterico, ſpaſmis, neruorum imbecillitate laborantes. Non ſolum in puerperis, ſed etiam in aliis vterus quandoque, rarius tamen, inflam-

inflammari poteſt, ſi haemorrhagia repente adſtringentibus valentioribus fuit cohibita, vel ſi fluor albus externis adſtringentibus fuit curatus, etiam a laeſione violenta per illatas plagas atque vulnera. Quandoque foetus in vtero demortuus et putreſcens labem relinquit, quae poſt hunc in lucem editum inflammationem adferre poteſt. Nec omittendum eſt, in puerperis febrem lacteam, ſi nimium ingraueſcit, quandoque lochiorum obſtructionem, et hanc vteri inflammationem adferre poſſe, praecipue ſi calidiora medicamenta propinantur ad pellenda lochia.

§. 676.

Differt vero inflammatio, quae etiam variis modis ſolvitur. Nam quandoque ſaltem vteri interior pars et quaſi ſuperficies laborat, quae inflammatio ſoluitur interdum ſudore, interdum purpura, ſaepius leui ſuppuratione intus in vtero orta, quam humor purulentus, foetidus, qui remittente ſe febre ex genitalibus effertur, ſignificat. Nonnumquam vterus ſcirrhoſus manet, qui ſcirrhus ſaepe in cancrum mutatur, quales foeminae miſeram vitam trahunt. Aliud vero inflammationis genus eſt, quod totum vterum occupat, et quod tandem in funeſtum ſphacelum mutatur. Hoc cognoſcitur a praegreſſis cauſſis, laeſione in partu difficili, a cohibitis repente lochiis, ex inflatione abdominis, ex dolore inflammatorio ardente in regione hypogaſtrica; accedit febris inflammatoria vehementiſſima cum omnibus ſuis ſymptomatibus, teneſmus, frequens mingendi ac deſidendi deſiderium, tandem diarrhoea et excretio omnium praeter voluntatem. Septimo vero die mors. Profunda haec inflammatio raro ſoluitur purpura alba, ex qua tamen non minus periculum imminet.

§. 677.

Auerti poteſt vteri inflammatio in foeminis, ſi ante partum moderato victu vtuntur, ſi aluus ducitur Rhabarbaro, et ſi plethoricis ſanguis mittitur. Praeterea obſeruan-

da ſunt omnia, quae ad lochiorum fluxum facere poſſunt. Euitandae ſunt cauſſae. Si febricula adeſt cum calore, danda ſunt medicamenta temperantia. Confer omnia, quae ſupra de lochiis dicta ſunt. Ad ſoluendos ſpasmos facere poteſt oleum amygdalarum dulcium recens ſine igne expreſſum, cum potu diluente, parum calido, emolliente. Ad ſanguinis miſſionem non protinus ac temere confugiendum eſt, quippe qua ſaepe lochia magis turbantur. Si vero inflammatio magna eſt, et cauſſa magna fuit, et ſi ſymptomata ingraueſcunt, illa differri non debet. Nec omittenda ſunt enemata emollientia. In foeminis hyſtericis, quae ſpaſmis facile obnoxiae ſunt, cum medicamentis abſorbentibus dari quandoque poteſt Caſtoreum, ad gr. viij. vel ſcrupulum dimidium, cum aqua deſtillata Meliſſae ſine vino. Auertendae huic inflammationi etiam inſeruiunt pilulae Becheri, quibus ſaepe lochia optime reſtituuntur. Talia vero dari debent, vbi aeſtus non magnus eſt et malum recens.

GENITALIVM TVMOR.

§. 678.

Si genitalia ex difficili partu intumuerunt, parari poſſunt epithemata ex decocto florum Chamomillae, Verbaſci cum lacte, vel ex decocto auenae excorticatae, quae calida genitalibus imponantur.

* *

DIARRHOEA PVERPERARVM.

§. 679.

Diarrhoea puerperis oritur ex variis cauſſis. Magnum metum facit, ſi eſt cum inflammationis ſignis. Non eſt ſymptoma inflammati vteri. Quandoque oritur a refrigerio et potu frigido, quandoque a lacte repreſſo. Quo ea frequentior eſt et quo maior teneſmus, eo magis timenda. Dari debent pulueres ex Rhabarbaro et medicamentis abſorbentibus. His praemiſſis, conducit Diaſcordium Fracaſtorii. Plurimum conferunt iuſcula tenuiora pullorum cum oleo amygdalarum dulcium recenti. In aluum immittenda ſunt enemata ex lacte, vitello oui, decocto emolliente, nullo adhibito ſtimulo.

ABDOMINIS TVMOR POST PARTVM.

§. 680.

Poſt partum ſaepe intumeſcit abdomen ſine febre et inflammationis ſignis, qui tumor etiam manet. Oritur a neglecta vinctura abdominis poſt partum, ſaepius vero a potu frigido et adſumtis copioſioribus alimentis per primos poſt partum dies, nec non ab admiſſo refrigerio. Malo recenti medentur pilulae Becheri, praecipue ſi tales, fluentibus adhuc lochiis, per aliquot dies dantur. Superbibatur Decoctum radicis Althaeae, Scorzonerae, Cichorei; herbae Capillorum Veneris, Maluae; florum Chamomillae, Sambuci, addito pauco ſemine Foeniculi. Poſt lochiorum fluxum dari poſſunt Infuſa per epicraſin laxantia, et cum his adhiberi balnea. Malum inueteratum nullam curationem admittit.

FEBRIS LACTEA.

§. 681.

Tertio circiter die lac irruit in mammas, cum quo horror et febricula incurſat (Germ. *ein Milchſchauer*). Nullum inde periculum metuendum, niſi febris valde vehemens et cum aliis ſignis ſit. Nec opus eſt medicamentis. Si tamen metus fuerit nimiae febris, dari poſſunt puluilli ex Margaritis vel Matre perlarum, lapidibus Cancrorum cum acido Citri, addito pauco Nitro. Si vero lac in iis, quae partum lactare nolunt, reprimendum eſt, protinus, et decima circiter poſt editum infantem hora, mammae faſcia attolli et moderate adſtringi debent, id quod in mammoſis mammasque penſiles habentibus valde neceſſarium eſt, qua faſcia prohibetur, quo minus lactis nimia vis mammas repleat. Imponi etiam poteſt Emplaſtrum compoſitum ex Emplaſtro de Spermate Ceti et diaphoretico Mynſichti. Neceſſe eſt, vt emplaſtra foramina habeant pro papillis excipiendis. Eo tempore dari poteſt lene catharcticum, quod eo magis neceſſarium eſt, ſi aluus adſtricta fuerit. In corporibus raris, ſic dictis phlegmaticis, dari aliquoties poſſunt pilulae Becheri, quae vero, ſi haemorrhoidum metus eſt, alienae ſunt. Foemina abſtineat ab omnibus iurulentis et a potione valentiori. Si vero infans, poſtquam adoleuit, a lacte depellendus eſt, imponi poſſunt eadem emplaſtra, et dari poteſt efficacius catharcticum ex Sale catharctico cum Magneſia, vel datis pilulis ex Extracto panchymagogo, Mercurio dulci, Diagrydio, &c. Si res poſtulat, tale catharcticum iterum dari poteſt.

§. 682.

Lactis defectum cognoſcimus, ſi mammae nimis flaccidae et penſiles in lactantibus ſunt, et ſi ex illis vel nullum, vel paucum exprimi poteſt; ſi nutrix de imbecillitate et doloribus

loribus colicis conqueritur. Non raro nutrices debiliores ex infantis robuſtioris ſuctu animo linquuntur. Infantes parum dormiunt, ſed vagiendo mammam quaerunt. Variae huius rei cauſſae ſunt, quandoque ductus galactophori nimis tenues vel concreti, quod iis prae ceteris accidit, quibus olim poſt alium partum lac repreſſum fuit. Hoc etiam accidit ex animi pathematibus, moerore, amore, deſideriis Veneris, ex Venere, et ſi mulier iterum concepit, ex agrypnia, defectu alimentorum. Saepe vero lactis defectus ex eius abundantia naſcitur. Nam ſi tenellus infans non omne lac exſugere poteſt, illud in mammis relictum cogitur et dolores mouet, tandem vero, alias vias ingreſſum, iterum ſanguini admiſcetur. Quare cura habenda eſt, vt his nutricibus lac exſugatur, vel ab alio infante, vel a muliere, vel a catello, vel adhibitis etiam varii generis machinis. Saepe lac deficit vel alienatum varia incommoda pueris affert, ſi lactanti catamenia fluunt, quae in nonnullis, non vero omnibus lactantibus prouenire ſolent. Lac etiam aetati infantis debet eſſe accommodatum, et ſemper melius eſt infanti neonato tenue, non nimis pingue, quod primis poſt partum menſibus in corpore conficitur. Primis poſt partum diebus illud admodum ſeroſum, Coloſtrum dicitur, quo etiam aluus infanti ſoluitur. Bonum lac debet eſſe albidum, haud flaueſcens, nec nimis coeruleum, nec nimis caſeoſum, palato gratum, ſine odore, quod non nimium pingue eſt, vel cremorem habet, ſed non nimium.

§. 683.

Lactis defectui medendum eſt, remotis, ſi fieri poteſt, cauſſis, addito congruo victu, moderata corporis exercitatione, ſomno etiam et animi tranquillitate. Ceteroquin danda ſunt iuſcula ex carnibus, etiam ex cereuiſia bene defecata, cum lupulo cocta, non aceſcente, addito Semine Carui vel Nigellae contuſo. Nec alienae ſunt emulſiones. Si vero cruditas in primis viis eſt, danda ſunt abſorbentia. Plurimum tribuunt Cryſtallo montanae bene tritae, quam

noſtrates *das Milchpulver* vocant. Dari poteſt cum aliis. Non quidem valentes purgationes adhiberi debent, ſaepe tamen proſunt ad educendas ſordes pulueres ex Rhabarbaro. Cum his vero mutari debet victus, et ſi lac in ventriculo infantis coacuit, abſtinendum eſt nutrici ab omnibus fermenteſcentibus et acidis vegetabilibus. Danda ſunt iurulenta, piſces, carnes aſſae, ſi fieri poteſt, et potioni praeſtanda eſt vel aqua ſimplex fontana, vel decoctum Eboris aut Cornu Cerui. Vbi vero infans febre laborat, veluti ex dentitione, variolis, tunc omnia iurulenta aliena ſunt. Proficiunt vegetabilia, non nimis tamen acida. Potioni praeſtanda eſt Cereuiſia tenuis, decoctum furfuris, vel in valentioribus decoctum panis domeſtici.

MORBI INFANTVM.

§. 684.

Infantes pluribus morbis obnoxii fiunt, non ſolum propter partium ſolidarum teneritudinem, ſed maxime etiam propter neruorum copiam et exquiſitiorem omnium mutationum, quae illis accidunt, ſenſum. Abundant etiam lympha, quae, ſi quieſcit, corrumpitur, et varios morbos, praeſertim vlcera cutis, parit. Non raro etiam morbos a parentibus per haereditatem accipiunt ex ſemine effoeto et venerea tabe infecto geniti. Matres ſunt hyſtericae, quae, tempore geſtationis, grauioribus animi perturbationibus, Veneris abuſu, nimia quiete, incongruo victu ac ingluuie, et proprium et foetus in viſceribus haerentis corpus infirmant atque eneruant. Plures morbi naſcuntur ex vitiato lacte, nec non ex victu, pultibus ſpiſſioribus, carnibus, ex potu aceſcente, maxime ſi hic cum lacte offertur, potu nocturno, &c. Multum confert neglecta mundities, ſi infantes in ſordibus relinquuntur et inſenſibilis reſpiratio reprimitur,

id

id quod etiam fit, si tenelli, lectulis et linteis fere oppressi, tempore nocturno nudantur et frigori exponuntur. Plures funestosque morbos parit dentitio, ex qua frequentius convelluntur. Propter neruorum abundantiam epilepsia huic aetati frequentissima est.

§. 685.

Infans in lucem editus, obligato, vt decet, vmbilico, protinus demittitur in balneum, quod nec frigidum, nec feruidum esse debet. Praeter necessitatem affundunt balneo vinum, quod fieri potest, si infans valde debilis est. Abstergendae enim sunt sordes mediante spongia, vel etiam adhibita farina fabarum, quae, si aëre indurantur, non absque dolore abraduntur. Cura habenda est vmbilici, qui, vbi siccatus est, sponte separatur; vlcus relinquit, si non recte fuit deligatus. Si prominet et super eum tumor manet, superdandus est globulus ex cera, qui fascia adstringitur, atque per aliquot menses superhabetur. Linteis et fasciis comprehendi debet infans non nimium adstrictis. Caput, quod sub partu nonnumquam distorquetur, manu reponendum est. Id vero fiat magna diligentia adhibita, ne cerebrum offendatur. Oculi a luce primis diebus prohibendi sunt. Cunae ita collocandae sunt, ne oculos lux offendat, et ne oculi in latus distorqueantur, et strabismum contrahant. Nihil tamen perniciosius est, quam si cunae et totus infans linteis operiuntur, et sic omnis aëris reciprocatio prohibetur, qua re multum laeditur respiratio.

§. 686.

Expurgandum est meconium, id quod, si mater alit puerum, fieri potest mediante colostro; si vero is nutrici committitur, protinus post partum dari debet catharticum. Syrupus hic praestat oleo amygdalarum dulcium, quod alii dare solent. Si vero mucus tenacior in ventriculo haeret, id quod ex impedita respiratione, rhoncho, et irrito vomendi conatu scire licet, illi Syrupo admisceatur oxymel squil-

ſquilliticum ad drachm. j. vnam et dimidiam, vel duas; alia emetica aliena ſunt.

§. 687.

Per duodecim horas poſt partum nec mamma, nec alius cibus dandus eſt infanti. Nocent alia, quae quandoque a nimis officioſis mulieribus ad auertendas alias valetudines roborandumque infantem dari ſolent. Si fieri poteſt, primis temporibus ſolo lacte alendus eſt infans. Mamma porrigenda eſt certo tempore, et non alio, quam poſt abſolutam in nutrice chylificationem. Pernicioſiſſimum eſt, ſi mamma praebetur infanti per iram atque vagitum perturbato. Potus nocturnus numquam bonus eſt, fermenteſcens vero peſtilentiſſimus. Si tandem increſcens foetus plus alimenti deſiderat, dandae ſunt pultes, quae optime coquuntur ex pane candido arido cum lacte tenui, vel ex farina craſſiori, germ. *Grieſs*. Pultes eſſe debent ſine butyro et ouis, nocet etiam lac nimis pingue. Sedulo conſiderandus eſt in nutrice victus et ceterarum rerum non-naturalium vſus.

§. 688.

Si infans poſt partum valde debilis eſt, et propter ſummam imbecillitatem reſpirare nequit, pulmones diſtendendi ſunt halitu et ſpiritu in os immiſſo, quo pulmones diſtenduntur. Lauandus eſt infans vino, quod etiam admoueri debet naribus. Confert etiam halitus ex maſticatis caryophyllis. Volatilia, naribus admota, infantibus non ita opportuna ſunt, et neruorum diſtentionem parere poſſunt.

§. 689.

Saepe infantes non recte ſugunt. Protinus ad Chirurgiam properant, putantes, frenulum linguae ſuctionem impedire, id quod autopſia docet. Tunc incidendum eſt frenulum; ſaepe tamen infans vel debilior eſt, vel articulus maxillae inferioris nondum ſatis mobilis. Nonnumquam lactantis papillae iuſto maiores ſunt. Si illae depreſſiores fuerint, foeminae adultae ſuctione valentiori educantur.

§. 690.

§. 690.

Si infantes torminibus vexantur, id quod ex vagitu aliisque ſymptomatibus cognoſcimus, danda ſunt leniora catharctica, Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro, Syrupus florum Perſicorum, &c. Optimum vero eſt medulla Rhabarbari ſtudioſius ſelecta et in puluerem trita, additis aliquot granis Nitri et Matris Perlarum vel Cryſtalli montanae. Talis puluilli et quidem Rhabarbari grana v. vel vj. pro vna doſi dari poſſunt tenerioribus infantibus, et ſi id viſum fuerit, iterari. Sedulo inquirendum eſt, num error commiſſus fuerit a lactante, num illa alui ſegnitie laboret, num ei catamenia fluant, &c. Huic, niſi aliquid prohibeat, dari poſſunt pulueres ex Nitro, Arcano duplicato, Cryſtallo montana, puluere Marchionum, vel aliis abſorbentibus. Si infans alui ſegnitie laborat, proſunt Enemata.

§. 691.

Rhoncho ſaepe laborant infantes et difficili reſpiratione. Plerumque oppletus eſt ventriculus, quare protinus dari poſſunt laudata catharctica, Rhabarbarum vel Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro. Huic Syrupo adiici poſſunt drachmae ij. vel iij. Oxymellis ſquillitici. Cum his proficiunt Enemata modo propoſita. Si pituita tenacior eſt in ventriculo, aliquot grana, iij. vel iv. radicis Ireos Florentinae bene tritae offerri poſſunt cum pulte. Sed efficacius eſt Oxymel. Sapo Venetus etiam ad gr. iij.-v.-viij. cum vitello oui tritus ſolutusque, pulti admiſceri et dari poteſt. Si lubricantibus opus eſt, exhiberi poteſt Eleoſaccharum.

§. 692.

Cardiogmus, germ. *das Herzgeſpann*, oritur vtplurimum ex inflato ventriculo, atque ſi lactis coagulum pyloro inhaeret, ſaepe etiam ex flatibus in inteſtinis, praecipue in duodeno et colo. Nocturna vigilia cum vagitu eſt, ſpiritus cum difficultate trahitur, et circulus luridus conſpicitur circa oculos. Protinus confugiendum eſt ad enemata,

et

et danda est Medulla Rhabarbari cum Nitro. Non inutiles sunt fricationes hypochondriorum. Abdomini illini potest oleum Anethi recens, adiectis aliquot guttulis olei destillati carminatiui. Vulgus multum extollit butyrum crudum. Cohibita per haec oleosa exspiratione, humor intus vertitur, et infarctus mobilis redditur. Si vero Cardiogmus vel Asthma orta sunt a repressis exanthematibus vel a refrigerio, aluus clystere ducenda est, non vero aliis catharticis, sed danda sunt diapnoica, praecipue Antimonium diaphoreticum rite praeparatum cum aqua florum Sambuci.

§. 693.

Comedones, germ. *die Mitesser*, sunt glandulae sebaceae MORGAGNI, materia sebacea spissescente repletae. Molestum sensum afferunt et infantes a somno prohibent, quare tandem oritur macies vera et tabes. Plures existimant esse vera insecta, quae in nonnullorum scriptis delineata cernuntur. Nec omnino negandum est, eiusmodi vermiculos in illis folliculis nidum opportunum inuenire posse, id quod in vena Medinensi Arabum alii deprehenderunt. Saepius tamen et plerumque praeter sebaceam materiam nihil exprimitur. Huic morbo medentur balnea, adhibita simul magna cura, vt infantes frequentius nouis linteis contegantur. Nam plerumque hoc vitium a munditie neglecta oritur. Vbi per balnea cutis emollita est, exprimendi sunt folliculi prominentes cultello, et euocanda est materia sebacea. Plurimum confert fricatio cum linteo asperiori. Balnea fiunt ex aqua fluuiatili, melius ex lacte, ex quibus etiam coqui possunt emollientia. Nec decoctum Furfuris alienum est.

§. 694.

Narium obstructio saepe suctionem et deglutitionem impedit. Nonnumquam vitio laborat ventriculus, et ante omnia aluus ducenda est dato Syrupo quodam vel puluere Rhabarbari. Nutrici dari possunt pulueres temperantes

cum

cum Nitro. Nec alienum eſt decoctum vel Infuſum aquoſum florum Chamomillae, addito pauco ſemine Aniſi vel Nigellae. Infanti poteſt dari puluis Glycyrrhizae cum pulte. Extrinſecus naribus admoueantur emollientia cum lenioribus ptarmicis. Vulgus butyro cum maiorana nares, tum circa radicem extrinſecus, tum intus illinire ſolet. Prouide etiam lac tepidum mediante ſiphunculo in nares poteſt immitti.

§. 695.

Intertrigo eſt excoriatio cuticulae in variis ſedibus, maxime ſub alis, inguinibus, perinaeo et auribus. Fit ab humore acri. Humida in infante hoc vitium contrahunt a victu lactis ſalſo vel aceſcente. Maxime vero hoc vitium oritur in infantibus a neglecta munditie. Cauſſae tollendae ſunt et obſeruanda mundities. Infanti aluus ducatur Rhabarbaro. Extrinſecus lauandae ſunt partes aqua calida, cui, ſi malum pertinax eſt, adiicitur aqua ſclopetorum, vel octaua aut decima pars vini aduſti. Lintea ſaepe mutanda ſunt, et vbi fricatio metuenda, interponendum eſt linteum carptum. Si vero exulceratio iam profundior eſt, adhibenda ſunt leniora ſiccantia; ad valentiora enim nec temere, nec protinus confugiendum eſt, id quod inprimis obſeruari debet, ſi madent aures. Parari poteſt linimentum ex mucilagine ſeminis Cydoniorum, addito pauxillo Ceruſſae et Antimonii diaphoretici. Etiam oleo Liliorum alborum admiſceri poteſt vnguentum album camphoratum, addita Ceruſſa. Plerumque vtuntur pulueribus ex farina volatili, Ceruſſa, Cornu Cerui vſto et Antimonio diaphoretico. Siccantur quidem vlcera, difficilius vero ſeparantur cruſtae. Si vlcera vetuſtate et negligentia curationem non recipiunt, Ceruſſae admiſceri poteſt Mercurius dulcis, paucus tamen.

§. 696.

Dentitio difficilis varia habet ſymptomata, non raro funeſta, febrem, conuulſionem, epilepſiam, diarrhoeam,

alui

alui pertinacem obſtructionem, agrypniam, tuſſim. Optimum eſt, ſi infantes ſub dentitione diarrhoea laborant. Si illos febris tenet, non facile conuulſiones timendae ſunt. Nam vbi anxietas eſt, vigilia et inquies ſine febre, et ſi corpus haud calet, plerumque imminet neruorum diſtentio Bonum etiam eſt, ſi multa ſaliua ex ore effluit. Si dentitio cum tuſſi eſt, haec plerumque ſolet eſſe conuulſiua, quae non niſi erumpentibus dentibus finitur. Plerumque malum pertinacius eſt. Nulla ſunt medicamenta, quae proprie dentitionem iuuare poſſunt. Purgandae ſunt primae viae, non alio vero medicamento, quam Rhabarbaro. Si aluus obſtructa eſt, in eam immittantur lotiones mollientes. Si aeſtus vrget, dari poſſunt potiunculae ex temperantibus et diapnoicis, addito etiam Specifico cephalico. Repurgatis primis viis, conducunt Emulſiones ex ſemine Papaueris, Amygdalis, addito Syrupo emolliente de Althaea. Extrinſecus comprimantur gingiuae corpore duro, dente lupi, vel cruſta panis. Emolliuntur gingiuae, ſi linteum, bacillo adligandum, demittitur in mel, et hoc gingiuae pertractantur, quales formulas habet BOERHAAVIVS. Is etiam laudat cremorem florum Sambuci. Flores Sambuci recentes linteolo includunt, quod adpenſo plumbo, vt fundum petant, demittitur in vitrum rotundum cylindricum, ſuperaffundunt lac dulce, quae omnia ſic digeruntur moderato calore. Cremor eadem ratione admouetur gingiuis. Non facile recurrendum eſt ad ſectionem gingiuarum, quam proponit Chirurgia.

§. 697.

Alui obſtructioni medentur clyſteres emollientes. De his tamen dicendum, crebriorem vſum nocere, et coli rectique aliquam imbecillitatem relinquere. Etiam vbi ventriculus, duodenum et inteſtina tenuia crudis humoribus plena ſunt, nihil vel parum ſunt enemata; meliora ſunt catharctica. Dari poteſt Manna, eiusque ſolutio cum infuſo tenuiore

tenuiori Thée vel Coffée ad vnciam dimidiam vel vnam. Videndum, vt illa recens ſit. Maxime conſiderandus eſt victus lactantis. Nocent huic enim omnia, quae alui ſiccitatem pariunt, inter alia etiam multum panis domeſtici. Lactanti dari poſſunt pruna et poma aëre ſiccata aliaque, quibus aluus lubrica fit. Si lactanti aluus ſoluenda eſt, hoc numquam fiat acrioribus vel valentioribus, cum his etiam infantes afficiantur.

§. 698.

Vrinae defectus eſſe ſolet, ſi vrethra non perforata eſt. Auxilium ex Chirurgia quaerendum eſt. In aliis oritur a ſpaſmis, admiſſo refrigerio, vel ſi aluus adſtricta eſt et inteſtina flatibus intenta. In hoc caſu aluus ſoluenda eſt clyſtere, exhibeantur potiunculae ex aqua Corticum aurantiorum et Petroſelini, addito Nitro, ſpecifico cephalico et teneriore abſorbente. Nutrici dari poſſunt pulueres temperantes, ex aquis diaphoreticis, quibus commode admiſcetur Liquor mineralis anodynus. Extrinſecus abdomini infantis illinatur oleum Anethi, additis paucioribus guttulis olei deſtillati. Spaſmis, etiam vehementioribus, aliunde ortis, medetur oleum Amygdalarum recens cum Spermate Ceti recenti, ex quibus Eleoſaccharum parari poteſt. Si vrina propter lactis defectum pauca eſt, alia nutrix quaerenda eſt, vel alendus eſt infans aliis iuſculis, maxime Cremore auenae excorticatae.

§. 699.

Tuſſis infantum ſaepe eſt cum dentitione. Semper videndum, num pulmo, num ventriculus, num vtrumque viſcus mala materia abundet. Vix non ſemper laborat ventriculus, quoniam infantes ea etiam, quae ex pulmonibus efferuntur, iterum deglutiunt. Igitur proficiunt pul-

veres ex Rhabarbaro, praecipue ſi tuſſis non clangoſa, ſed cum ſtertore eſt. Vbi vero pulmones laborant, proficit Oxymel ſquilliticum, quod cum Syrupo quodam, veluti Syrupo Capillorum Veneris, ad drachm. j. vel vnciam dimidiam aut drachmas vj. miſceri poteſt. Si tuſſis a refrigerio eſt, dari poſſunt potiunculae et emulſiones diapnoicae. Si tuſſis valde clangoſa eſt, proficiunt lubricantia, Syrupus de Althaea, Capillorum Veneris, nec non Sperma Ceti et iuſcula ex auena excorticata.

§. 700.

Catarrhus ſuffocatiuus plerumque oritur a coacto in ventriculo lacte, ſaepe etiam a dentitione. Alia etiam alimenta cruda, maiori in copia ingeſta, occaſionem dare poſſunt, pultes inprimis pingues et ſpiſſiores. In hoc caſu protinus dandum eſt lene emeticum, radix Ipecacuanhae bene trita ad gr. iiij-vj. quae commode offerri poteſt cum potu Caffée atque Chocolata. Nec alienum eſt, vrgente malo, ſi gr. iij-iv. ſalis Vitrioli albi, ſeu Gillae Paracelſi, aqua ſoluuntur et cum Syrupo, veluti florum Perſicorum, exhibentur. Nonnumquam ſufficit digeſtiuum, Arcanum duplicatum ad gr. viij. vel ſcrupulum dimidium, Anima Rhabarbari ad gtt. xx-xxx. Si malum non ita vrget, propinari poteſt cum Syrupo Oxymel ſquilliticum ad drachmas ij. vel iij. Lac, ſi in ventriculo coactum haeret, efficacius ſoluit Sapo Venetus, qui commode cum Vitello oui terendo ſolui ac pultibus admiſceri poteſt. Poſt huius vſum conducit emeticum vel Rhabarbarum. Ante omnia vero et protinus ab initio duci debet Enemate, cui vel Sal communis, vel Tartarus vitriolatus cum aliquot granis ſalis Vitrioli adiici debet. Poſtquam malum ſopitum fuit, adhuc dari debent Rhabarbarina. Durante inſultu pulueres dari nequeunt propter impeditam deglutitionem.

§. 701.

§. 701.

Vomitus infantum crebrior, ſi cetera bona ſunt, nihil ſignificat, praeter repletionem lactisque copiam, et in hoc abundantiam Cremoris. Vbi vero infantes aeruginoſum eiiciunt, dandum eſt Rhabarbarum et victus lactantis emendandus.

RHACHITIS.

§. 702.

Rhachitis a graeco ῥάχις ſpina dorſi, quae in hoc morbo plerumque diſtorta eſt. Nouus morbus eſſe videtur, a Veteribus minimum talis, qualis hodie deprehenditur, deſcriptus. Ex Anglia ad nos delatus fuit, vbi ſeculo XVI. primum innotuit, vnde vulgo dicitur morbus Anglicus. Infantes eo plerumque laborare incipiunt intra nonum et viceſimum quartum et triceſimum aetatis ſuae menſem. His caput valde magnum eſt, muſculi macilenti, cutis flaccida. Oſſa circa articulos et epiphyſes intumeſcunt, artus vero in medio incuruantur, vertebrae diſtorquentur, pectus durum eſt, e latere quaſi compreſſum, venae iugulares tumidae, abdomen durum et tumens. Dentes tardius et difficilius erumpunt, mox rurſus vitium contrahunt, labant, et carie exeſi cadunt. Reſpiratio fit difficilis et tuſſiculoſa, os ſiccum eſt et vox rauca. Ingenio plurimum valent hi pueri, ſodalibus etiam prudentiores, corpus vero valde laxum eſt et infirmum. Quare omnem corporis exercitationem, qua multum defatigantur, auerſari ſolent. Voraciores ſunt. Si malum inualuit, ſaepe oſſa, frequentius

digitorum manuum pedumque vitiantur, orta in iis ſpina ventoſa. Superuenire tandem ſolet febris hectica cum ſumma atrophia, qua confecti emaciatique exſtinguuntur. Plures, ſuperato circiter decimo aetatis anno, conualeſcunt, detumeſcentibus etiam pedetentim oſſibus. Oſſa etiam vitiata interdum ab integris ſquamae in modum ſecedunt, ita vt vlcera glutinari poſſint. In demortuorum cadaueribus omnia fere viſcera, praecipue hepar, ſolito maiora eſſe ſolent, ſed valde laxa. Pancreas ſaepe ſcirrhoſum. Glandulae meſaraicae tumidae et ſcirrhoſae, pulmones ſcirrhoſi et muco pleni. Recentiores teſtantur, etiam medullam ſpinalem plerumque eſſe induratam.

§. 703.

Quod ad cauſſam attinet, tales infantes non tam facile a robuſtioribus et agreſtibus hominibus, quam a laute viventibus, imbecillisque et vrbanis gignuntur. A parentibus nimirum, qui ſe quoque quotidie multa calida, addito ſaccharo, ingurgitant, qui vario cibo, nulla vero corporis exercitatione vtuntur, qui Venere, morbis venereis, frequenti maxime gonorrhoea, aliis morbis exhauſti multumque infirmati ſunt. Si parentes etiam boni ſunt et talis nutrix eſt, vel ſi haec morbo venereo laborat, ſi in ea ſcabies aliaque ſimilia vitia male et reprimentibus curata fuerunt, infantes rhachitici fiunt. Plurimum etiam confert victus matris grauidae. Natis infantibus plurimum nocet et eos huic morbo obnoxios reddit, praeter vitioſum lac, alius victus crudus, pultes ſpiſſiores, legumina, carnes tenaciores, prae ceteris omnibus potus nocturnus frigidae et aceſcentis cereuiſiae. Plurimum confert neglecta mundities, et ſi diutius in linteis vrina ſordibusque madentibus iacent. Aër paludoſus, refrigeria, inprimis partibus inferioribus admiſſa, dum infantes diutius in ſedecula familiaria relinquuntur. Vermes infantes, quamdiu lacte alun-

tur

tur, raro vexare ſolent, poſt vero hunc morbum vel efficiunt, vel multum exaſperant. Id quod etiam de infinitis aliis occaſionibus, de difficili dentitione, de tinea, cruſta lactea, aliisque vitiis, praecipue male et reprimentibus curatis, tenendum eſt. Nec omittenda ſunt ſpecifica antepileptica, plerumque ex efficacioribus adſtringentibus compoſita, quae ſaepe hanc labem intuliſſe viſa ſunt.

§. 704.

Huius itaque atrocis morbi cauſſa proxima quaerenda eſt in vitiata nutritione. Haec proficiſcitur partim ab imbecillitate omnium fibrarum, quas partes ſolidae, et inter has praecipue viſcera habent, quae impedit, quo minus corporis humida recte poſſint concoqui; partim vero cauſſa illa petenda eſt a vitiatis humoribus lymphaticis, inprimis quibus ob id ſolidae partes nec recte ali, nec ad legitimum robur perduci queunt. Ex his cauſſis laborare inprimis ſolent glandulae lymphaticae, in quibus a lentore infarctus fiunt. Praecipue malum increſcit, ſi hoc accidit glandulis meſenterii, quae ſi ſcirrhoſae factae ſunt, id quod plerumque accidit, chylum, quo minus ad ciſternam lumbarem per lactea fluere poſſit, prohibent. Quare etiam tales pueri tandem coeliaca ſeu deiectione chyloſa laborant. Dum vero nouus humor ſanguini non adfunditur, is corrumpitur et acrior fit, adeo vt oſſium etiam cauernoſorum rariorumque medulla vitium contrahat, vnde naſcitur παραθαρθροκακὴ. Quia etiam partes nutrientes deficiunt, et humores vitiati viſcerum imbecilliorum actione non recte elaborantur, oſſa fiunt molliora et cerae inſtar flexibilia, quare, quamuis oſſa magis, quam ceterae partes, increſcunt, imo circa epiphyſes intumeſcunt, illa tamen a contractis emaciatisque muſculis flectuntur conuertunturque. Spina dorſi, ex eiusmodi oſſibus compoſita, et ligamenta habens etiam infirma et laxa, a mole grandioris capitis

premitur, et ſuo vario corporis flexu dataque alia occaſione facile diſtorquetur.

§. 705.

Morbus hic grauis eſt, qui ſi inualuit, difficilius et vix non ſemper melius, obſeruata victus et omnium rerum non-naturalium ratione, quam medicamentis, expugnatur. Facilius curantur pueri, quibus hoc vitium a vitiato lacte et malo victu ortum eſt, quam qui hoc a parentibus acceperunt. Difficultas augetur, ſi parentes occultis morbis venereis laborant; vbi febris hectica et frequentior deiectio chyloſa ſuperueniunt, mors in propinquo eſt.

§. 706.

In curatione conſiderari debet morbus, cuius diuerſi gradus ſunt. Nam vbi puerum iam ſumma macies et febricula tenet, vbi abdomen valde durum eſt, et vbi accedit coeliaca, nihil moliri oportet, ad minimum medicamentis, ne Medicus, quem ſeruare nequit, occidiſſe videatur. Ab initio vero morbi repurgandae ſunt primae viae a ſordibus, et videndum eſt, vt viſceribus robur reddatur. Inter euacuantia nonnumquam multum boni praeſtare poteſt, ſi vires illud permittunt, radix Ipecacuanhae, cuius aliquot grana potui Caffée vel Succolatae commode admiſceri poſſunt. Si tali emetico multa pituita exturbatur, illud repetendum eſt, interpoſitis aliquot diebus. Non alienum eſt Oxymel ſqu illiticum, quod interdum propinari poteſt ad drachm. j. vel iij. quod commode admiſcetur Syrupo. Inter laxantia optimum eſt Rhabarbarum, cui tamen aliquando aliquot grana Mercurii dulcis admiſceri poſſunt. Vbi Mercurius datur, ab omnibus Salibus et aceſcentibus abſtinendum eſt. Rhabarbaro admiſceri poteſt Nitrum, Arcanum duplicatum, Sal catharcticus. Quales Sales etiam cum Cereuiſia exhiberi

beri possunt. His autem omnibus diu insistendum est. Non alienae sunt pilulae Stahlianae, quae cum pulte offerri possunt.

§. 707.

Roborandis visceribus nihil magis inseruit, quam victus et corporis exercitatio. Nam Martialia aliaque roborantia vix tenerioribus visceribus opportuna sunt. Vesci itaque debent pueri pane bis cocto, semine Foeniculi, Anisi, Petroselini, Cinnamomo, Cardamomo, Nuce myristica, pauco Croco condito. Aromatibus etiam similibus conspergendae sunt carnes, quas assas esse confert, raro vero elixas. Nocentissima sunt omnia glutinosa, gelatinosa et iurulenta, nec non omnia acescentia et quae ex farina et butyro pasta sunt. Alienum quoque est lac. Potioni apta est cereuisia multo lupulo condita, meracior, qualis est Brunswicensis et Martisburgensis. Nocentissima est acescens et tenuis. Haec vltima praestantior est aqua fontana vel sola, vel cum semine Foeniculi, Anisi aut Cornu Cerui decocta. Cereuisia etiam melior redditur, si ei tempore fermentationis radix Ari, Leuistici, herba Absynthii, Melissae, Betonicae, Ceterach et alia adiiciuntur. Dari potest interdum vinum, sed paucum atque meracum, edentulum, dulce. Aëris etiam ratio habenda est, quem serenum, purum, montanum esse confert. Nihil magis nocet, quam somnus in conclauibus arctioribus, si plures in eodem conclaui decumbunt, et si mundities negligitur. Plures etiam suadent decubitum super herbas fragrantiores, herbam Betonicae, Artemisiae, Lauendulae, Serpilli, Rorismarini, Pulegii, Melissae, Maioranae. Plurimum extollunt balnea frigida roborandis partibus externis, lubricandis visceribus idonea. Balnea calida nimium debilitant; noui tamen exemplum, vbi puer rhachiticus ex vsu externo Thermarum Aquisgranensium, facta copiosissimae et tenacissimae pituitae per aluum excretione, conualuit. Cum

balneis plurimum proficiunt frictiones mediantibus pannis atque linteis aſperioribus, vel pannis laneis. Panni illi excipiunt fumum ex Styrace, Thure, Maſtiche, Benzoë, pauperibus ex baccis Iuniperi. Veſtibus induantur pueri laneis, germ. *Flanell*, etiam his ſuffimigiis imbutis. Nihil praeſtantius eſt, quam frequens corporis exercitatio. Plurimum nocet praematurum et nimium litterarum ſtudium, in quod tales pueri ſaepe procliuiores ſunt, quippe qui natura ſunt prudentiores intelligentioresque.

DE MARCORE SENVM ET REGIMINE ILLORVM.

§. 708.

Pluribus morbis ſenes obnoxios eſſe, docuit Pathologia, et iam animaduertit HIPPOCRATES. Tollitur enim in his vel imminuitur pedetentim illud aequilibrium, quod inter partes ſolidas fluidasque eſſe ſolet, a quarum mutuo renixu vita noſtra pendet. Partes enim ſolidae magis et magis denſantur augenturque; minora et ſubtiliſſimum humorem recipientia vaſcula, tam numero, quam diametro ſeu capacitate minuuntur, vnde tandem fit in omnibus partibus maior rigor et validior renixus, cordis motui reſiſtens. Ab hac re vix non omnia incommoda ſenum proficiſcuntur. Humores fiunt lenti, quippe qui a viſceribus non recte elaborantur, et a quibus humores inutiles non recte excernuntur. Ipſa etiam cutis arida et adſtricta, quare multum cohibetur inſenſibilis exſpiratio. Humor, per cutim exire ſolitus, fertur ad alia loca; ad pectus, et naſcitur tuſſis, aſthma

asthma humidum; ad fauces, membranam pituitariam et ad ipsum cerebrum, quippe quod, a nulla re compressum, exsuperantem in corpore humorem facile recipere potest. Vnde senibus frequens est apoplexia, et qui gradu differunt, affectus soporosi. Plurimum confert, si senes victum non mutant, repletione, ebriositate nimiaque quiete, cruditates in corpore augent, vel si illi corpus Venere, curis aliisque nimium infirmant.

§. 709.

Senes itaque debent sibi multum a victu detrahere, non alio cibo vti, quam qui facile concoquitur, corporis exercitationem, quamuis propter senilem rigorem illa non sine molestia sit, minime negligere, aluum subinde lenioribus catharcticis ducere, inter quae pilulae Becheri, nisi has mictus cruentus et haemorrhoidum molimina prohibeant, optimae sunt, quibus subinde Extractum panchymagogum vel Mercurius dulcis ad excutiendam pituitam adiici possunt. Potione vtantur paullo meraciore. Vinum recte lac senum esse dicitur. Nocentissimum est vinum adustum, quod rigorem multum auget. Degant in aëre sereno, corpus contra frigus muniant. Necesse est, vt senes sibi nihil de somno detrahant, sed vt diutius in lectulo maneant, quo cutis molliatur et iuuetur exspiratio. Nec a somno meridiano prohibendi sunt. Sanguinis missio, si illi adsueti sunt, minime negligenda, pedetentim vero minuenda est sanguinis educendi quantitas. Senibus propter impeditam exspirationem frequentes sunt diarrhoeae, maxime si facta fuit ex nimio cibo repletio; illae nullo modo turbandae sunt. Pestifera est senibus Venus, maxime ea, ad quam non residuo corporis robore, sed stolida phantasia excitantur. Nec sine periculo est ebrietas. Omnia remedia prophylactica, spirituosa, sic dicta balsama vitae, aromatica, aliena esse arbitror. Dari possunt interdum emulsiones, Sales neutrius generis et supra laudata laxantia.

§. 710.

Senes tandem exſtinguuntur febricula, quam marcorem ſeu maraſmum ſenilem vocamus. Naſcitur ex ſupra adductis cauſſis, et ſi a lentore humorum, turbatis omnibus ſe- et excretionibus ipſaque nutritione, infarctus fiunt in viſceribus aliisque corporis partibus. Eſſe ſolet haec febricula cum magna imbecillitate, corporis tabe, febriculae illi ſimilis, qua hectici laborant. Saliua glutinoſa eſt, lingua pituitoſa, cutis arida, extrema rigida, frigida, ſaepe contracta ſunt. His parum valet medicina. Mitiganda ſunt ſymptomata. Si aluus non reſpondet, ducenda eſt lotione emolliente, eaque benigna. Dari poſſunt emulſiones cum aquis analepticis, addito, ſi aeſtus vrget, pauxillo Nitri. Proſunt Gelatinae ſuccis acidis imbutae, Syrupi officinales, hauſtus vini generoſi. Si corporis exercitationem ferre nequeunt, vtendum eſt geſtatione et vectura in aëre ſereno. De Apoplexia aliisque ſenum morbis iam alibi dictum fuit.

FINIS.

FOR-

FORMVLAE.

Ad §. 61.

Infuſum.

℞. Vini emet. l. Infuſ. vitri ℥ii ℥j.
Oxym. ſquillit. ʒiij.
D. pro doſi.

℞. ♆ri emet. gr. iij.
♆ri ☉ lat. ℈j.
M. D. pro vna doſi.

℞. Rad. Ipecacuanh. ℥ſſ. l. ℈ij.
Conſeru. flor. Perſic. ℥ſſ. l. ℈ij.
Syrup. de Cichor. c. Rhab. q. s.
M. F. Bolus.

℞. Rad. Ipecacuanh. ℈j.
♆ri emet. gr. j.
M. F. Pulv.

℞. Rad. Ipecacuanh. ℈jv. l. ℥j.
Vini Rhenan. ℥ij.
Sacchari ℥ß.
Infuſa ſtent per noctem. D. altero die pro doſi.

Ad

Ad §. 63.

℞. Rad. Gentian. rubr.
Vincetox. l.
Pimpin. albae ana ʒiij.
Herb. Abſynth.
Rutae l. Fumar. ana Mj.
Summit. Cent. min. Mj ſ.
Flaued. Cort. ⊙rant. recent.
raſp. n. j. l. ij.
Rhabarb. opt. ʒij. l. ʒiſſ.
Fol. Senn. ſ. ſ. ʒſ.
Fibr. Hellebor. nigr. ʒij.
⊖is catharct. ʒj.
M. C. C. F. Spec. pro nodulo. D. in Cilicio. S. *Species zu einem Kräuterwein früh* ʒij. *zu nehmen.* Vinum adhib. Rhenanum l. Franconicum.

℞. Rhab. optim. gr. xxv.
♆ri ♆riſat. ℈ſ.
M. F. Pulv. div. in 2. partes. S. *Eines früh, das andere Abends zu nehmen.*

℞. Rhab. optim. ʒiij.
Liqv. ♅ae fol. ♆ri. ʒj.
▽ae flor. Acaciae ʒiv.
Dig. leni calore per horam dimid. exprime et filtra.
D. pro doſi ʒſ. *oder ein Löffel voll.*

℞. Rhabarb. optim. ʒſ.
⊖is ♆ri ʒiſſ.
▽ae Cichor. ʒv.
S. vt ſupra. D. poteſt ad 180. gtt. pro doſi.

℞. Extract. Rhab. aquoſ. ʒiij.
Liqu. ♅ae fol. ♆ri ʒj.
M. D. S. vt ſupra.

Potio

Potio antiphlogiſtica, in febribus acutis.

℞. Pulp. Tamarind. ℥ß.
Crem. ♆ri. ℥j.
Paſſul. min. ℥iß.
Fol. Senn. ſ. ſ. ℈ij.
C. C. coqu. in ſ. q. ▽ae font. vel Seri lactis in
Colatura ſolue
Mann. Calabr. recent. ℥j.
c. pauxillo Sacch. ℞i del Cedro gtt. ij.
D.

℞. Cremor. ♆ri ℥iß.
Mann. Calabr. ℥ij.
M. coqv. in ſ. q. ▽ae font. adde
Syrup. Roſar. pallid. ℥j.
℞ Cort. ☉rant. gtt. ij.
M. D.

Ad §. 64.

℞. Spec. emoll. ℥iij. l. Decoct. Chamom.
l. Decoct. auenae excortic.
Sem. Carui contuſ. ℥vj.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font.

℞. Colat. ℥x. l. libr. j. adde
Mellis ſimpl. l. anthoſat.
℞i recent. Oliv. ana ℥j.
⊖is comm. ℥iß.
M. F. Clyſter. D. adpl.

Clyſter in febribus inflammatoriis.

℞. Decoct. Hordei ℥viij.
☾tri depurat. ℥ij.
+ti commun.
Syrup. de Cichor. c. Rhab. ana ℥j.
F. Clyſter, haud calidus, ſed tepidus admouendus.

Ad

Ad §. 76.

℞. Cort. Peruv. opt. ℥j.
℣ae Ceraſ. ℥iſſ.
Syrup. Cort. ⊙rant. ℥iij.
M. F. Hauſtus pro vna doſi.

℞. Conſerv. viſceral.
Roſar. antiqv. ana ℥vj.
Cort. Peruv. opt. ℥j.
Syrup. Cort. ⊙rant. q. s.
M. F. Electuar. D. ad Fictile, S. *alle 4. Stunden einer Kaſtanie groß zu nehmen.*

℞. Roob Sambuci
Cort. Peruv. ana ℥j.
Extr. Cent. min. aquoſ. ℥j.
Syrup. V. Rad. aper. q. s.
M. D. S. vt ſupra.

℞. Cort. Peruv. ℥j.
♁is ☿ri ℥iſſ. adfunde
Vini Rhenani et ℣ae ana ℥viij.
Diger. leni calore per noctem,
adde
Syrup. Cort. ⊙rant. ℥vj. l. ℥j.
Cuius infuſi D. tertia vel quarta quaque hora ℥iſſ pro adulto.

Clyſter pro homine adulto.

℞. Cort. Peruv. ℥j.
Groſſo modo puluerif. bulliat in ℣ae font libr. j. D. pro Enemate, praemiſſa prius lotione aluum ducente.

Ad

Ad §. 79.

℞. Ceraſ. ſucculent. q. v.
Coqv. in ▽ae q. s.
Colat. adde ℥j. vini Rhenan. ad ℥xij. Colaturae.
NB. Eadem vini proportio ad Decoct. panis.

Potio in febribus intermittentibus.

℞. Chin. ponderoſ. ℥ß.
Cort. Caſſ. lign. verae ʒß.
M. C. coqv. c. Menſ. iij. ▽ae font. ad remanentiam duarum tertiarum D. S. *zum ordentlichen Trank.*

Ad §. 83.

Pro homine robuſto, viſcido laborante.

℞. ♆ri ♁-lati ʒiß.
Conch. ſ. △e ppt. ʒj.
☾tri depurat. ʒß.
M. F. Pulv. div. in 6. partes. D. S. *den guten Tag über alle* 3. *Stunden eins zu nehmen.*

Ad §. 85.

℞. Empl. de Cumino
Tacamahaca ana q. s.
Malaxentur addito Balſamo Peruuiano ad ʒiß. Ducatur ſuper alutam, adſperge &c i deſt. Macis, Abſynthii, Maioran. ana gtt. X.
D. S. *Pflaſter auf die Gegend des Magens zu legen.*

Ad

Ad §. 86.

℞. ℣ae Ceraſ. nigr. ℥viij.
Cinnam. cydon. ℥j.
Syrup. rubi idaei ℥iſſ. l. ℥ij.
l. Ribeſ. l. Granat.
Succus ♃ris per campan. gtt. xv. pro ſapore.
Dari poteſt altera quaque hora ad ℥iſſ.

℞. Decoct. Hordei libr. j.
Syrup. Ceraſ. acidor. ℥ij.
Tinct. flor. Bellid. ℥iij.
M. D. S. vt ſupra.

℞. Decoct. Scorzon. libr. j.
Roob. Ceraſ. acid. ℥ij.
Syrup. acetoſ. Citri ℥j.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 88.

℞. ℣ae flor. Sambuc.
Til. ana ℥iij.
Sem. Papav. alb.
Card. Mariae
Amygd. dulc. ana ℥ij.
M. F. l. a. Emulſio, adde
Matr. Perl. ℥j.
☋tri depurat. ℥ſſ.
Sacch. q. s.
M. D. S. *Alle 2. Stunden ein halb Theeköpfgen voll zu nehmen.*

Ad

Ad §. 90.

℞. ▽ae flor. Sambuc. ℥iv.
Specif. cephal. Michael.
Pulv. bezoard. Angl. ana ℈j.
Lap. 69. ppt. ℈ij.
Syrup. papav. rhoead. ℥iß.
M. D. S. *Einem Erwachſenen alle* 2. *Stunden ein paar Löffel voll, einem Kinde einen Löffel voll.*

℞. Liqv. anodyn. min. H. ℥iß.
Tinct. Corall.
⏝tus bezoard. Buſſi ana ℥ß.
M. D. S. *In gebrannten Waſſer oder Thée* 25. *Tropfen zu nehmeu.*

Ad §. 91.

℞. Corall. rubr. ppt.
Spec. de Hyacinth. ana ℈ij.
☾tri depur. ℈j.
M. F. Pulv. diuid. in 5. partes. D. S. *alle* 2-3. *Stunden eins zu nehmen.*

℞. ▽ae Ceraſ. nigr. ℥vj.
+ti vini ℥ß.
M. D. S. *Waſſer, worinnen das Pulver zu nehmen.*

Ad §. 92.

℞. ▽ae Meliff. ſ. v.
Cort. ☉rant. ana ℥ij.
Diaſcord. Fracaſtor. ℥iß.
M. D. S. *Alle* 2-3. *Stunden ein paar Löffel voll.* (Ceſſante diarrhoea ſeponatur hoc quoque medicamentum.)

Clyſter anodynus in diarrhoea proficiens.

℞. Lact. calid. l. Decoct. auenae excortic. ℥iv.
Theriac. Androm. ʒſſ. l. ʒvj.
M. F. Enema, adplic.
Theriacae ℈ſſ. l. gr. xv. repetitis vicibus dari poſſunt.

Ad §. 102.

℞. Conch. ſ. △e ppt.
Lap. 69 c. +do Citri.
☾tri depurat.
☿ii diaphoret. ana ℈j.
Arcan. dupl. ʒſſ.
℥℥is ☿ii ppt. ℈ſſ.
M. F. Pulv. div. in 7. partes. D. S. *Alle 3. Stunden eins zu nehmen.*

℞. ▽ae Cerae. ℥vj.
Liqv. ▽ae fol. ♀ri. ℥ſſ.
Syrup. Cort. ☉rant. ℥ij.
M. D. S. *Alle 2. Stunden ein halb Théeköpfgen voll zu nehmen.*

Ad §. 103.

Contra bilis vitium.

℞. Crem. ♀ri.
Lap. 69 c. +do Citri
Conch. ſ. △e ppt. ana ℈j.
☾ depurat. ℈ij.
M. F. Pulv. div. in 4. partes. Capiat aeger vnum, altera vel tertia quaque hora.

In Acido praedominante.

℞. Magnes. albae
℈is catharct. Angl. ana ʒj.
℄tri depurat. ʒß
M. F. Pulv. div. in 6. partes. D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden eines in Waſſer zu nehmen.*

In viſcido.

℞. ♆ri ☉ lat. ʒj.
℄tri depurat. ʒß.
M. F. Pulv. div. in 3. partes. D. S. vt ſupra.

Ad §. 105.

Rhab. c. ♆o♆riſat. die intercalari ſaepius ſumtum febres pellit, e. g.
℞. Medull. Rhab. opt. ℈ß. l. gr. xxv.
℈is catharct. ℈ß l. Crem. ♆ri.
M. F. Pulv. div. in 2. part. aequal. D. S. *Eins bey dem Schlafengehen, das andere früh zu nehmen.*

℞. Gumm. ammon,
Hederae
Iuniperi, ana ℈ß.
Myrrhae
Extr. Hellebor. nigr. ana ℈j.
Card. bened.
Cent. min.
Aloes gummoſ. ana ʒj.
M. F. c. Elixir. Propr. ſine ✝do Pilulae, ex ℈j no. 20. Doſis eſt 18 vel 20.

Ad §. 107.

℞. Pulv. Birkmanni ℥iſſ.
Sem. Foenicul.
Aniſi. ana ℥iij.
Coriandri ℥j.
Cort. ⊙rant. rec. raſp. no j.
Sacch. roſat. ℥j.
M. F. groſſo modo Pulv. l. Tragea, D. ad Scatulam, capiat aeger horis matutinis et ante prandium ℥j.

℞. Cort. Peruv. ℥iv.
Limat. ☿tis purae ℥j.
Adfunde Vini Rhenan. meracioris ℥xvj. bibat aeger ieiuno ventriculo bis l. ter per diem ℥iſſ.

Ad §. 110.

℞. ♍ae deſt. ℥viij.
Liqv. ♎ae fol. ♆ri ℥j. cui addi poteſt
Tinct. Corall. ℥ij.
M. D.

℞. MP. Stahl. l. alius cuiusd. ℈j.
♆ri ♆riſat. ℈ſſ.
☾ depurat. gr. v.
M. Solv. in ſ. q. ♍ae deſt. vel. Meliſſae ſ. v.
D. S. *auf einmahl zu nehmen.*

Ad

Ad §. 115.

Infuſum pro corpore raro, vt vulgo vocant phlegmatico, in quo viſcidum abundat.

℞. Rad. Ari
Pimpin. alb.
Bryon. ana ℥ſſ.
Summit. Abſynth.
Cent. min. ana Mij.
Bacc. Lauri
Cort. Winteran. ana ℥ij.
Rhab. opt. elect. ℥iſſ.
Fol. Sennae ℥j.
Agaric. in petia ligati ℥iſſ.
⊖is ☿ri ℥ſſ.
M. C. C. F. Spec. D. in cilicio pro ♈ae lib. ſſ. et Vin. Rhenani vel Francon. libr. ij.

Infuſum pro corpore magis mobili.

℞. Rad. Gentian. rubr.
Vincetox. ana ℥iij.
Hb. Card. bened.
Fumar.
Trifol. fibrin. ana Mjſſ.
Cort. flaui mali ⊙rant. rec. raſp. no. j.
Sem. Foenicul.
Cinnamom. ana ℥iſſ.
Rhabarb. optim.
Polypod. quern.
Fol. Senn. ſ. ſ. ana ℥j.
Fibr. Hellebor. nigr. ℥ij.
⊖is Thermar. l. ⊖is catharct. Angl. ℥vj.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 116.

℞. Rad. Saſſaparil.
Gramin.
Raſ. C. C. ana ℥iſſ.
Rad. Cichorei ℥vj.
Sem. Foenicul.
Cort. Ligni Saſſafr. ana ℥ij.
M. C. C. F. Spec. coqv. ℥j. ex ▽ae font. lib. iij. per dimid. hor. Colat. depurat. D. S. pro potu ordinario.

℞. Rad. Saſſaparil.
Chin. ponderoſ. ana ℥iſſ.
Glycyrrh. ℥j.
Vincetox. ℥ſſ.
Sem. Aniſi.
Ligni Saſſafr. ana ℥ij.
M. C. C. F. Spec. D. S. vt ſupra. NB. Si aluus ſicca ſit, his decoctis adiiciatur hordeum, quod apud pauperes loco Scorzon. ſubſtitui poteſt.

Ad §. 119.

Elixir ſtomach. ad method. Hoffm.

℞. Extr. Abſynth.
Cent. min.
Cort. ☉rant. rec. raſp.
Peruv. ana ℥ſſ.
Myrrhae ℥iſſ.
Croci oriental.
♎is ♆ri ana ℥j.
M. adfunde Vini generoſi Canarienſ. libr. j. Coqv. leni igne arenae, vaſe clauſo, et poſt ſufficientem ſolutionem decanta. D. ex vino LXXXX-C. gtt.

Ad

Ad §. 123.

℞. Medull. Rhabarb. gr. xv.
Matr. Perlar. ppt. gr. v.
☾tri depurat. gr. ij.
M. F. Pulv. Detur in triplo, capiat aeger tertia quaque hora vnum.

℞. Tamarind. ℥ij. l. ℥iiij.
Rhabarb. opt. ℥iß.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font. in Colat. ſolue.
Mann. Calabr. rec. elect. ℥iß.
Depur. adde c. pauxillo Sacch. ℈i deſt. Rutae gtt. ij.
M. F. Apozema. D. S. *Laxiertrank auf einmal zu nehmen.*

℞. Corall. rubr. c. ☩do Citri ppt.
Mandib. Lucii piſcis ppt. ana ℈ij.
☾tri depurat. ℈j.
Pulv. bezoard. Angl. ʒß.
℥℥is ♁ii ppt. ℈ß.
M. F. Pulv. diuid. in 7. partes. Capiat aeger altera vel tertia quaque hora vnum ex Ptiſana vel ▽a deſt. quadam.

Ad §. 127.

℞. Lap. 69. c. ☩do Citri.
♁ii diaphor. rec. ana ʒß.
☾tri depur. gr. xv.
℥℥is ♁ii ppt. gr. v.
M. F. Pulv. div. in 4. partes. D. tertia quaque hora vnus ex ▽a fl. Sambuci l. ſimpl.

℞. ♈ae flor. Sambuc.
Ceraſor. nigr. ana ℥iij.
Lap. 69. c. + do Citri.
Mandib. Lucii piſcis ppt. ana ℈ij.
Pulv. bezoard. Angl. ʒſ.
℥℥is ♉ii ppt. ℈ſ.
Liqv. ♒ae fol. ♆ri ʒvj.
Syrup. de Althaea vel Papav. alb. ʒij.
M. D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden ein klein Théeköpfgen voll zu nehmen.*

Ad §. 128.

℞. Rad. Scorzon.
Saſſaparil. ana ʒiij.
Herb. Beton.
Veron.
Salv. ana Mſ.
Sem. Aniſi ſtellati ʒiſ.
M. C. C. F. Spec. D. S. *Kräuterthée.* Dari poteſt infuſum cum Syrup. Capillor. Veneris.

℞. Eſſent. Glycyrrh. ʒij.
Pimpin. alb.
♌tus ♎is ammon. ana ʒj.
M. D. S. 40. *Tropfen in Kräuterthée zu nehmen.*

℞. Syrup. de Alth. Fenel.
♍ei Amygdal. dulc. recent. ana ʒſ.
Sperm. Ceti recent. ʒij.
Croci oriental. gr. vj.
♍i deſt. Aniſi
Macis ana gtt. v.
M. D. S. *Dann und wann ein Coffeelöffel voll.*

℞

℞. ℔ei Amygdal. dulc. rec. ſ. ▽e expr. ℥iſſ.
Croci oriental. ℈ſſ.
℔ei deſt. Foenicul. gt. viij.
Sacchar. Canar. q. s.
M. F. Eleoſaccharum, D. S. vt ſupra.

Ad §. 135.

℞. Lap. 69.
Mand. Lucii piſcis ppt. ana ℈ij.
Pulv. bezoard. Sennerti ℈j.
M. Div. in 5. partes. D. altera quaque hora doſis ex ▽is deſtill. ſeqq.

℞. ▽ae flor. Camb.
Ceraſor. ana ℥iij.
Succi Citri rec. ℥j.
M. D. S. *Waſſer, aus welchen die Pulver zu nehmen.*

Vel

℞. Matr. Perlar. ppt.
Mand. Lucii piſc. ppt. ana. gr. xv.
Succ. Citr. rec. ℥iſſ.
▽ae Ceraſ. nigr. ℥iſſ.
M. F. Hauſtus D. pro doſi, et repeti poteſt tertia quaque hora.

Ad §. 138.

℞. Decoct. auen. excortic. ℥x.
Oxym. ſquill. ℥ſſ. l. j.
℔ei Amygdal. dulc. vel Aniſi recent. ℥j.
Citri depur. ℥j.
M. F. Clyſter pro ſoluenda aluo.

℞. ♈ae Meliſſae ſine vino
Cort. ☉rant. ana ℥ij.
Diaſcord. Fracaſt. ℥ij.
M. D. S. *Alle Stunden im Anfang ein paar Löffel voll, darnach alle 2. Stunden zu nehmen* (donec diarrhoea ſe remittit).

Ad §. 140.

℞. ♃ti roſacei ℥ij.
Camph. in ♌tus Roſ. ſ. q. ſolut. ℨſſ.
♏i Ligni Rhodii gtt. xv.
M. et eo madefiant linteola fronti applicanda.

Ad §. 145.

℞. Tamarind. ℥ſſ.
Crem. ♆ri ℥j.
Coqv. in ſ. q. Seri lactis, in Colatura ſolue Syrup. Roſar. pallid. ℥j. depur. adde ♏i del Credo Italici gtt. ij.
M. D. S. *Laxiertrank laulicht auf einmal zu nehmen.*

℞. Medull. Rhabarb. elect.
Conchar. ſ. ♎e ppt. ana ℈ſſ.
♁tri depur. gr. v.
M. F. Pulv. D. in 4. vel 6plo. Capiat aeger vnum altera quaque hora, donec aluus ſoluitur.

Iulapium analepticum.

℞. ♈ae Ceraſ. nigr. ℥viij.
Cinnamom. cydon. ℥j.
Syr. Rubi Idaei ℥iſſ.
Clyſſ. ♃nii q. s. pro ſapore.
M. D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden ein paar Löffel.*

℞.

℞. Decoct. Hordei libr. j.
Syr. Ribes. ℥iij.
Confect. Alkerm. incompl. ℥ij.
Tinct. flor. Bellid. ℥j.
M. D. S. vt ſupra.

℞. Flor. Tunic. Mij. affunde
♈ae calidae purae fontan. Menſ. j.
Digere in vaſe clauſo per duas horas leni calore, adde Colaturae Syr. Berb. ℥ij.
♎tus ♑ris per campan. q. s. pro ſapore.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 170.

℞. Eſſ. alexipharm. Stahl. ℥iſſ.
Myrrh.
Croci ana ℥ſſ.
M. D. S. *Im Thée* 10-20-30 *Tropfen zu geben* (pro diuerſa aetate).

Ad §. 173.

℞. Ferment. panis ℥ij.
Sem. Sinapi contuſ. ℥ij.
♎is comm.
♃ti ana ℥iſſ.
M. et admoueatur plantis pedum.

℞. Decoct. Scorzon. libr. j.
Succi Citri recent.
Syrup. Ceraſ. acid. ana ℥iſſ.
♎tus ♁ li gtt. x. l. xv.
M. D. ℥j. pro Doſi.

℞.

℞. Decoct. Hordei libr. j.
Syr. Ribeſ. ℥iij.
Succ. tus ☾tri dulc. ℥j.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 174.

℞. ℔ei Amygdal. dulc. rec. ℥iſſ.
Sperm. Ceti ℥ſ.
Sacch. candi
Syrup. de Althaea ana ℥ſ.
Crocî oriental. gr. vj.
℔ei Ligni Rhod. gtt. viij.
M. F. Eleoſaccharum. S. *Zuweilen ein Coffeelöffel voll in den Mund zu geben.*

Ad §. 178.

Pro puero 5. annorum.

℞. Rhabarb. optim. gr. xv.
℥ii dulc. rite ppt. gr. ij.
Diagryd. ♃rat. gr. j.
Syr. Roſar. pallid. ℥iſſ.
♈ae Ceraſor. ℥vj.
M. F. Hauſtus, D. pro vna Doſi.

Ad §. 182.

℞. Extr. Cent. min. ex ſucco paratî
♓ae fol. ♆ri ana ℥ſ.
♈ae Meliſſ. ſ. v.
Cort. ☉rant. ana ℥iij.
Dig. l. c. per horam. D. S. *Täglich drey- oder viermal einen halben Löffel voll oder eine* ℥ſ.

Ad

Ad §. 168.

℞. Camphor. ʒß. Solue in
nitus Roſar. ʒiij. adde
+ti Roſar. ʒij.
Oei Lign. Rhodii gt. x.
M. D. S. *Aeuſſerlicher Umſchlag auf die Stirne zu legen.*

℞. Nucl. Perſicor.
Ceraſor.
Sem. Papau. alb. ana ʒij.
Terantur c. ſ. q. ▽ae Plantag. F. Emulſio ſpiſſa cui addatur
Camphor. c. Amygdal. dulc. contritae gr. v.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 190.

℞. Tamarind.
Herb. Acetoſ. rec. ana ʒij.
M. Coqv. in ſ. q. ▽ae font.

℞. Colatur. libr. j. adde
Oxymel. ʒj.
M. F. Clyſter pro homine adulto.
Vel
℞. ▽ae font. tepid. libr. j.
+ti vini
Mellis ana ʒj.
☾tri depurat. ʒiß.
M. F. Clyſter.

℞. Hord. excortic.
Tamarind. ana ʒj.
Herb. Acetoſ. rec. Miv.
Coqv. in ▽ae font Menſ. iv.

℞. Colat.

℞. Colat. libr. IV. adde
Roob. Ribes ℥ij.
☾tri depurat. ʒiſſ.
M. Capiat aeger pro lubitu.

℞. Decoct. Hord. libr. ij.
Roob. Ribeſ.
Sambuc. ana ℥iſſ.
♁is Prunell. ʒj.
♌tus ♃ris per campan. gtt. XV-XX.

Vel

℞. Seri Lactis rec. libr. ij.
Succi Citri ℥iſſ.
☾tri depurat. ʒj.
Sacchar. q. ſ. pro ſapore.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 198.

Epiſpaſticum.

℞. Ferment. Panis ☩di ℥iv.
Raphan. ruſt. rec. ℥iſſ.
Rad. Pyrethri
♁is ammon. ana ʒij.
☩ti q. s.
M. exacte, diuid. in part. aeqv. et admoueatur ſuris, plantis pedum, poplitibus, &c.

Ad §. 199.

℞. Rad. Gramin.
Scorzon. ana ℥ij.
Herb. Acetoſ. rec. Miij.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ♍ae font. per dimidium horae.

℞. Colat.

℞. Colat. libr. iij. adde
Roob Sambuc.
Ribeſ. ana ℥iſſ.
Syrup. acetoſ. Citri. ℥ij.
Citri depurat. ℥ij.
Cuius bibat aeger quantum placet, vt corpus hydropicum fere fiat.

℞. Decoct. Hordei libr. ſ.
Sem. Papav. alb.
Card. Mar.
Amygdal. dulc. rec. excort. ana ℥iſſ.
M. F. Emulſio, adde
Citri depurat. ℥j.
Iulap. Roſar. ℥v.
M. D. ℥j. circiter altera quaque hora.

Ad §. 200.

℞. Decoct. Hordei libr. j.
Mellis
Syrup. Acetoſ. Citri ana ℥j.
Citri depurat. ℥j.
M. D. S. *Den Mund damit oft auszuſpülen.*

Ad §. 205.

℞. Rad. Altheae ℥ij.
Flor. Chamomill. Mij.
Fol. Peti ℥iſſ.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font.
℞. Colat. libr. j. adde
Electuar. Hierae picrae pro Clyſteribus.
Mellis anthoſati ana ℥ſſ.
Eis Gemmae ℥ij.
M. F. Clyſter.

℞. Tama-

℞. Tamarind. ℥iſſ.
Fol. Senn. ſ. ſ.
Crem. ☥ri ana ℥ij.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font.
adde Colaturae.
Syrup. Roſar. pallid. ℥j.
☾tri depur. ʒj.
M. D. S. *Laxiertrank auf einmal laulicht zu nehmen.*

Al.

℞. Mann. Calabr. ☥riſ. ℥iij.
Solv. et coqv. in Seri lactis libr. j.
Colat. adde
☾tri depurat. ʒiſſ.
♎ei del Cedro gtt. v.
M. D.

℞. Rad. Althaeae
Herb. Maluae
Parietar. ana Miſſ.
Capit. Papau. alb. c. ſemine no. iv.
M. C. C. coqv. in ▽ae fluv. Menſ. ij. per quadrantem horae.

℞. Colatur. libr. ij. adde
+ti ℥iſſ.
Syrup. de Althaea ℥iij.
☾tri depurat. ℥iſſ.
M. D. altera quoque hora ℥ij-iij.

℞. ▽ae flor. Sambuc. ℥viij.
Syrup. Violar. ℥iſſ.
∈is Prunell. ℥j.
M. D. Capiat aeger ℥j. vel ij. altera quaque hora.

℞. ▽ae

℞. ▽ae purae l. Decoct. Hordei libr. j.
+ti ℥iſſ.
(tri depurat. ℥iſſ.
M. D. Capiat aeger altera quaque hora ℥j-℥iſſ.

Ad §. 200.

℞. Rad. Altheae.
Biſtort. ana ℥j.
Herb. Saluiae.
Parietar. ana Mij.
M. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font.
℞. Colat. libr. j. adde
Roob Diamoron. ℥iſſ.
☾tri depurat. ℥j.
M. F. Gargariſma.

℞. Herb. Scabioſ.
Parietar. ana Miij.
M. Coqv. in ſ. q. ▽ae font. per quadrant. hor.
℞. Colat. libr. ij. adde
Mellis roſat.
Roob Diamoron ana ℥iſſ.
☾tri depurat. ℥ij.
M. F. Gargarisma.

℞. Iulap. Roſar. ℥j.
☾tri depurat. gr. xv.
⏑tus ☉li gtt. viij.
M. F. Linctus in ore detinendus.

℞. Mellis roſat. ℥j.
Roob Diamoron ℥ſſ.
⏑tus ♁is ℥ſſ. l. ℈ij.
M. Admoueatur leniter parti gangraena affectae mediante penicillo.

Ad §. 207.

Cataplaſma.

℞. Rad. Althaeae ℥iv.
Herb. Melilot.
Maluae.
Parietar. ana Miij.
Flor. Chamom.
Verbaſci ana Mij.
M. Coqv. in ſ. q. ▽ae fluuiatil. ad debitam conſiſt. ſub finem adde
Farin. Sem. Lin. ℥iv.
Nidor. hirund. no. ij.
℞ei Liliorum alb. q. s.
M. F. Cataplaſma.

Ad §. 208.

℞. Caricar. pingv. no. viij.
Flor. Verbaſci.
Papav. rhoead. ana. p. IV.
M. C. Coqv. in ▽ae font. libr. ij. per quadrantem horae.
℞. Colatur. libr. j. adde
Syr. de Althaea ℥j.
Mellis roſati ℥ß.
℄tri depurat. ℥ß.
M. F. Gargariſma.

Ad §. 210.

℞. Fol. Senn. ſ. ſ. ℥iij.
Crem. ♆ri ℥ij.
M. C. coqv. in s. q. ▽ae font. in Colat. ſolue
Mann. Calabr. rec. ℥iß.
Depur. addatur c. pauxillo Sacchari
℞ei del Cedro gt. iij.
M. D.

Ad

Ad §. 210.

℞. ▽ae purae font. tepid. ℥vj.
Syrup. de Althaea ℥iß.
Oxymel. ℥ß.
M. F. Clyſter, qui iterari debet poſt. 3. l. 4. horas.

Formula BOERHAAVII.

℞. Decoct. Hord. Menſ. ij.
Oxym. ℥iij.
(Ctri depurat. ℥ij.
M. Bibat aeger ſaepius ℥j. l. ij.

℞. Decoct. Hord. libr. iij.
Lap. Prunel. ℥iß.
Syrup. rad. 5. aperient. ℥iij.
Diacodii Montani ℥ß.
Bibat aeger quaque hora ℥ij. vel ℥iij.

℞. Rad. Foenicul.
Gramin.
Petroſelini ana ℥j.
Semin. Petroſelin.
Aniſi ana ℥ij.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae per quadrantem horae,
Colat. Menſ. ij. adde
Syr. 5. Rad. aperient. ℥iij.
Oxym. ſimpl. ℥j.
(Ctri depur. ℥j.
M. D. S. vt ſupra.

℞. Rad. Glycyrrh.
Polypod.
Gramin. ana ℥j.
M. C. coqv. c. Menſ. iij. ▽ae font. per quadrantem horae
Colat. Menſ. ij. adde
Syrup. Capill. Vener. Monſpel. ℥iij.
☾tri depurat. ℥j.
M. D. S. vt ſupra.

℞. ▽ae Scabioſ.
Flor. Tiliae ana ℥iv.
Sem. Card. Mar. ℥ſſ.
Papav. alb.
Amygdal. dulc. excort. ana ℥iij
M. F. Emulſio, adde
☾tri depur. ℥ſſ.
♆ii diaphor. ℈jv.
Syr. de Althaea ℥iij.
M. D. ℥j. omni bihorio.

℞. Cort. Caſcarill. ℈ſſ.
Conſerv. Roſar. antiqv. ℥ij.
Syr. Cort. ☉rant. q. s.
M. F. Bolus.

Ad §. 220.

℞. Eſſ. Glycyrrh. ℥iij.
Pimpin. alb.
Caſcarill. ana ℥j.
M. D. c. Infuſo calido 30-40. gtt.

℞. Rad.

℞. Rad. Glycyrrh.
Althaeae ana ℥j.
Gramin. ℥iß.
Caric. pingv. no. vj.
M. C. coqv. in ▽ae font. Menſ. iv. per quadrantem horae, ſub finem per octauam partem horae adde
Flor. Papav. rhoead. p. iij.
D. Colatura.

Linctus pro expectoratione.

℞. Syr. Capill. Vener.
℈ei Amygdal. dulc. rec. ſ. △e expreſſi ana ℥j.
Sperm. Ceti rec. ℥j.
Mellis ℥ß.
M. F. Linctus, cuius interdum capiat ℥j.-ij.
Ein oder zwey Coffeelöffel voll.

Ad §. 221.

℞. Herb. Parietar.
Maluae.
Melilot.
Hyoſcyami ana Mpj.
Flor. Sambuci.
Chamomil. ana Mp. iß.
Farinae Lini ℥j.
M. C. coqv. c. Lactis et ▽ae partibus aequalibus, et hoc decocto repleantur veſicae calidae,
F. Fomentum.

℞. Sacch. Saturni ℥ß.
+ti ℥vj.
℈ei roſati ℥j.
M. F. Vnguent. parti dolenti illiniendum.

Ad §. 225.

℞. Rad. Acetoſ. ℥ij.
Gramin. ℥j.
Herb. Acetoſell.
Agrimon. ana Miſſ.
M. C. coqv. c. ſ. q. ▽ae per quadrantem horae,
Colat. adde
Flor. Roſarum
Violar.
Bugloſſ. ana Mij.
Stent in digeſtione per octauam partem horae,
Colatur. recipe ℥iij. adde
Syrup. Moror.
Rad. v. aperient. ana ℥ij.
☾tri depur. ℥j.
M. D. quaque hora ℥ij. l. iij.

Ad §. 230.

℞. & ei Amygdal. dulc. ℥j.
Diacod. Montan. ℥ſſ.
Sperm. Ceti. ℈iſſ.
Sacch. Candi pulueriſ. q. s.
M. F. Linctus. D. eius ℥ſſ. pro doſi, repetatur omni hora.

Vel

℞. Conſerv. Roſar. antiqv. ℥j.
Cort. Caſcarill. ℥ſ.
Diaſcord. Fracaſt. ℥iſſ.
Syr. Cort. ☉rum q. s.
F. Electuarium. S. *Alle 2. 3. Stunden eine Kaſtanie groß zu nehmen.*

Ad §. 231.

℞. Sem. Hord.
Rad. Scorzon. ana ℥iij.
M. C. C. coqv. c. ▽ae font. Menſ. iv. per quadrant. horae;
℞. Colat. Menſ. ij. adde
Succi Citri rec. ℥j.
Roob Diamoron ℥ij.
Cꝛtri depur. ℥j.
M. F. Decoctum.

Vel

℞. Raſur. C. C.
Eboris.
Rad. Scorzon. ana ℥j.
Conc. coqv. in ▽ae font. Menſ. iij. ſub finem adde
Paſſul. min. Mij.
Sem. Foenicul. contuſ. ℥ij.
Flor. Papav. rhoead. p. iij.
Ebull. D. Colat. cui quoque addi poteſt Roob Diamoron, Succus Citri.

Ad §. 239.

Apozema laxans, quod, ne nauſeam moueat, per interualla ſumi poteſt.

℞. Tamarind. ℥j.
Paſſul. min. ℥ſſ.
M. C. coqv. in ſ. q. ▽ae flor. Acaciae vel etiam ▽ae font.
In Colatura ſolue
Mann. Calabr. ℥iſſ.
M. D. pro Doſi.

℞. Rad. Scorzon.
Glycyrrh. ana ℥j.
Herb. Acetoſ. rec. Mij.
Paſſul. min. Mj.
Caricar. pingv. no. v.
M. C. coque in ▽ae font. Menſ. iij. per quadrantem horae:
℞. Colat. libr. iij. adde
Syr. de Althaea l. Violarum l. Papaueris alb. ℥j.
℈ tri depur. ℈j.
M. D. S. *Alle Stunden ein Théeköpfgen voll zu nehmen.*

Ad §. 240.

℞. ▽ae Petroſelini ℥iv.
Millep. puluerif. ℥iß.
Coccionell. gr. xv.
Syr. v. Rad. aperient. vel de Althaea Fernel. ℥ij.
M. Capiat aeger quarta quaque hora quartam partem.

Emulſio.

℞. Decoct. Hord. libr. j.
Sem. Card. Mar.
Papav. alb. ana ℥iij.
rv. frigid. mai. ℥vj.
M. F. Emulſio, adde
Syrup. de Althaea ℥vj.
Capiat aeger omni bihorio ℥ij. circiter.

Ad §. 282.

℞. Medull. Rhabarb. elect. ℈ij.
Lap. 69 c. + do Citri ℥ß.
℈ tri depur. ℈ß.
M. F. Pulv. diuid. in 4. p. D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden eins mit Waſſer zu nehmen.*

Ad

Ad §. 286.

℞. Extr. Panchymag. Crollii ℈ß.
Syrii dulc. rite ppti gr. v.
Resin. Ialapp. gr. iij.
Diagryd. ♎rati gr. ij.
M. F. Pilulae no. xx. obd. fol. ☾ti.
D. S. *Auf einmal zu nehmen.*

℞. Rad. Aristol. rotund.
Vincetoxici.
Foenicul. ana ℥ß.
Herb. Melissae.
Card. bened. ana Mj.
M. C. coqv. in ▽ae font. ij.
℞. Colatur. libr. ij. adde
Syr. v. Rad. aperient. ℥j.
Bibat aegra bis per diem ℥iv. circiter.
(Omittendus est Syrupus, quando foeminae dulcia ferre nequeunt.)

℞. Rad. v. aperient. ℥ij.
▽ae fol. ♆ri ℥j.
Ebulliant per dimidium horae, in f. q. ▽ae, sub finem adde, vt leniter ebulliant,
Herbas (si fieri potest recentes)
Melissae
Veronicae ana Mij.
D. Colatura, cuius etiam bis per diem aliquot vncias bibat aegra.

Formula ſequens pertinet ad verba: per epicraſin purgantia.

℞. Rad. Ariſtoloch. rotund.
Pimpinell. alb. ana ℥ij.
Herb. Matricariae vel
Meliſſae Miſſ.
Summitat. Centaur. min.
Abſynth. ana Mj.
Cort. Winteran.
Bacc. Lauri ana ℥iſſ.
Rad. Bryoniae
Rhab. elect. ana ℥j.
Fol. Senn. ſ. f. ℥ſſ. l. ℥vj.
Agarici in petia ligati ℥j.
⊖is ♆ri ℥iij. vel ℥ſſ.

M. C. C. F Species pro nodulo, D. in Cilicio, quibus adfundatur ▽ae feruidae libra j. et poſt refrigerationem Vini meracioris libr. iv. vel Rhenani Miſſ.

Ad §. 295.

℞. Succin. ppt.
Caſtorei
☉tri depur. ana gr. v.
Corall. rubr. ppt. gr. xv.

M. F. Pulv. diuid. in 4. partes. S. *Alle Stunden eins zu nehmen.*

Ad §. 302.

℞. Eſſent. Cort. ⊙rant.
Abſynth.
Gentian. rubr.
Liqv. min. anod. Hoffm. ana ℥j.
Eſſent. Myrrhae ℥iſſ.

M. D. S. *Zuweilen einige Tropfen zu nehmen.*

℞. Boei

℞. ℥ei Amygdal. dulc. rec. ℥j.
Sperm. Ceti rec. ℥iſſ. l. ij.
Croci oriental. gr. vj. l. v.
℥ei deſt. Foenicul. gtt. x. l. viij.
M. D. tertia vel dimidia pars pro doſi et repetatur, donec lochia proueniant.

℞. ℥ei Verbaſci ℥iſſ.
deſt. Maioran.
Rutae.
Macis ana ℈ſſ.
M. Illiniatur abdomini.

Ad §. 303.

℞. ▽ae Meliſſ. ſ. v.
Ceraſor. nigr. ana ℥iij.
Lap. 69. +do Citri.
Matr. perlar. ppt. ana ℈ij.
℄tri depurat. ℈j.
℥℥is ♃ii ppt. gr. xv.
Syrup. Cort. ⊙rant. ℥iij.
M. D. S. *Alle zwey Stunden ein paar Löffel voll zu nehmen.*

℞. Lap. 69. c. +do Citri.
Matr. Perlar. ana ℈ij.
℄tri depur. gr. xij.
℥℥is ♃ii ppt. gr. viij.
M. F. Pulv. diuid. in 4. part. D. S. *Alle Stunden eins zu nehmen.*

Ad §. 310.

℞. Tamarind. ℥j.
Paſſul min. ℥ij.
Mann. Calabr. rec. ℥iſſ.
M. Coqv. c. ſ. q. Seri lactis D. Colat. prouna doſi.

Potio.

Potio.

℞. ♈ae Millefol. libr. j.
♎tri depur. ℥j.
Diacod. Montani ℥j.
M. D. ℥j-ij. pro doſi.

Ad §. 312.

℞. ♀ri ♁ lati groſſo modo puluerisſ, ℥j.
Lap. 69. c. ♃do Citri ♓ij.
♎tri depurat. ♓j.
M. F. Pulv. diuid. in 4. partes.

Ad §. 313.

℞. Limat. ♂tis purae ℥j.
Cort. Peruv. electſ. ℥ij.
M. F. Pulv. D. in Cilicio, cui affundatur Menſ. j.
Vini Rhenani meracioris.
Capiat aeger bis per diem ℥ij. circiter.

Ad §. 320.

Aluus ſoluenda &c.

℞. Tamarind. ℥ij.
Coqv· in Seri lactis libr. j. adde
Mann. Calabr. rec. ℥iſſ.
♎tri depurat. ℥j.
F. Clyſter, tepide immittatur in aluum.

Ad §. 331.

Compoſitio STAHLII.

℞. ♎tri depurat.
♀ri ♁ lat. ana ℥j.
℥℥is ppt. gr. xij.
M. F. Pulv. diuid. in 4. l. 6. partes, D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden eins in Waſſer zu nehmen, bis die Kopfſchmerzen nachlaſſen.*

Ad

Ad §. 335.

℞. Sacchari ℥ß.
Flor. Benzoes.
Rad. Ireos Florent. ana ʒß.
M. F. Pulv. D. S. *Schnupftoback.*

℞. Cort. Caſcarill.
Lap. 69. c. ℔do Citri ana ʒj.
M. F. Pulv. diuid. in 4. partes. D. S. *Alle 4. Stunden eins zu nehmen.*

℞. Conſerv. Roſar. antiqv. ℥j.
Cort. Caſcarill. ℔iſat. ʒij.
Syr. Papau. rhoead. q. s.
M. F. Electuarium.

℞. Conſerv. Fumar. ʒß.
Cort. Caſcarill. gr. xv.
Syr. Flor. Papav. rhoead. q. s.
M. F. Bolus.

Ad §. 336.

℞. Herb. Betonic. Mj.
Serpilli.
Maioran.
Meliſſ. ſ. Menthae ana Mß.
Flor. Anthos
Stoechad. Arab.
Lauendul. ana p. ij.
Lign. Rhodii.
Saſſafras ana ʒij.
M. C. F. Species pro Cucupha, conſperg. cum ℥ei Ligni Rhodii, ſ. Lauendul. gtt. x.

Ad

Ad §. 337.

℞. ☿ri ☉ lat. ʒiſs.
Conchar. ſ. △e ppt. ʒj.
☾tri depurat. ʒſs.
M. F. Pulv. diuid. in 6. partes. D. S. *Vormittags um* 10. *Nachmittags um* 4. *Uhr oder* 6. *eins zu nehmen.*

℞. Medull. Rhabarb. opt. gr. xxv.
☿ri ☿riſat. ʒſs.
M. F. Pulv. diuid. in aequales partes. D. S. *Beim Schlafengehen eins zu nehmen.*

In cruditatibus biliosis.

℞. Magneſ. alb. per calcin. ppt.
☿ri ☉ lati ana ʒj.
☾tri depurat. ʒſs.
M. F. Pulv. diuid. in 6. partes. D. S. *Alle* 2. *Stunden eins zu nehmen.*

Essentia carminatiua.

℞. Eſſent. Gentian. rubr.
Abſynth.
Cort. ☉rant. ana ʒj.
Cort. Caſcaril. ʒij.
M. D. S. *Magenessenz* 40-50 *Tropfen* pro doſi.

Elixir

Elixir ſtomach. HOFFMANNI.

℞. Cort. flav. rec. raſpat. fruct. ☉rant. ℥j.
Extr. Centaur. min.
Gentian. rubr.
Card. bened.
♁is ℏri ana ʒij.
M. exacte in mortario lapideo, ſub mixtione affunde
℈ei del Cedro gtt. xx.
Tandem affunde
Vini meracioris dulcis Canarienſis vel Hungar. libr. j.
Digere in balneo Mariae, decanta Liquorem
D. pro doſi 80-90-100 *Tropfen.*

℞. Empl. Oxycrocei
de Tacamah. ana ℥j.
Malax. c. ſ. q. Balſam. Peruv.
Ducatur. ſuper corium, conſperg. c.
℈ei Macis.
Caryophyll.
Maioran. ana gtt. vj-viij.
D. S. *Magenpflaſter.*

℞. ℈ei expreſſ. Nuciſtae ℥ſſ.
Balſam. Peruv. ʒſſ.
℈ei deſt. Caryophyll.
Cardamom.
Macis ana ℈ſſ.
M. F. Balſamum.

Ad §. 341.

℞. Conſerv. Fumar. ℈ij.
Aethiop. mineral. ℈ſſ.
Syr. Cort. ☉rant. q. ſ.
M. F. Bolus.

℞. Rad.

℞. Rad. Chin. ponderos.
Saſſaparill. ana ℥j.
Lign. Saſſafras.
Guaiaci ana ℥ſſ.
M. Coqv. per horam in ▽ae font. Menſ. iv. ſub finem adde
Rad. Polypod. ℥vj.
Coque adhuc per quadrantem horae; coletur, depuretur.

Ad §. 373.

℞. Spec. emoll. ℥ii.
Rad. Pyrethri ℥ij.
Pulp. Colocynth. in petia ligatae ℥j.
M. C. coqv. in ſ. q. ▽ae.
℞. Colatur. libr. j. adde
Elect. Hierae picrae pro clyſteribus ℥j.
M. F. Clyſter.

℞. Flor. Chamom. Miij.
Summit. Cent. min. Mij.
Fol. Peti ℥ij.
Pulp. Colocynth. in petia ligatae ℥iſſ.
M. Coqv. in ſ. q. ▽ae font.
℞. Colat. adde
Mellis anthoſat. ℥j.
Extr. Hellebor. nigr. ℥ſſ.
M. F. Clyſter.

℞. Agarici ℥j.
Colocynth. ℥ſſ.
Extr. Hellebor. nigr. ℈ſſ.
M. F. c. Melle inſpiſſato Suppoſitorium.

℞. ℉ri

℞. ♆ri emet. gr. IV. l. v.
Teratur ſoluaturque c. ſ. q.
♈ae flor. Acaciae, adde
Oxym. ſquillit. ℥j.
M. D. pro vna doſi.

℞. Reſin. Ialapp. gr. xv.
Diagryd. ♃ti gr. v.
Solue in Spir. vini s. q. ſiue ℥iij-℥ß. adde
Syr. de Spina ceruina ℥v-vj. l. ℥j.
M. D. pro doſi.

℞. Euphorb. ♅riſat.
Sem. Piperis longi ana ʒj.
M. Excipe ſ. q. Mellis, imponatur cuti ad magnitudinem vnius floreni.

℞. Caricar. pingv. ℥ß.
Coqv. in ſ. q. ♈ae font. adde
Sem. Sinapi contuſ. ʒj.
Euphorb. ♅riſat. ℥ij.
M. exacte. F. Cataplaſma, quod cuti imponatur.

Ad §. 383.

℞. ♈ae Lil. conuall. c. Vino
+ti deſt. ana ℥iij.
Liqv. C. C. ſuccinat. ℥iß.
Syr. Cort. ☉rant. ℥ß.
M. D. omni bihorio ℥j.

Ad §. 385.

℞. Spec. emoll. ℥ij.
Summit. Cent. min. Mj.
Fol. Peti Mß.
Agarici in petia ligati ℥j.
Coqv. in ſ. q. ♈ae font.

℞. Colat. ℥viij.
Meſſis anthoſat.
Elect. Hierae picrae pro clyſteribus ana ℥j.
M. F. Clyſter.

℞. Spec. emoll. ℥iij.
Coqv. in ſ. q. ▽ae font. adde
Oxymell. ſquillit. ℥iß.
℈ri emet. gr. v.
M. exacte, F. Clyſter.

Ad §. 386.

℞. Rad. Pyrethri
Sem. Piper. longi ana ʒß.
Maſtichis ʒiß.
Pulueriſentur et c. Cerae albae ſ. q. F. Paſtilli maſticandi.

℞. Rad. Irid. Florent. ʒij.
Pyrethri
Sem. Sinapi ana ʒj.
Excipe cum Syr. Roſar. pallid. ſ. q. et ſicca. F. Paſtilli manſiles.

Ad §. 393.

℞. Vngu. neru. rec. ℥ij.
Balſam. Peruv. ʒij.
℔ei deſt. Caryophyll.
Lauendul.
Macis ana ʒß.
M. D. pro vſu externo.

℞. ...tus

℞. ℩tus Roſar. ℥ij.
Axung. rec. Capon. ℥j.
℩tus ⊖is ammon. ℥ij.
℘ei deſt. Serpilli
Maioran.
Caryophyll. ana ℥j.
M. D. in Fictili pro vſu externo.

Ad §. 395.

In Aſthmate humido.

℞. Rad. Ari
Pimpinell. alb. ana ℥ß.
Herb. Marrub. alb.
Cuſcut. ana Mj.
Summit. Cent. min. Miß.
Bacc. Lauri
Cort. Winteran. ana ℥ij.
Rad. Bryon.
Fol. Sennae ſ. ſ.
Rhabarb. opt. ana ℥j.
⊖is Therm. Carolin. ℥vj.
M. C. C. F. Species pro nodulo, D. in Cilicio. Adfunde more conſueto ▽ae font. feruid. Menſj. Vini Rhenan. meracior. Menſ. iß. Doſis eſt ℥iß-ij.

Formula BRVNNERI.

℞. Gummi ammon. ℥ij.
Solv. in Vin. Rhen. merac. ℥ij.
Adde ▽ae deſt. Veronicae iv. D. tertia l. quarta circiter pars huius compoſitionis tertia quaque hora.

℞. Gummi ammon. ʒiſſ.
Solv. in ♁ti ſquill. ℥j. adde
♈ae flor. Acaciae ℥ij.
Oxymel. ſquill. ʒj.
M. D. S. vt ſupra.

Decoctum Squillae pro robuſtioribus.

℞. Rad. Squill. ʒſſ.
Coqv. in Vin. Rhenan. merac. libr. j. ad remanentiam octo circiter vnciarum.
D. bis per diem ʒj-ʒiſſ-ʒij.

℞. Gummi ammon.
MP. Becheri ana ʒj.
M. F. c. ſ. q. Eſſent. Succin. Pilul. ex ♃j. decem. D. ♃j. horis matutinis et iterum veſpertinis, ſuperbibat aeger Decoctum aliquod, v. g. Rad. v. aperient.

Puluis ſquilliticus.

℞. Rad. Squill. puluerif.
☉tri depur. ana gr. v.
Rad. Vincetox. puluerifat. ♃ſſ.
M. F. Pulv. repetatur quinta l. ſexta hora.

Ad §. 396.

℞. ♎is catharct. ʒj.
Solv. in ſ. q. ♈ae font. adde
Fol. Sennae ſ. ſ. ʒiſſ.
Digere leni calore per octauam circiter horae partem.
D. Colat. pro Doſi.

Pro infirmis.

℞. Fol. Senn. ſ. ſ.
Cremor. ℈ri ana ʒiſſ.
Coqv. in ▽ae flor. Acaciae ʒvj. per quartam partem horae, ſub finem adde
Mann. Calabr. recent. ʒſſ.
Solue leni calore, filtra, adde, cum tantillo Sacchari,
q. ſ. deſt. Aniſi gtt. ij.
D.

℞. ▽ae Flor. Acac. ʒvj.
Mellis deſpumat.
Syr. de Althaea ana ʒſſ.
M. D. ʒj. pro doſi.

Ad §. 397.

℞. Rad. Polypod.
Glycyrrh.
Gramin. ana ʒj.
M. C. coqv. c. Menſ. iv. ▽ae font. per quadrant. horae,
℞. Colat. Menſ. ij. adde
Syr. de Althaea.
Diacodii Mont. ana ʒj.
M. D. Capiat aeger altera quaque hora ʒij-iij.

℞. Rad. Althaeae.
Glycyrrh.
Foenicul.
Paſſul. min. ana ʒj.
Caric. pingv. no. v.
M. C. Coqv. in ▽ae font. Menſ. iv. per quadr. horae, ſub finem adde Flor. Papav. rhoead. p. iv.
D. Colatura, cui admiſceri poteſt Syr. Capill. Vener. ʒj. pro doſi.

℞. Gummi ammon. ℈ß.
+ti ſquill. ʒß.
Terendo ſolue, adde
℣ae Veronicae
Syr. de Althaea ana ʒß.
D. ad Vitr.

Ad §. 404.

℞. Syr. de Eryſimo Lobel. ʒiß.
Diacod. Montan. ʒvj.
M. D. ad Fictile. S. *Zuweilen einen halben Löffel voll.*

Ad §. 421.

℞. ℣ae Hyſſopi.
Scabioſ. ana ʒij.
Amygdal. dulc. ʒiij. adiice atque cum iisdem tere et miſce Balſam. de Copaiua gtt. vj.
M. F. Emulſ. D. ʒj. altera quaque hora, *oder täglich etlichemal ein paar Löffel voll.*

Ad §. 442.

℞. Eſſent. carminat. Wedel.
Gent. rubr. ana ʒij.
Mixt. ſimpl.
Liqv. anodyn. min. ana ʒj.
M. D. S. 50. *Tropfen zu nehmen.*

℞. ℣ae ☉li mart. Ludovici.
Eſſent. Centaur. min.
Liqv. ♃ae fol. ♀ri ana ʒij.
D. D. 50-60. gtt. pro doſi.

Ad

Ad §. 443.

℞. Empl. Oxycroc.
de Tacamah. ana q. s.
Malax. c. ſ. q. Balſam Peruv. dein ʒiſſ.
ducatur ſuper alutam et
F. Scutum ſtomachale, cui adſperge
ℭei Macis.
Caryophyll.
Abſynthii ana ℈ſſ.
D.

℞. Empl. de Cruſta panis ʒij.
ℭei Nuciſtae expreſſ.
Balſam. Peruv. ana ʒiſſ.
ℭei deſt. Caryophyll.
Rutae.
Maioran. ana gtt. xv.
Malax. F. Empl. ducatur. ſuper alutam, et F.
Scutum ſtomachale.

℞. Corporis pro Balſamo ʒij.
Balſam. Peruv. ʒſſ.
ℭei deſt. Macis.
Aniſi.
Foenicul. ana ℈ſſ.
M. D. ad Pyxidulam, S. *Die Gegend des Magens zu beſtreichen.*

Ad §. 445.

℞. Extr. Centaur. min. c. vino parati
Caſcarill. ana ʒij.
♀ae fol. ♄ri ʒiij.
☽ae Cort. ☉rant. I. Meliſſ. ʒij. M. Dig.
per breue tempus. S. ʒſſ. pro doſi.

℞. Magneſ. albae ℥ij.
☋is catharct. ℈iv.
☿tri depur. ℈ij.
M. F. Pulv. diuid. in 4. partes.

℞. Magneſ. alb. ℥ij.
☋is catharct. ℥ß.
M. F. Puluis tenuior, D. S. *Laxierpulver auf einmal in einem Glaſe Waſſer zu nehmen.*

Ad §. 454.

℞. Cretae ſubtil. candid. ℥iß.
Calami aromat. condit. ℥j.
Macis ℥ij.
Sacch. albi in ▽a ſol. q. s.
M. F. Morſuli.

℞. Lap. 69. ppt. ℥iß.
Corall. rubr. ppt. ℥vj.
Nucis myriſt. puluerif. ℥ij.
Sacch. in ▽a Roſar. ſol. q. s.
M. F. Morſuli.

Ad §. 460.

℞. Herb. Meliſſae
Matricariae
Melilot.
Rutae ana Mß.
Flor. Chamom. Miß.
M. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font.
℞. Colatur. viij-x. adde
Terebinth. c. vitello oui ſol. ℥ij.
☌ei Laurin. ℥iß.
☿tri depur. ℥j.
M. F. Clyſter.

℞. Eſſent.

℞. Eſſent. Caſtorei ʒj.
Liqv. anod. min. Hoffm. ʒiij.
Succ. tus bezoard. Buſſii ʒß.
M. D. 40. *Tropfen.*

℞. ∇ae deſt. Menth. ſ. vino
Meliſſ. ſ. vino
flor. Sambuc. ana ʒij.
Laudani opiati gr. ij.
Eſſ. Caſtorei ʒij. l. ʒiß.
M. Capiat aeger omni bihorio ʒj.

℞. Vnguent. Dialth. Fernel.
Gumm. Galbani in vitello ouî ſol.
&ei Chamom. vulg. coct. ana ʒj.
deſt. Carui.
Menth. ana ʒß.
M. F. Linimentum. Adplicetur calidum abdomini c. multa frictione.

Vel ſi aegra deglutire adhuc poteſt, proſunt Pilulae.

℞. MP. Becheri ℈ij.
Gummi Galbani.
Aſae foetidae.
Myrrhae.
Extr. Caſtor. ana gr. xv.
Croci oriental. gr. viij.
M. F. Pilul. ex ℈j. no. viij. Capiat aegra ℈j. horis matutinis, alterum veſpertinis per aliquot dies; ſuperbibat Decoctum quoduis, v. g. Rad. Cichorei, ſi fieri poteſt, recentis.

Ad §. 466.

℞. Magnes. alb. per calcinat. ppt. ℥ij.
cochei ℥ri per deliqv. ℥j.
☾tri in ▽a solut. ℥j.
His affunde ▽ae font. Mens. viij.
Coqv. per dimid. hor. Colaturam serua ad vsum.

Ad §. 467.

℞. Rad. Cichor. rec. libr. iß.
Contunde in mortario lapideo,
Coqv. c. ▽ae Mens. iij.
adde Colaturae.
Oxymellis ℥j. l.
Syr. v. Rad. aperient. ℥ß.
☾tri depur. ℥j.
Bibat aeger calide.

℞. Gummi ammon.
Galbani
Asae foetid. ana ℥j.
Extr. Rhab. ▽si ℥iß.
Balsam. Peruv. ℥ß.
Terebinth. Venet. q. s.
M. F. Pil. Capiat aeger bis vel ter per diem ℈ß.
superbibat Decocti Cichorei rec. ℥ij-iij-iv.

Ad §. 473.

℞. Vnguent. de Althaea
cochei Cappar. ana ℥ß.
dest. Cumini
Foenicul. ana ℥ß.
M. F. Linimentum pro vsu externo.

℞. Empl.

℞. Empl. de Gumm. ammoniac. Foreſti
Cicuta ana q. s.
Malaxetur c. ℥ei Cappar. ſ. q.
Ducatur ſuper alutam et F. Empl. ad magnitudinem palmae.

Ad §. 477.

℞. ⊖is catharct. Angl. ℥vj. l. ℥j.
Solv. in ▽ae font. ℥iij. l. ℥ij.
adde
Rhabarb. pulueriſat. ℥ij.
Stent in leni digeſtione per noctem. Filtra. D. pro vna doſi.

Compoſitio Saponis LENTILII.

℞. Cinerum Abſynth.
Iuniperi.
Agrimoniae ana Mij-iij.
C. ſ. q. ▽ae font. F. Lixiuium forte.
℞. Huius Lixiuii Menſ. vj.
Coque ex eo
Rad. Rubiae tinct.
Filicis ana ℥ij.
Bardanae ℥iij.
Herb. Marrub. alb. Miij.
Summit. Cent. min. Mij.
Cola et cum Colatura et Sebo bouillo liquato ſ. a. coque ad conſiſtentiam Smegmatis vel Saponis; ſub finem adde
Croci orientalis pulueriſ. ℈ij.
Effunde in Capſulas lineas et vſui ſerua. Huius Smegmatis ℥j-℥iſs-℥ij. ſoluantur c. lacte vaccino calido, et bibat aeger bis per diem calide eamdem quantitatem.

℞. Empl.

℞. Empl. de Melilot.
Cicuta ana ℥j.
Gummi ammon.
Galbani cum Spir. vini ſolut. ana ℥iij.
M. F. c. ſ. q. ℈ei Cappar. Emplaſtrum. Ducatur ſuper alutam ad magnitudinem duarum palmarum, imponatur hypochondrio dextro, vel regioni hepatis.

℞. ℈ei Anethi ℥ſſ.
deſt. Abſynthii.
Carui ana ʒſſ.
M. F. Linimentum.

Ad §. 482.

℞. Rad. Polypod.
Cichor. ana ℥ſſ.
Tamarind. ʒiſſ.
Crem. ♄ri ʒvj.
M. C. C. coqv. in ▽ae font. Menſ. iv. per dimidium horae adde
☉tri depurat. ʒiſſ.
M. D. S. Capiat aeger omni bihorio ℥ij.

℞. Rad. Polypod. ℥j.
Cichor.
Vincetox. ana ℥ſſ.
Bryoniae ℥j.
Rhabarb. ℥iſſ.
Summit. Cent. min. Mij.
Sem. Petroſel.
Naſturt. aquat. ana ʒij.
♎is Therm. Carolin. ʒiſſ.
M. D. in Cilicio, S. *Species zum Kräuterwein.* Adfundatur primo ▽ae font. feruidae Menſ. j. et poſt Vini Rhenan. eadem quantitas, bibat aeger horis matutinis ℥ij. circiter.

Ad

Ad §. 483.

℞. Auen. excortic. ℥iſſ.
Rad. Graminis
Cichorei
Tamarind. ana ℥ſſ.
M. C. coqv. in ▽ae font. Menſ. j. per dimidium horae,
Colaturae adde
Oxym. ſimpl. ℥ſſ.
℄tri depurat. ℥j.
M. Capiat aeger ſubinde et omni bihorio ℥j-ij.

℞. Tamarind. ℥ſſ.
Prunor. + do - dulcium
Paſſul. minor. ana ℥iſſ.
Rad. Cichor. ℥ij.
Coqv. in ▽ae font. Menſ. iv. per quadrant. horae,
℞. Colat. libr. ij. adde
Syrup. Flor. Perſicor. ℥j.
℄tri depur. ℥j.
M. Capiat aeger quaque hora ℥j. circiter, donec aluus ſit ſoluta.

Ad §. 483.

℞. Syrup. de Cichor. c. Rhab. ℥ſſ.
Sapon. Venet. ℈ij.
▽ae Cort. ⊙rant.
Ceraſor. ana ℥ſſ.
M. D. S. *Dem Kinde nach und nach einzuflöſſen.*

Ad §. 492.

℞. Rad. Ipecac. gr. xxv.
Medull. Rhabarb. ℈ſſ. l. gr. xv.
M. F. Pulv. D. pro doſi.

℞. Spec.

℞. Spec. emoll. ℥ij.
carminat. ℥j.
M. Coqv. in ſ. q. lactis pinguioris.
℞. Colat. ℥x. adde
℔ei Amygdal. dulc. ℥j.
Terebinth. Venet. c. vitello oui ſubact. ℥ß.
M. F. Clyſter.

Ad §. 500.

℞. Cort. Caſcarill.
Corall. rubr. ppt. ana ℈ij.
Theriac. coeleſt. gr. iv.
M. F. Pulv. diuid. in 4. partes. Capiat aeger vnam altera quaque hora ex ▽a Meliſſ. ſ. vino.

℞. ▽ae deſt. Meliſſ. ſ. v.
Cort. ◯rant. ana ℥ij.
Cinnam. cydon. ℥ß.
Corall. rubr. c. ♁do Citri ſatur.
Matr. Perlar. ppt. ana ℥ß.
Theriac. Andromach. ℥j.
Capiat aeger altera quaque hora ℥j-ij.

Ad §. 501.

℞. Rad. Althaeae.
Valer. hortenſ. ana ℥ß.
Herb. Abrotani
Centaur. min. ana Mj.
Flor. Chamomill. vulg. Mij.
Sem. Carui
Foenicul. ana ℥ij.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae,
℞. Colatur. ℥viij-x. adde
Terebinth. Venet. c. vitello oui ſolut. ℥iij.
℔ei cocti Rutae ℥j.
M. F. Clyſter.

Ad

Ad §. 511.

℞. Rad. Ipecacuanh. ʒiſſ.
℧ae flor. Acac. ℥vj.
Stent in leni calore per aliquot horas vel noctem; aeger horis matutinis bibat mox huius Infuſi ℥ij-iij. et poſt, donec vomitus ſequatur ſufficiens, quaque hora ℥j.

Ad §. 513.

℞. Cort. Simaroubae minutim ſectae ʒij.
Coqv. in ℧ae commun. libr. ij. ad remanent. duarum tertiarum. Div. in 4. partes, ex quibus quarta pars tepide tertia quaque hora propinetur.

Ad §. 517.

℞. Spec. emoll. ℥ij.
Fol. Sennae ℥ſſ.
Coqv. in ſ. q. ℧ae font.
℞. Colatur. ℥x. adde
Electuar. de Hiera picra
Mellis anthoſat. ana ʒſſ-℥ſſ.
Extract. Hellebor. nigr. ʒſſ.
M. F. Clyſter.

℞. Fol. Sennae ℥ſſ.
Peti ʒj.
Coqv. in ℧ae q. s.
℞. Colatur. ℥x. adde
Elect. de Hiera picra
Mellis anthoſat. ana ℥ſſ.
M. F. Clyſter.

℞. ⊡ae

℞. ☉ae ſani hominis ℥viij.
Coqv. c. fol. Peti adde
Colaturae
Mellis j.
♁is Gemmae ʒj.
M. F. Clyſter.

℞. ▽ae font. ℥x. in ea ſolue.
♁is Gemmae ʒß-ʒvj.
M. F. Clyſter.

℞. ♌ei Amygdal. dulc. rec. ʒiij.
Mann. Calabr. depur. rec. ʒij.
♌ei deſt. Rutae l. alius gtt. iij.
M. D. S. *Mit dünner Hünerbrühe nach und nach zu nehmen.*

℞. Tamarind.
Paſſul. min. ana ʒß.
Crem. ♀ri.
Rhab. elect. ana ʒiß.
Coqv. in ſ. q. ▽ae font.
In Colatur. ſolue
Mann. Calabr. rec. ʒiß.
Clarificetur, adde
♌ei deſt. Cort. ☉rant. gtt. iv-v.
Sumat aeger pedeatentim intrunius vel alterius horae tempus.

Ad §. 518.

℞. Spec. emoll.
carminat. ana ʒiß.
M. C. C. coqv. in ſ. q. ▽ae, adde
Mellis anthoſat. ʒj.
Terebinth. vitello oui ſubact. ʒß.
M. F. Clyſter.

Ad

Ad §. 520.

℞. Mann. Calabr. rec. ℥iij.
Crem. ℏri ℈iij.
M. Coqv. leni △e in ſ. q. ▽ae font.
Colatur. adde
☋tri depur. ℥ij.
M. bibat aeger quaque hora aliquot vncias, donec aluus ſoluta fuerit.

℞. Herb. Adianth. alb.
Flor. Chamom. vulg. ana Mij.
Sem. Foenicul. ℥ij.
Flaued. Cort. ⊙rant. mali rec. raſp. no. j.
M. C. C. F. Species D. ad Scatulam, S. *Species, davon als von Thée zu trinken.*

Ad §. 524.

℞. Herb. Fumar. rec.
Cochlear.
Chaerephyll. ana Miij.
M. C. ebulliant c. Seri lactis libr. iv. in vaſe clauſo, exprimantur fortiter, et aeger bibat quaque hora ℥j-ij.
Conducunt etiam Pilulae cum Gummi ammon.

Ad §. 530.

℞. ℈rii dulc. gr. v.
Sacchar. albiſſimi gr. xv.
M. F. Pulv. D. in duplo S. *Abends eins, das andere früh zu nehmen.*

℞. Rad. Ialapp. gr. xxv.
Diagryd. ♃rat. gr. v.
M. F. Pulv. catharcticus pro homine adulto poſt anthelminticorum vſum.

℞. Semin. Santon. ℥j.
☿rii dulc. rite ppt. ʒij.
Sacch. albi ℥v. l. q. s.
M. F. Morſuli no. 24. circiter.
D. vna portio pro doſi.
Vel
℞. Conſerv. Abſynth. vulg.
Semin. Santon. ſ. Cinae
Tanaceti ana ʒij.
Aethiop. mineral. ʒiij.
Sacchar. albi in ▽a Roſar. ſol. ℥v.
M. F. Morſuli.

℞. ☿rii curr. ℥j.
Coqv. per ſpatium horae c. ▽ae font. libr. j.
Decantetur et D. pro doſi ℥j-℥iſſ.
℞. Vnguent. de Althaea ℥ſſ.
Aloes pur. pulueriſ.
Fellis Tauri ana ʒiſſ.
M. F. Vnguentum, cuius ʒj-ij. abdomini illiniatur.

℞. Aſae foetidae
Extr. Rhabarb.
Tanaceti
Aloes depur.
Myrrh. elect.
☿rii dulc. ana ℈j.
Croci
Caſtorei ana gr. iv.
M. F. Pilul. ex ℈j. no. xv. Pro doſi exhibentur viij-x.

℞. Stanni

℞. Stanni pulueriſ. ʒiſſ.
Syrup. vulgar. ʒviij.
Div. in partes aequales, dimidium detur veſperi, altera pars iterum diuiſa ſqq. diebus.

℞. Herb. Abſynth.
Tanacet. ana Mj.
Semin. Santonici ʒſſ.
M. C. C. coqv. in ſ. q. Lactis, adde
Mellis ʒj.
Elect. de Hiera picra pro Clyſteribus ʒſſ.
M. F. Clyſter pro adulto.

℞. Herb. Centaur. min. Mij.
Sem. Santonici ʒſſ.
M. C. C. coqv. c. ſ. q. Lactis,
℞. Colatur. ʒviij. adde
Olei Amygdal. amar. ʒj.
Fellis Tauri ʒſſ.
M. F. Clyſter pro adulto.

Ad §. 538.

℞. ♈ae flor. Acaciae
Fragor.
Ceraſor. nigr. ana ʒij.
Oxymel. ſquill.
Gummi ammon. vitello oui ſol. ana ʒſſ.
M. Capiat aeger altera vel tertia quaque hora ʒj-iſſ.

Ad §. 552.

℞. Gummi Galbani
Aſae foetidae
Gummi ammon.
Extr. Caſtorei ana ʒj.
Myrrhae ʒſſ.
Croci oriental. gr. xv.
M. F. c. Balſam. Peruv. Pilul. ex ϑj. nō. x. Totidem deglutiat aeger horis matutinis et veſpertinis per plures dies.

Ad §. 553.

℞. Cort. Peruv. elect. pulueriſat. ʒij.
Winterani
Limat. ȝis purae ana ʒſſ.
M. D. in Cilicio, adfundatur Vini Rhenani merac. non mangoniſat. libr. iſſ.
Stent per 24. horas in cella.
Capiat aeger bis per diem vacuo ventriculo ʒj-ij.

℞. Limat. ȝis pur. ʒiij.
Vini Rhenan. aciduli frigid. libr. ij.
Stent in loco frigido per 48. horas, poſt Colatura coquatur c. ſ. q. Sacchari. D. ad ʒii-ʒſſ. aliquoties per diem.

Ad §. 567.

℞. Cort. med. Sambuc. ʒj.
Coqv. in Seri lactis libr. j. ad remanentiam duarum tertiarum. Div. in 3. l. 4. partes, quas aeger intra tempus xxiv. horarum bibat.

℞. Rad.

℞. Rad. Squillae rec. lib. j.
Vincetox. ℥riſat. ℥iv.
Contund. in pulpam, quae, in vmbra ſiccata, iterum terendo in puluerem redigenda eſt.
℞. Huius pulueris ℈ſſ.
Rad. Ari
Pimpin. alb. ℥rif. ana gr. v.
℄tri depurat. gr. ij.
M. F. Pulv. D. pro vna doſi pro viribus aegrotantis ſemel vel bis per diem.

℞. Rad. Squill. rec. ℥j.
Coqv. in vaſe clauſo c. Vini Rhenani libr. j. ad remanentiam duarum tertiarum.
D. ℥j. ſemel vel bis per diem.

℞. Rad. Ialapp. gr. xxv.
Diagryd. ♃ti gr. v.
M. F. Pulv. pro vna doſi.

Ad §. 560.

℞. ♁is Stipit. Fabar. ℥iij.
adfunde
Vini Rhenani merac.
♈ae font. ana libr. j.
Stent per noctem, mane bulliant. D. per diem ℥j-ij. pro doſi.

℞. Ciner. Stipit. Fabar.
Geniſtae ana libr. ſſ.
Vini Rhenani frig. libr. ij.
Stent per 48. horas in loco frigido, et aeger capiat ℥ij-iij. pro doſi per diem.

℞. Rad. Ari
Squillae
Bryon. ana ℥j.
Herb. Trifol. fibr.
Summit. Cent. min. ana Mj.
Bacc. Lauri
Cort. Winteran. ana ℥iij.
Fol. Senn. s. f. ℥iſſ.
Agar. in petia ligati ℥iſſ.
♁is ♆ri ℥ſ.
M. C. C. F. Species pro nodulo, cui adfundatur
♈ae feruidae libr. j.
Vin. Rhenan. merac. libr. iv.
D. ℥ij. circiter pro doſi.

℞. Rad. Mechoacann. ♍ſat. ℥iſſ.
Adfunde Vini merac. ℥iv. Stent per noctem, mane deglutiatur et puluis et vinum.

℞. Pilul. aloëphang. ♃j.
Elaterii gr. iij. l. ij.
cum Balſ. Peruv. q. ſ.
F. Pilul. D. pro vna doſi.

℞. Rhab. opt. ♍riſat. ℥ij.
–ae fol. ri ℥iſſ.
M. Coqv. in ſ. q. ♈ae flor. Acac. I. ſimpl. per dimidium horae, ſub finem adde
Fol. Sennae j.
D. Colatura pro doſi.

Ad

Ad §. 570.

℞. Extr. Gentian. rubr.
Cent. min.
Cort. Caſcarill. ana ʒj.
♎is ♆ri ʒij.
♈ae Meliſſ. c. vino ℥iij.
Digere leni calore ad ſolutionem vsque. Colaturae adde
♌ei deſt. Cort. ☉rant. in ☽pir. vini ſolut. ♃j.
D. ad Vitrum. S. *Früh und bey Tiſche* 80. *Tropfen in Wein zu nehmen.*

℞. Flor. Chamomill. Mij.
Centaur. min. Mj.
M. C. coqv. in ſ. q. ☐ae ſani hominis.
℞. Colat. ℥vij.
Terebinth. c. vitello oui ſolutae ʒvj.
♎is commun. ʒiſſ.
M. F. Clyſter.

Ad §. 587.

℞. Extr. panchymag. Crollii
☿ii dulc. ana gr. viij.
Reſin. Ialapp. gr. v.
Diagryd. ♃ti gr. iij.
M. F. Pilul. c. Eſſ. Succin. no. XXIV. D. pro doſi.

℞. Reſin. Ialapp. gr. viij.
Tere c. totidem Amygdal. dulc. excort. adde
♈ae flor. Acac. ʒij.
☿rii dulc. gr. vij.
♌ei deſt. Macis c. tantillo Sacch. gtt. ij.
M. F. Emulſio. Superbibat aeger hauſtum ♈ae ſont. et eluat os.

℞. Rad. Ialapp.
☿rii dulc. ana gr. viij.
Diagryd. ♃ti gr. ij.
Conſerv. Roſar. pallid. gr. xv.
Syr. Roſarum pallid. q. ſ.
M. F. Bolus. D. pro vna doſi.

Ad §. 589.

℞. Rad. Helenii
Bardan.
Scorzon.
Lapathi ana ℥ſſ.
Herb. Fumar.
Card. bened.
Agrimon. ana Mſſ.
☿ii in petia ligati ℥ſſ.
Bulliant in ▽ae font. Menſ. iij. adde
Colaturae
Syr. Fumar. ℥i-iſſ.
Capiat aeger bis vel ter per diem ℥ij-iij.

Ad §. 590.

℞. Vnguent. de Ceruſſa ℥j.
Lap. 69 in tenuiſſ. pollinem tritorum ℥ij.
& ei Ligni Rhodii gtt. v.
M. F. Vnguentum pro vſu externo.

Formula ad Aquam phagadaenicam.

℞. Calcis viuae, quantum fieri poteſt, recentis, libr. ſſ.
▽ae font. feruidae libr. IV.
M. agitando aquam, dein per inclinationem effunde.
℞. ▽ae huius Calc. viv. libr. I.
☿rii ſublimat. gr. xij
Tere in mortario lapideo in tenuiſſimum pollinem mercurium ſublimatum, atque ſub tritura adfunde ab initio guttatim ▽am Calc. viuae, et ſic miſce.

Laua-

Lauamentum GORTERI.

℞. Ciner. clauell. ℥ij.
▽ae comm. libr. IV.
Liquentur et ebulliant moderato admodum ▽e in vaſe aeneo; in filtrato liquore exſtingue Calc. viuae ℥iv. quibus exſtinctis adde Plumbi vſti ℥j. bulliant inuicem.
D. Colatura pro vſu externo.

℞. Pingued. Omenti vitul. poſt huius coctionem ▽ae innatantis ℥j.
Spermat. Ceti
Cerae alb. ana ℥ſſ.
Vnguent. Neapol. ℥vj.
Balſam. de Copaiua ℥j.
ℴei Ligni Rhodii gtt. viij.
M. per triturationem c. ▽a Roſar. in mortario
F. Vnguentum.

℞. Pulp. rad. Enulae rec. ℥ij.
Vngv. Neapol. ℥vj.
Pomat. ℥iſſ.
Flor. Benzoes ℥j.
M. F. Vnguentum, quod veſperi ad piſi magnitudinem illiniendum eſt carpo manus atque dorſo pedis.

℞. ♄ri calcinat. ℥iſſ.
☿rii dulc. ℈ſſ.
Flor. ♃ris ℥j.
Rad. Ireos Flor. puluer. ℥ſſ.
ℴei Ligni Rhodii gt. iv.
Sapon. Venet. ℥ſſ.
M. F. Globuli.

Ad §. 591.

℞. C. C. ſ. ▽e ppt.
♃ii diaphoret ana ℈ſſ.
Flor. ♀ris gr. v.
M. F. Pulv. D. vnus bis per diem.

Ad §. 600.

℞. ☾tri depurat. ℥ſſ.
Solue in ▽ae font. libr. v. adde
Ligni Santali rubr. ℥ſſ.
Spir. Vini camphorat. ℥iij.
Digerantur leni calore.
Capiat aeger bis per diem vel ter ℥j-ij.

Ad §. 601.

℞. Gummi ammon. depur.
Sagapeni
Extr. Hellebor. nigr.
Torchiſc. Alhandal
♀rii dulc.
Reſ. Lign. Guaiaci
Balſam. de Copaiua ana ℥j.
M. F. c. Eſſ. Succini Pilul. ex ℈j. no. xx. quarum capiat aeger xxii. pro doſi.

℞. Mann. rec. depur. ℥j.
Solue in Seri Lactis ℥iv.
Colaturae adde
Pulp. Caſſiae rec. extr. ℥ij.
♌ei del Cedro c. tantillo Sacch. gt. ij.
M. D. pro doſi.

℞. Rad.

℞. Rad. Saſſaparill.
Chin. ponderoſ.
Scorzon. ana ℥ſſ.
Veſperi adfund. ▽ae font. Menſ. ij. Mane coque ad remanentiam duarum tertiarum, ſub finem coctionis adde
Rad. Polypod. ℥ſſ.
Fol. Senn. ſ. ſ. ʒij.
M. D. Bibat aeger hoc decoctum intra ſpatium XXIV. horarum, quod ſeqq. diebus continuandum eſt.

Ad §. 602.

℞. Eſſ. Succini
℞ae ♁ii ana ʒj.
Balſam. Peruv. nigr. ʒſſ.
M. D 30. gtt. bis l. ter per diem.

℞. Balſam de Copaiua ♃ſſ. l. ʒſſ.
Solue c. ſ. q. Vitelli oui, adde
▽ae Plantag. ℥vj.
Syr. Papav. alb. ℥ſſ.
M. Bibat aeger repetitis vicibus hanc Emulſionem intra ſpatium XXIV. horarum.

℞. Terebinth. vulg.
Rhab. opt. ana ʒij.
Pulv. Glycyrrh. q. s.
M. F. Pilul. ex ♃j. no. x. Sumat aeger quotidie per vices ʒſſ.-♃ij.

Ad §. 603.

℞. Aloes hepat. ℥j.
Coqv. in ▽ae Calc. viv. ℥viij.
℞. Colatur. ℥ij. adde
Tutiae ſubtiliſſ. ♁iſ. ♃ſſ.
℥ii ♎ti c. Tutia bene triti gr. ij.
M. pro Iniectione in vrethram.

Ad

Ad §. 604.

℞. ℣ae Petroſel.
Flor. Tiliae ana ℥iij.
Sem. iv. frigid. maj. ℥ſſ.
M. F. Emulſio, adde
Balſam. Peruv. vitello oui ſol. gtt. iv-vj-viij.
☉tri depurat. ℥ſ.
Capiat aeger quarta l. ſexta quaque hora quartam huius potionis partem, quae per aliquod tempus continuetur.

Ad §. 606.

Formula QVERCETANI.

℞. Herb. Menthae
Dictamni
Rad. Ireos Florent. ana ℥j.
Sem. Agni caſti
Rutae
Lactucae ana ℥ij.
Pulueriſatis adde
Terebinth. ℥iv.
Vini albi libr. ij.
M. Coniic. in Alembicum et deſtillentur per balneum vaporoſum. Doſis eſt ℥i-℥iſſ. et bis l. ter poteſt repeti per diem.

Ad §. 613.

℞. Raſur. Ligni Sanct. pond. ℥vj.
♁is ♆ri ſſj.
Infund. c. ℣ae font. Menſ. vj. poſt iv. circiter horas coque in vaſo clauſo per horam, tunc adde
Rad. Polypod. ℥iſſ.
Cort. Ligni Saſſafr. ℥j.
Cum prioribus iterum in vaſe clauſo coque per dimidium horae. D. Colatura. Huius decocti aeger bibat ſexta quaque hora circiter ℥iv.

Ad

Ad §. 619.

℞. Vini albi libr. j.
℣ae Plantag. Roſar. ana ℥iij.
⊙pigmenti natiui ℥ij.
Virid. aeris ℥j.
Myrrhae
Aloes ana ℈ij.

Terantur ſubtiliſſimè, et poſt miſce exacte. Hoc collyrio imbuitur penicillum, quo deterguntur vlcera valde impura. Si iuſto valentius eſt, adfundi poteſt maior ℣ae copia.

Ad §. 620.

℞. Conſerv. Scabioſ. ℥ß.
℈rii dulc. rite ppt. gr. xv.
Syrup. Fumariae. q. s.

F. Bolus obduc. fol. ⊙i, l. conſperg. Saccharo.

Ad §. 628.

Infuſum pro homine valde robuſto et agreſti ſcorbutico.

℞. Raphan. ruſt. rec. radula raſi ℥ij.
Herb. rec. Cochlear.
Fumar. ana Miij.
Sem. Sinap. contuſ. ℥ß.
Vini Rhenan. merac. Menſ. iij.

M. Stent in loco frigido. Bibat aeger ter l. quater per diem ℥iij. circiter.

℞. Succi rec. Cochlear.
Naſturt. ℣tici ana ℥iv.
Raphan. ruſt. ℥iij.

M. D. ℥j-ij. aliquoties per diem c. Saccharo.

℞. Calcis viuae ℥ij.

Coqv. in ℣ae font. libr. ij. Colaturae ſumat aeger bis per diem ℥ß. et ſuperbibat ſemper ℥iv. circiter Seri Lactis.

Ad

Ad §. 630.

℞. Mellis roſati
Succi Citri ana ℥j.
♃tus ♀is comm. ℥ſſ.
♈ae Rutae ℥iv.
M. D. S. *Im Munde zu halten.*
℞. ♈ae Rutae ℥viij.
♃tus ☉li ℥j.
M. D. S. vt ſupra.
℞. Succ. Cochlear.
Mellis roſat. ana ℥j.
Tinct. Laccae ʒij.
♃tus ☾tri dulc. ʒiſſ.
M. Adplic. mediante penicillo.

Ad §. 636.

In declinatione Rheumatismi laudatur formula ſequens ab HOFFMANNO.

℞. ♈ae Anhaltinae ℥ij.
Balſam. Peruv. ℥ij.
Theriac. veter. ℥j.
Digerantur. Colat. adde
Eſſent. Croci
Caſtorei
Nuciſtae ana ℥ij.
Camphor. ℥j-ʒiſſ.
M. D. pro vſu externo.

Aduerſus torporem membri poſt rheumatismum relictum.

℞. Axungiae hum. ℥ij.
Balſam. Peruv.
♌ei Caryophyll. ana ℥ij.
M. D. S. pro vſu externo.

Ad §. 667.

℞. Rhabarb. pulueriſat. opt. ʒj.
Mann. opt. rec. ʒiſſ.
Cremor. ♀ri ʒij.
His affunde ▽ae flor. Chamomill. vulgar. ʒvj. leni calore digere, adde Paſſul. min. bene lotarum ʒij. inſpiſſentur leni calore in vaſe ſtanneo, ſub finem adde
Cort. Cinnam. pulueriſat. ʒj.
Capiat aegra aliquoties per diem harum paſſularum tantum, quantum cochleari commode excipi poteſt.

℞. Crem. ♀ri ʒj.
☾tri depur. ℈j.
Coqv. in ▽ae font. ʒiij. et in Colat ſolue
Mann. Calabr. ʒiſſ.
D. pro doſi.

Ad §. 668.

℞. Rhab. opt. pulueriſat. ℈ſſ.
Lap. 69 c. + do Citri ppt.
Corall. rubr. ppt. ana gr. v.
♌ei Syrae gtt. j.
M. F. ♃is in triplo, quorum vnus detur tertia quaque hora c. ▽a Meliſſ. et Cort. ☉rum. Vbi aeſtus vrget, loco ♌i deſt. adiici poſſunt ij - iij. gr. ☾tri.

℞. Caſtorei ℈ſſ.
Corall. rubr. gr. xv.
☾tri depur. gr. v.
M. F. Pulv. diuid. in tres aut quatuor partes. Detur vna in tertia quaque hora.

Ad

Ad §. 681.

℞. Rhabarb. opt. ʒj.
Crem. ℥ri ʒſſ.
Paſſul. min. ʒiſſ.
M. C. coqv. in ſ. q. ▽ae font. leni △e, in Colat. ſolue leni calore
Mann. Calabr. rec. et elect. ʒj.
Depura, adde c. tantillo Sacchari
&ei Syrae, l. &ei deſt. Rutae gtt. ij.
M. D. S. *Laxiertrank früh auf einmal warm zu nehmen.*

Ad §. 683.

℞. Pulv. Stomach. Birkmanni ʒj.
Cryſtall. mont. ppt.
Sem. Nigellae
Aniſi ana ʒij.
Sacchari ʒiſſ.
M. F. groſſo modo Pulv. D. ad Scatulam.
Sumat foemina bis l. ter per diem ʒj.

Ad §. 686.

℞. Syr. de Cichoreo c. Rhab. ʒſſ.
Violar. ʒij.
M. D. S. *Saft vor das Kind.*
℞. Syr. de Cichor. c. Rhab.
▽ae Meliſſ. ſ. v. ana ʒſſ.
Sapon. Venet. ℈j.
M. D. S. vt ſupra.

Ad §. 688.

HOFFMANNI *Formula.*

℞. Vini dulc. Canarienſ. ʒiſſ.
▽ae Meliſſ. ſ. v. ʒj.
Vitell. ouor. rec. ʒij.
Sacchari q. s. pro ſapore
D. Subinde infanti valde debili ʒſſ.

Ad

Ad §. 690.

℞. Seri lactis ℥iij.
Sapon. Venet. ʒj.
Solue leni calore, adde
Mellis ʒiſſ.
M. F. Clyſter pro infante.
℞. Rad. Lilior. albor. ℥ſſ.
Flor. Chamomill. Mj.
Sem. Foenicul. contuſ. ʒiſſ.
Coqv. in ſ. q. Seri lactis.
℞. Colat. ℥iij.
℔ei Lilior. alb. ʒij.
Sacchari ʒiſſ.
M. F. Clyſter.

Ad §. 691.

℞. ℔ei Amygdal. dulc. rec. ſ. ▽e ppt. ℥j.
deſtill. Foenicul. gtt. vj.
Sacchari Candi q. s.
M. F. Eleoſaccharum.
℞. Sperm. Ceti rec.
Sacchari Candi pulueriſat. ana ℥ſſ.
℔ei Amygdal. dulc. rec. ſ. △e expreſſ. q. s.
deſtill. Aniſi gtt. jv.
M. F. Eleoſaccharum.

Ad §. 692.

℞. ℔ei cocti Anethi ℥j.
Balſam. Peruv. ʒj.
℔ei deſt. Abſynth.
Macis
Lauendul. ana gtt. xv.
M. D. ad Fictile. S. *Aeuſſerlich den Leib damit zu beſtreichen.*

Ad §. 694.

℞. ℔ei Lilior. alb. rec. ℥ſſ.
deſtill. Maioran. gtt. xv.
M. D. S. *Aeuſſerlich an die Naſe zu ſchmieren.*

Ad §. 695.

℞. Mucilag. Sem. Cydon. ℥j.
Ceruſſ. ppt.
ʒii diaphoret. ana ℥j.
M. D. in Fictili.

℞. Vnguent. alb. camphor.
Olei Amygdal. dulc. ana ℥ß.
Ceruſſae alb. ℥iß.
M. D. in Fictili.

Ad §. 696.

℞. ♈ae flor. Tiliae ℥iv.
Pulv. bezoard. Angl.
Specif. cephal.
♃ tri depurat. ana gr. xv.
Matr. Perl. ppt. ℥ß.
Syr. Papav. alb. ℥ij.
M. D. S. *Alle 2. bis 3. Stunden einen Löffel voll.*

Formula BOERHAAVII.

℞. Crem. Lactis rec.
Vitell. oui ana ℥ß.
Syr. Violar. ℥iij.
♈ae Roſar. ℥iß.
M. D. S. *Zum äuſſerlichen Gebrauch.*

Ad §. 706.

℞. Medull. Rhab. elect. gr. viij.
ʒrii dulc. rite ppt. gr. ij.
Syrup. Roſar. pallid. ℥j.
♈ae flor. Tiliae ℥vj.
M. F. Hauſtus, D. pro vna doſi, S. *Einem Kinde von 2. Iahren.*

CONSPECTVS
ARTIS MEDENDI
SINGVLIS MORBIS ACCOMMODATAE

PROLEGOMENA.

De Febribus in genere. pag. 9

De Febribus in ſpecie.

Febres intermittentes.

Tertiana. 35
Febris quotidiana. 41
Quartana. 43
Febres epidemicae vagae, aſt malignae. 47
Semitertiana. 48
Febris catarrhalis benigna. 49
maligna vulgo dicta petechizans. 51
petechialis vera. 55
Peſtis 57
Purpura, ſeu Febris miliaris. 60
Variolae. 66

MORBILLI. 76

Febres continuae.

Febris ephemera, ſeu diaria. 77
Synochus ſimplex et putrida. 78
Cauſus et Febris ardens ſeu bilioſa. 81
Phrenitis, Paraphrenitis. 88
Angina. 94
Pleuritis et Peripneumonia. 100
Hepatitis. 107
Inflammatio ventriculi. 110
Nephritis. 114
De Ileo morbo, ſeu Inteſtinorum inflammatione. 121
Febris lenta et hectica. 126
ſcarlatina et vrticata. 133

De Plethora et morbis, qui ex Plethora oriri dicuntur. 134
Haemorrhagiae. - - Pag. 137
Haemorrhagia narium. - - 139
Haemoptyſis. - - - 142
Vomitus cruentus. - - 147
Vitia menſium. - - 150
Menſium ſuppreſſio. - - 153
Menſtrua non boni coloris. - - 155
Sanguinis nimium profluuium menſtruum. - 156
Abortus - - - 158
Lochiorum fluxus. - - 162
Haemorrhoidum fluxus. - - 167
Mictus cruentus. - - 174
Varices. - - - 178

Morbi capitis.

Cephalalgia. - - - 180
Coryza et Grauedo. - - 191
Otalgia. - - - 193
Grauitas auditus et Surditas. - - 197
Tinnitus aurium. - - 199
Odontalgia. - - - 200
Vertigo. - - - 202
Morbi ſoporoſi. - - - 208
Apoplexia. - - - 213
Paralyſis. - - - 221

Morbi pectoris.

Aſthma. - - - 229
- - ſiccum. - - - 233
Tuſſis. - - - 237
Raucitas. - - - 243
Vomica pulmonum. - - 244
Phthiſis. - - - - 248
Pleuritis ſpuria. - - 253
Palpitatio cordis. - - - 254

Catarrhus ſuffocatiuus. - - Pag. 255
Polypus cordis. - - - 260

Morbi abdominis.

Atonia ventriculi. - - - 262
Dyſpepſia. - - - 264
Appetitus laeſus, ſeu Anorexia. - - 268
Bulimus et Fames canina. - - 269
Malacia et Pica. - - - 270
Ardor ventriculi, ſeu Cardialgia vel Soda. - 271
Malum hyſtericum. - - - 273
- - hypochondriacum. - - - 279
Tumor et Scirrhus Lienis. - - 286
- - - Hepatis. - - 289
Ictcrus. - - - 292
Fluxus hepaticus. - - 299
Cholera morbus. - - - 302
Diarrhoea. - - - 306
Lienteria et Coeliaca - - 310
Dyſenteria. - - - 313
Colica. - - - 320
Tenesmus. - - - 327
Vermes. - - - 328

De Vrinae excernendae difficultatibus.

Stranguria, Dyſuria, Iſchuria. - - 332
Diabetes. - - - 337
Vrinae incontinentia. - - 340
Fluor albus benignus. - - 342
Chloroſis et Furor vterinus. - - 345
Satyriaſis et Priapismus. - - 350
Cacochymia et Cachexia. - - 351
Hydrops. - - - 355
Tympanitis. - - - 366
Scabies. - - - 369
Elephantiaſis et Lepra. - - 375

Morbi venerei, eorumque diuerſi gradus et ſymptomata.

Gonorrhoea in vtroque ſexu. Pag. 378
Lues venerea. 386
Scorbutus. 397
Rheumatismus et Arthritis vaga. 403
Podagra. 407
De Neruorum Diſtentione et praecipue de Epilepſia. 412
Lipothymia et Syncope. 420
Melancholia et Mania. 423

Morbi Grauidarum et Parturientium.

Sterilitas. 428
Vomitus grauidarum. 429
Alui obſtructio grauidarum. 430
Diarrhoea grauidarum. 431
Foetus imbecilli curatio. 432
Partus difficilis. ibid.
Dolores nothi et veri. 433
Vrinae ſuppreſſio grauidarum. ibid.
De cura Mulieris ſub partu. 434
Vteri inflammatio. 436
Genitalium tumor. 438
Diarrhoea Puerperarum. 439
Abdominis tumor poſt partum. ibid.
Febris lactea. 440

Morbi infantum. 442

Rhachitis. 451

De Marcore Senum et Regimine illorum. 456

INDEX

INDEX I.

RERVM NOTABILIORVM.

NVMERVS PARAGRAPHVM INDICAT.

A.

Abortus. Definitio 292. quibus menſibus foemina abortum feciſſe dicatur? ib. eius imminentis ſigna 292. eius cauſſae 293. oritur quandoque ab vmbilici breuitate 293

Abſceſſus poſt febres 20. in angina. 204. eius futuri ſigna. ib. in hepatitide eius futuri ſigna. 224. funeſtus eſt, ſi rumpitur. ib. raro ſoluit vertiginem 362

Acida in febribus vehementioribus 54. in redundantia bilis 58 in peſte 151. magni vſus ſunt in febre petechizante 135. aliena in purpura 159. in variolis, quando omittenda? 172

Acria aliena in febribus pertinacioribus 65

Adſtringentia peſtifera in ventriculi inflammatione 230 aliena in mictu cruento 320. in tuſſi 414

Aeſtus peſſimum ſignum, ſi intus ab aegro percipitur frigentibus externis. 8. *febrilis* quandoque temperatur clyſteribus 87

Aluus poſt ſuperatam tertianam adſtricta, non ſoluenda eſt purgantibus, ſed lotionibus 106. quomodo moderari debeat in purpura 159

Amauroſis a phrenitide relicta 197

Analeptica in febribus intermittentibus, ſi vires deficiunt 55

Angina eius definitio 201. diuerſae ſpecies ib. magnum diſcrimen inter veram et ſpuriam 202. ſymptomatica peſſima in febribus exanthematicis 204. in variolis non ita timenda ib. in variolis cum delirio mala 167. poſt delirium non ita funeſta ib.

Anglicus morbus. vid. Rhachitis

Anorexia eius definitio 443. variae cauſſae ib.

Anthrax peſtilentialis. 11. Anthraces in ventriculo reperti 232

Anxietas praecordiorum ſub horrore 7. oritur in febribus ab impedito humorum tran-

transitu 26. a polypo cordis ib. in febre petechizante, qua ratione leuanda? 140. in purpura 154
Apepsia 444
Aphonia 644
Apoplexia definitio 376. morbi historia ib. discrimen inter exquisitam et leniorem ib. sanguinea et serosa ib. morbi sedes ib. quid in demortuorum cadaueribus reperiatur ib. *serosa*. eius causae 384. dignoscitur a sanguinea colore faciei 385. *exquisita* 380. apoplexiae differentiae ab aliis morbis 377. a syncope 654. relinquitur a malo hypochondriaco 465. metuenda est senibus, qui narium haemorrhagia laborant 269
Ardor ventriculi: vid. Cardialgia.
Arthritis fixa 637. *vaga* 631. morbo venereo superuenit 611. repressa Cephalaeam inducit 339
Ascites 562
Asthma. morbi historia 394. interdum periodicum est, ib. eius sedes non semper in pectore, sed interdum in ventriculo, ib. *flatulentum* ib. differt a catarrho suffocatiuo, ib. *humidum* 395. *siccum* 400. *spasticum* 403. omnium periculosissimum, ib. cur huic obnoxii fiant gibberosi? 403. stomachale 405
Atrophia in pueris rhachiticis 702
Auditus grauitas variae causae 354

B.

Balnea in lue venerea 615. ad reuocandos morbos cutaneos 591. cum scoriis metallicis minus tuta in scabie 590
Bradypepsia 444
Brandstühle 49
Bulimus 450. qua ratione differat a fame canina? ib.

C.

Cachexia quomodo differat ab atrophia? 559. facile mutatur in Anasarcam ib. apoplexiam futuram indicat 315 relinquitur a febribus 20. a nimia haemorrhagia narium 270. a nimio profluuio menstruo 290. a malo hypochondriaco 465
Cacochymia post febres 20. a plethora 264
Calculus, eius partes constitutiuae 238. in hepate vel viis biliferis causa icteri 480. in renibus, mictus cruenti 358. epilepsiam symptomaticam inducit 648
Calor animalis ab attritu sanguinis ib. in febre a vi vitae ib. bonus in febre, si in toto corpore aequalis 10. augetur eo tempore, quo nouus chylus sanguini affunditur 12. aequalis est interdum igni elementari 11
Cardiaca nocent in partu 673
Cardiogmus infantum 692. quibus a causis oriatur? ib.

Cardialgia eius definitio 402. variae cauſſae ib. a vermibus 527. a malo hyſterico 456. ſignum inſtantis icteri 479. ſymptoma in febre petechizante 131
Caries dentium 357
Carminatiua peſtifera ſunt in colica ſanguinea 520
Carus, eius cauſſae 369. eſt cum febre ib. finitur ſaepe neruorum diſtentione ib. in acutis 34. ſignificat corticis gangraenam ib.
Catalepſis. 644
Catamenia. vid. Menſtrua
Catarrhus cohibitus cauſſa lethargi 372. frequens ſymptoma morbillorum 179. cauſſa odontalgiae 357. *ſuffocatiuus* differt ab Apoplexia 420. et aſthmate ib. frequens eſt ſenibus 429. et infantibus 701. in pueris non ita periculoſus ac in ſenibus 432
Catoche ſeu Catochus 644
Cephalalgia, variae eius cauſſae 329. cur a male affecto ventriculo ib. *venerea* ib. ſcorbutica ib. gradu differt a Cephalaea et Hemicrania 328. podagram praecedit 637. ſoluitur nonnunquam ſputo cruento 273
Cephalaea 328. idiopathica et ſymptomatica 333
Cereuiſia aliena in febre quartana 416. in purpura 159
Chiragra 637
Chloroſis, nominis origo 550. quomodo differat a Leucophlegmatia ib.
Cholera eius definitio 489. origo nominis ib. *ſicca* et *humida* ib quomodo differat a dyſenteria ib. eius ſedes praecipua in duodeno 490. periculoſior eſt, ubi febris accedit 491. humida melior eſt quam ſicca ib. accedente febre ſaepe mutatur in Cauſum 489. raro ſalutaris eſt in ſoluendis viſcerum obſtructionibus 491
Clauus hyſtericus, morbi hiſtoria 342. morbi cauſſae 343. eſt ſpecies cephalalgiae 328
Coeliaca quibus a cauſſis oriatur? ib. quomodo variae eius cauſſae dignoſcantur ib. a vermibus 503
Colica, eius definitio, 515. cauſſa morbi non poſita in ſolo colo ib. differt a morbo Iliaco, ib. differt a nephritide ib. quando praeſertim periculum afferat? ib. varia eius genera ib. cauſſa abortus 295. podagram praecedit 637. *conuulſiua* 516. *haemorrhoidalis* 519. quibus ex cauſſis oriatur? ib. *conuulſiua* frequens infantibus 521. *Pictonum* 523. quid in cadaueribus hoc morbo demortuorum repertum fuerit? ib. huius morbi ſedes princeps eſt in meſenterii neruis 524
Coloſtrum 682
Coma ſomnolentum et *vigil* 369
Comedones infantum an vera infecta? 693

Conuulsio, eius definitio 37. cauſſae ib. in febre diſtingui debent tempora 38. peſſima in acutis, quae oritur a lentore inflammatorio 39. a repreſſione exanthematum 40. *critica* in acutis ib. a nimis tenuata febre 93. ab opiatis in quartana adhibitis 114. in variolarum eruptione 164. in phrenitide, ſi inflammatio ad cerebri medullam penetrat 194. in nephritide 234. ante variolarum eruptionem non adeo timenda 167. praecipue in infantibus ib. poſt variolarum eruptionem plerumque lethalis eſt 167. peſſimum ſignum in febre petechiali 144. malum ſignum in inflammatione ventriculi 229. in Ileo morbo 244. 245. *critica* in ardentibus et phrenitide non turbanda 90. eius therapia in febre ibid.

Coryza differt a grauedine et phlegmatorrhagia narium. 347. ſoluit quandoque Cephalalgiam 333

Crampus 644

Cruditates 445. vel a bile, vel a pituita, vel ab acido oriuntur ib.

D.

Debilitas oritur a denegato influxu ſanguinis et fluidi neruei in muſculos 5. periculoſa in malignis 31. augetur ſanguinis miſſione ib. a ſpirituoſis et narcoticis 30

Deiectiones nigrae in inflammatoriis ſub finem 49. in febribus. Earum cauſſae 45

Delirium, ſi materia peccans ad cerebrum fertur 30. a podagra repreſſa 33. a retenta vrina ib. febrile temperatur excretionibus iuuandis 88. ſymptoma quartanae 111. in inflammatione ventriculi 228. in ſynocho ſimplici 183. in febre petechizante 131. malum ſignum in inflammatione ventriculi 229. in variolis 167. non raro indicat variolas ad caput conuerſas eſſe 171. in phrenitide ſine intermiſſione eſt 193. in Ileo morbo peſſimum ſignum 244. malum ſignum in dyſenteria 510. in phrenitide melius eſt cum riſu, quam cum anxietate 197

Dentitio difficilis 696. varia mala habet ſymptomata 696

Diabetes, definitio morbi 539. quomodo differat a nimio profluuio vrinae? 540. variae morbi cauſſae 542

Diaphoretica in exanthematibus repreſſis proficiunt 81. quando in purpura dari poſſint? 159

Diarrhoea, eius definitio 495. morbi cauſſae ib. critica, ſaepe expellit coagulum inflammatorium ib. differt a dyſenteria 496. et cholera ib. a paſſione coeliaca ib. a liente-

lienteria ib. toleranda in catarrhalibus malignis 92. quomodo moderanda, si febribus exanthematicis superuenit? ib. ex quibus signis cognoscatur? 498. venereis in ptyalismi curatione superuenit 618. in dentitione bonum signum 696. puerperarum 679. interdum est symptoma inflammationis vteri ib. soluit interdum febrem petechialem 142. raro in febribus ardentibus critica 189. quaenam eius futurae in hoc morbo signa? ibid. quandoque soluit Anginam 204. Cephalalgiam 333. Otalgiam 350. Apoplexiam rarius 376. causſa abortus 293. in febre biliosa orta quomodo moderanda? 190. in quotidiana febrem breuem futuram esse significat 109. in variolis mala ab initio et sub eruptione 167. in confluentibus bona ib. post eruptionem toleranda ib. pessimum signum in morbillis malignis 180. in hydrope saepius letifera quam critica est 566. critica in pleuritide et peripneumonia 216. *colliquatiua* 497

Dulcia nocent in Dysenteria 512

Δυσφορία 27

Dysenteria, eius definitio 507. eius futurae signa ib. morbus contagiosus est ib. eius historia ib. deiectiones mucosae periculosissimae ib. benigna est, quae febrem non habet ib. maligna cum febre ib. critica insanos lienososque curasse dicitur ab Hippocrate ib. quale discrimen positum sit in affectis intestinis? 508. quomodo differat a fluxu hepatico? 486. est causſa abortus 293. secta cadauera demortuorum quid ostenderint? 509 et 511

Dyspepsia, morbi definitio et causſae 444

Dysuria, definitio 531. an eius causſa quaerenda sit in caruncvlis ib. oritur interdum ex abscessu ib.

E.

Elephantiasis 592. quomodo differat a lepra ib. morbi historia ibid. morbi sedes 593

Emmenagoga quando imperanda? 285

Epilepsia, morbi descriptio 644. quomodo differat ab aliis similibus morbis? 644 et 645. variae morbi causſae 647 et 648. morbi imminentis signa 646. quomodo dignosci possint, qui hunc morbum simulant? 645. metuenda a Cephalaea 340. a malo hypochondriaco relicta 465. a materia rheumatismi in cerebrum repressa 631. si pueris in catarrho suffocatiuo accedit, malum signum 432

Frigus in febre oritur, quia ſanguis ſpaſmo magis verſus cor exprimitur 4

G.

Gangraena a lentore febrili 19. in phrenitide indicatur ſudore frigido 194. in angina eius futurae ſigna 204. in pleuritide 216
Gonagra 637
Gonorrhoea benigna, eius differentiae 605. interdum reuocanda eſt, ſi ſtrangurian pertinaciorem reliquit. 523. *maligna*, morbi cauſſae 596. eius diagnoſis ib. variae eius ſpecies 597. facilius interdum curatur, quam benigna 599. raro tollitur ptyalismo 601
Grauedo vnde oriatur? 334 347
Grauidae ſyncope corripiuntur ex motu infantis in vtero 655

H.

Haemoptyſis, definitio 273. quomodo differat a ſputo cruento ib.
Haemorrhagia metuenda in ſcorbuto, ſi magnae maculae rubicundae adſunt 625. ſoluit quandoque phrenitidem. 197. raro hepatitidem 223. et apoplexiam 376. critica in pleuritide et peripneumonia magna eſſe debet 276. parca peſſima ib. narium critica et ſymptomatica 269. in ſenibus apoplexiae metum facit ib. critica in conuulſionibus 40. in Cephalalgia 330. in Otalgia 350. mortis indicium eſt in hydrope 566. lethifera quandoque in hecticis 269
Haemorrhoides, variae huius morbi cauſſae 305. diuerſae ſpecies 306. quo aetatis anno ſalutares? 507. qui homines iis praecipue obnoxii ſint ib. non omnes ſunt ſalutares 305. difficile reſtituuntur 311. ſq. *coecae* 314. quomodo moderandae ib. eorum profluuium ſaepe eſt criticum 305. in Cephalaea 339. in vertigine ſymptomatica 363. in angina 284. in phrenitide 197. in nephritide 236. in ſcirrho hepatis 476. in Colica ſanguinea 519. in mania 661. in ſcorbuto 625. *ſuppreſſae* varios morbos gignunt 507. phrenitidem 196. anginam 203. haemoptyſin 274. vomitum cruentum 279. *varices* 326. cephalalgiam 329. odontalgiam 357. vertiginem 361. ſtranguriam 531. ſcabiem 585. cachexiam 558. ſcorbutum 624. rheumatiſmum 632. podagram 639. epilepſiam 648. podagram leuant non tollunt 639. funeſtae ſunt cachecticis 309
Hectica 249. in ea peſtifera eſt ſanguinis miſſio 71. a nimio profluuio menſtruo 290. a Cholera male curata 91

Hemicrania 328
Hemiplegia 326
Hepatitis, eius diuersa genera 223
Hepatis tumor et scirrhus, variae eius causſae 474
Horror, signum pathognomonicum febris 2. vnde oriatur 3
Hydatides 562
Hydrocele 562
Hydrops, variae eius causſae 565. 576. diuersae species 563. oriri potest a tertiana nimis diuturna 100. a quartana 113. a nimio profluuio menstruo 290. a fluxu hepatico 487. a diarrhoea diuturna 498. in ictero quando metuendus 481. *pectoris*, morbi signa 574. differt ab asthmate humido. ib. *vteri* quomodo a graviditate differat 563
Hypochondriacum malum, definitio morbi 462. differt a malo hysterico 462. causſa eius proxima 463. oriri potest a cortice peruuiano in febre quartana intempestiue adhibito 114. causſa saepe est apoplexiae sanguineae 379. morbo venereo superuenit. 611
Hysterícum malum, eius futuri signa 456. morbi sedes 455. quid statuendum de causſa eius proxima? 459. quomodo differat a variis morbis 457. ante pubertatem vix eo afficiuntur puellae 458

I.

Ictterus, morbi definitio 479. variae eius causſae 480. *criticus* 479. *flauus* et *niger* ib. a quartana relictus 113. ab intempestiuo vsu corticis peruu. in quartana 114. pessimus, qui cum hepatitide est 480. lethiferus, qui quartanae accedit 481. et in hydrope ib. pessimus est in febre sine signis coctionis ib. salutaris quandoque in febribus acutis ib. oritur interdum a calculis 480
Ileus morbus, definitio 243. origo nominis ib. indicia morbi 244
Incontinentia vrinae 544
Incubus 644
Infans recens natus, quomodo tractandus? 681 sqq. *infantum* morbi 684
Infarctus viscerum ab intempestiue datis purgantibus in febre 63
Inflammatio semper est cum febre 1. a lentore febrili 19. metuenda est in febre, si pars prae altera calet 10. in variolis 164
Intertrigo infantum, morbi definitio 695
Ischuria, eius definitio 536. esse solet quandoque cum ileo morbo 244. huius rei causſa ib.

L.

Lac, quando irruat in mammas? 681. bonitatis notae 682. eius defectus ib. vitiatum

atum in infantibus cauſſa morborum 684
Lepra 594
Lethargus, morbi hiſtoria 370. eius cauſſae 372. diſtinguendus eſt a critico ſomno 371. raro ſoluitur ſuppuratione 370
Leucophlegmatia quomodo differat ab aliis hydropis ſpeciebus 562. relinquitur interdum a diarrhoea diuturna 498
Lien in ſcabioſis poſt mortem tumidum et ſcirrhoſum repertum 585
Lienis tumor et ſcirrhus 469. morbi inſtantis notae 470. quomodo dolor differat a colico et nephritico ib. raro ſoluitur ſuppuratione 472
Lienteria, morbi definitio et ſedes 502. variae eius cauſſae ib. quomodo differat a paſſione coeliaca ibid. ſi orta fuit a potu glaciali, corrigitur carminatiuis 586
Lipothymia, morbi deſcriptio 654. quomodo differat a ſyncope ib.
Lochia, eorum deſcriptio 298. quibus maiori in copia fluant ib. quibusdam foeminis nulla fluunt 302. *profluuium nimium* 298. eorum defectus vnde oriatur? 300. *obſtructa* poſt partum, cauſſa ſunt ſterilitatis 664
Lues venerea 607. dolores in hoc morbo quomodo ab aliis dignoſcendi 608. quomodo differat a ſcorbuto 610. facilius tollitur in foeminis 611. ſi ſcorbuto ſuperuenit, quomodo ſuperanda? 629
Lumbrici lati 529. *teretes* 528

M.

Malacia 457
Mania 657. raro tollitur 661
Marcor ſenum 708 ſq.
Materia peccans in febribus quomodo expellatur 59
Melancholia, morbi definitio 657. quomodo differat a delirio et mania ib.
Menſtrua, quo tempore prouenire ſoleant? 283. quibus naturaliter non proueniant? 287. eorum defectus non ſemper eſt cum mulieris aegritudine. ib. pendet interdum a mala vteri conformatione 286. non deficiunt ſemper in lactantibus 682. proueniunt interdum in grauidis 292. quomodo diſtinguantur a ſanguine, qui in abortu fluit? ib. nimium profluuium 290. quibus cauſſis turbentur? 284. nimis interdum fluunt a retenta parte placentae 291. ſi venereis ſub ptyalismi curatione veniunt, omittendus eſt Mercurius 618. ſub eruptione variolarum periculum faciunt 174. ſuppreſſa omnis generis morbos pariunt, phrenitidem 196. anginam 203. odontalgiam 357. vomitum cruentum 279. vertiginem 361. malum hyſtericum 458. ſcabiem 585.

cachexiam 558. rheumatismum 632. ſcorbutum 624. epilepſiam 648. haemoptyſin 274. ſunt interdum cauſſa ſterilitatis 664. ſaepe ſunt *critica*: in phrenitide 197. in angina 204. nephritide 236. mania, 625. colica 579 ſoluunt quandoque epilepſiam, quae cum pubertate veniunt 650
Miſtus cruentus, definitio 317. variae cauſſae 318. raro criticus 321
Morbilli 179 ſqq. quandoque relinquunt phthiſin 423

N.

Nauſea vid. Vomitus.
Nephritis, variae ſpecies 233. hiſtoria morbi 234. quomodo differat a dolore Iſchiadico 235. eſt morbus haereditarius 237. *inflammatoria* 237. *calculoſa*, quando periculum afferat 241. ex inflammatoria interdum relinquitur 238

O.

Obſtructio alui, cur Cephalalgiam inducat? 330. in grauidis metum facit abortus 667. *narium* in infantibus 694
Oculi ſignum in cephalalgia 328. in apoplexia ſanguinea 378. in phrenitide 194. *torui* in pleuritide indicant futuram phrenitidem 216. *oculorum vitia* a variolis relicta 167. quomodo auertenda 175
Odontalgia, eius diuiſio 358. leuatur interdum ſanguinis miſſione ib.
Oedema quomodo differat a Leucophlegmatia? 563
Opiſthotonus 644
Otalgia, morbi ſedes 348. differentiae quaedam ib. oritur interdum ex dentitione ib. in febribus ardentibus cum coctionis ſignis bonum eſt 351. cum cruditate mortem denuntiat ibid.

P.

Pallor in febre 1
Palpitatio cordis, definitio 427. eius cauſſae ib. in malo hyſterico 456. in chloroſi 550. in malo hypochondriaco 462. in ſcorbuto 623
Paracenteſis 575. in aſcite ib.
Paralyſis, definitio et cauſſae morbi 387 ſeq. pendet ſaepe a laxa cohaeſione elementorum 388. eius futurae indicia 390. ex Anatome illuſtratio 389. frequentior eſt in apoplexia ſanguinea, quam in ſeroſa 385. ſublata interdum fuit repentinis animi commotionibus 390
Paraphrenitis, definitio 193. ſymptomata 195. quomodo differat a phrenitide ib.
Paraplegia 376
Pareſis 376
Partus 673. difficilis 669. dolores veri et ſpurii 671

Peſtis eius origo 146. morbi hiſtoria et ſymptomata 148 ſq. quid in demortuorum cadaueribus repertum fuerit? 147
Petechiae optimae ſunt rubellae, peſſimae obſcurae et liuidae 133. ſi cum purpura erumpunt, malum ſignum 158
Phlegmatorrhagia 347
Phrenitis, definitio et diuiſio 193. quomodo differat a delirio? 197
Phthiſis, morbi definitio 422. quomodo diſtinguatur a morbis ſimilibus ib. eſt interdum cum contagio ib. quando praeſertim periculoſa ſit? 424
Pica frequens ſymptoma grauidarum 451
Plethora, eius definitio et diuiſio 261. mali eius effectus 264. mutatur in cacochymiam ib. qua ratione auerti poſſit? 265. *cauſſa eſt plurium morborum*: vertiginis 361. apoplexiae ſanguineae 379. chloroſis 357. Cachexiae 558. multum confert ad ſcorbutum 624
Pleuritis, origo nominis 211. diuerſa genera ibid. *ſpuria* 426. ſoluitur quandoque mictu cruento 321. Symptomatica peſſima eſt 215. an ſolui poſſit ſputo cruento? 214 216
Podagra, morbi ſigna 637. eius cauſſae 638 ſq. natura materiae morboſae 638. oritur quandoque poſt metaſtaſin ex malo hypochondriaco ad articulos factam 463. male curata varios inducit morbos: anginam, 203. pleuritiden 215. phrenitidem 196. vertiginem 362. paralyſin 393. aſthma 400. palpitationem cordis 427
Polypus cordis, eius definitio 438. nominis origo ib. cauſſa eſt apoplexiae ſanguineae 379. *in ſinubus duae matris haerens* cauſſa apoplexiae ſeroſae, 384. *in vaſis iugularibus* ſyncopen inducit 655
Priapismus quomodo differat a ſatyriaſi? 555
Ptyalismus criticus in variolis confluentibus 167 173
Pulſus velox ſemper in febre 6. *velox* eſt, quia ſanguis maiori copia verſus ventriculum dextrum et in arterias coronarias congeritur ib. ſub horrore febrili velox eſt, ſed *debilis* 2. in paroxysmo febris *durus* eſt 15. *mollior* fit per aeſtum ib. eius phaenomena in febre tertiana 96. in quartana 111. in febre petechizante 131. in peſte 149. in purpura 154. in peripneumonia 213. in febre ephemera 177. in pleuritide 213. in hepatitide 223. in ventriculi inflammatione 228. in nephritide 235. in apoplexia 377. in catarrho ſuffocatiuo 394. in aſthmate 394. in ſyncope 377. in Ileo morbo 244. in phrenitide 194. in febre lenta 249. in hectica ib. in malo hypo-

hypochondriaco 462. in cachexia 557. in hydrope 564. in tympanitide 577. in ſcorbuto 623. in epilepſia 645. in lipothymia 654. in ſyncope vel nullus vel debilis et *intermittens* ib. in chloroſi 550. *celer* atque *fortis*, in inflammatione ventriculi, venae ſectionem indicat 230. fallacia eius ſigna in pleuritide et peripneumonia 216. paulo *celerior* bonum ſignum in apoplexia exquiſita 380. *magnus* et *tardus* bonum ſignum in hydrope 566. *fortis* et *velox* periculum indicat in apoplexia ſanguinea 378. ex duro in mollem mutatus malum ſignum in febre bilioſa 189. *debilis* et *inaequalis* malum ſignum in dyſenteria 510. *debilis* et *inaequalis* malum ſignum in febre petechiali 144. celerior et debilis mortis quandoque indicium in febre lenta 250

Purgantia in febre petechiali 145. in febre tertiana, quomodo exhibeantur? 105. in lethargo 373. in apoplexia ſanguinea 382. in aſthmate humido 396. in Cephalalgia ferosa quando adhibenda? 336. 337. in aſthmate ſicco 401. in dyſenteria 511. in ſcabie. 587. in rheumatismo 635. in ſcorbuto ab initio bona ſunt, peſtifera, vbi morbus adoleuit 626. aliena ſunt in febribus tempore cruditatis 63. in ſemitertiana plerumque ſunt fugienda 123. validiora nocent in Cephalalgia 331. in hydropicis, vbi febris vrget 569. *nocent* in peſte 157. in cachexia, quae a magna euacuatione relicta eſt 561. in mania 663. *eorum abuſus* in febre quartana continuam et hecticam relinquit 114. *nocet* in malo hypochondriaco 467. inflammationem ventriculi parit 227. *non temere adhibenda ſunt* ad euitandum variolarum contagium 177. in febribus acutis turbant materiae coctionem 63. poſſunt interdum febrem reuocare 106

Purpura, eius hiſtoria 153. diuiſio ib. morbi ſedes 155. bonitatis et malignitatis ſigna 153. cur frequentior ſit puerperis? 156. in his ſaepe oritur ab obſtructione lochiorum ib. metuenda eſt in petechiis, ſi aeger his praeſentibus de magna anxietate conqueritur 133. raro ſoluitur ptyalismo critico 154. quandoque ſoluit vteri inflammationem 676. *repreſſa* reuocanda eſt veſicatoriis 81. 93. *ſcorbutica*, morbi hiſtoria 161. ſoluit quandoque rheumatismum 633

Pus in inflammatoriis raro cum aegri leuamine excernitur 47. *foetidum*, malum ſignum in phthiſi 427

R.

Raucitas, morbi ſedes 415. acuta et chronica ib. eius cauſſa ib. in morbillis inſignem malae materiae acrimoniam ſignificat ib.
Rhachitis, morbi cauſſae 703. eſt morbus, quem a parentibus accipiunt infantes ib. nominis origo 702. morbi ſymptomata ib. quid in demortuorum cadaueribus reperiatur? ib. morbo venereo ſuperueniens 611. eſt cauſſa lienteriae coeliacae 502
Rhachiticus puer vſu ext. Therm. Aquisgr. conualuit 707
Rheumatismus, morbi deſcriptio 631. gradu differt ab arthritide vaga ib. repreſſus, hepatitidem gignit 223
Rigor Celſi 644
Riſus Sardonius 644
Rubefacientia in delirio febrili 88

S.

Sanguinis miſſio. vid. Venae ſectio.
Sanguis in aeſtu febrili coaceruatus in pulmonibus anxietatem facit 26
Satyriaſis quomodo differat a Priapismo? 555. morbi ſedes ib.
Scabies, morbi definitio 583. *humida* et *ſicca* ib. morbi ſedes 584. variae eius cauſſae 585. quomodo interdum reuocanda ſit? 591. *critica* varios ſoluit morbos 586. male curata multos adfert ib. *male curata* cauſſa lethargi 372. repreſſa Paralyſin inducit 393. aſthma ſiccum relinquit 482. palpitationem cordis inducit 427. *ſoluit* quandoque rheumatismum 633. interdum epilepſiam 650
Scirrhi viſcerum a corticis peruuiani intempeſtiuo vſu in quartana 114
Scorbutus, morbi definitio 622. quomodo differat a morbo venereo? 610. materiae morboſae deſcriptio 623. differentia inter calidum et frigidum 626. variae eius cauſſae 624. a malo hypochondriaco relictus 465. cauſſae cephalaeae 339
Singultus 644
Sitis in febre oritur ab anheloſa reſpiratione, quae fluida in faucibus abſtergit 28
Soda, vid. Cardialgia.
Somnus criticus eſt in febre poſt euacuationem criticam 36. et ſi aegri poſt profundum et longiorem ſomnum conualeſcunt ib. frequens infantibus ib. huius cauſſa ib *criticus* 371
Sopientia quando ferri poſſint in diarrhoea? 501. quando adhibenda in cholera? 493. peſtifera poſt partum 162
Sopor poſt graue delirium in febre plerumque funeſtus 89
Soporoſi morbi. Cauſſae 369. varia nomina ib.

Spasmus cynicus 644. quomodo differat a conuulsione ib.
Spastica contractio in febre ab internis cauſſis 2
Specifica nunquam in acutis, ſed ſolis intermittentibus, locum habent 72
Sphacelus in febribus exanthematicis adeſſe creditur, ſi puſtulae ex purpureo colore in atrum mutantur 52. in phrenitide futurus indicatur ſudore frigido 194
Sterilitas 664. relatiua ib.
Stomacace 630
Stranguria 531. quomodo differat a dyſuria et Iſchuria ib. variae eius cauſſae ib.
Sudor frigidus in Ileo morbo 244. foetidus in purpura 154. pinguis in febre lenta 249. *colliquatiuus* in magnis ſuppurationibus 44. in febribus 41. *criticus* ſoluit interdum anginam 204. hepatitidem 223. cephalalgiam 330. inflammationem vteri 676. rarius malum hyſtericum 456 ſalutaris eſt in rheumatismo 631. *criticus* raro occurrit in cholera 489. in apoplexia 376. leniter iuuandus in febre petechizante 136. in quartana non facile mouendus 115. in febribus ab initio raro bonus eſt 42. in inflammatoriis auget lentorem ib. in quotidiana, febrem breuem futuram eſſe indicat 109. bonum ſignum eſt nonnumquam in peſte 150. *foetidus* cum coctionis ſignis bonum ſignum in purpura 158. *calidus* in phrenitide 197. *copioſus* malum quandoque ſignum in purpura 158. *frigidus* malum ſignum in inflammatione ventriculi 229. in phrenitide 194. in dyſenteria 510. *cohibitus* cauſſa aſthmatis ſpaſtici 403. dyſenteriae 509. rheumatismi 630
Sudorifera aliena ſunt tempore cruditatis 65
Suppuratio variolarum 164. in pleuritide eius futurae ſigna 216. in nephritide 236. arte producenda eſt in lethargo 373
Surditas oritur quandoque a redundantia bilis 254. relinquitur a phrenitide 197. huius rei cauſſa ib. eſt in angina 203. bonum quandoque ſignum eſt in febre petechizante 130. in phrenitide 197
Syncope, morbi deſcriptio 654. quomodo differat a lipothymia et apoplexia ibid. morbi ſedes 655. in grauidis metum facit abortus ib. hoc morbo correpti quomodo a mortuis dignoſcantur 654
Synochus putrida, morbi hiſtoria 184

T.

Teneſmus, morbi definitio 525. variae eius cauſſae ib. in grauidis vnde oriatur? ib.

ſignum quandoque eſt futuri abortus ib.

Tetanus 644

Tinea repreſſa cauſſa vertiginis 362

Tumores a febribus relicti 20 *genitalium* poſt partum 678. abdominis poſt partum 680

Tuſſis definitio 406. variae eius cauſſae ib. diuerſae ſpecies ib. interdum epidemica eſt ib. frequens eſt in morbis exanthematicis ib. raro oritur a vermibus ib. quomodo dignoſcatur vtrum ſit ex ventriculo, an ex pulmonibus 408. cauſſa poteſt eſſe abortus ib. ſub *dentitione* plerumque eſt conuulſiua 696

Tympanitis, morbi definitio 577. quomodo differat ab Aſcite ib. ab Emphyſemate ib. et Cholera ſicca ib. magna eius cauſſa poſita eſt in bile 578. ei magis obnoxiae ſunt foeminae 579

V.

Varices, origo nominis 324. definitio ib. variae cauſſae 325. in grauidis edito partu euaneſcunt 327. quandoque ſoluunt malum hypochondriacum 465

Variolae, nomen 163. earum diuiſio ib. morbi futuri indicia 164. hiſtoria morbi ib. diuerſa ſtadia ib. quandoque inhaerent viſceribus 165. interdum ſine febre ſunt ibid. *confluentes* 164. earum indicia 166. ſigna bonitatis et malignitatis 166. *ſpuriae* 178. earum genera ib. ſi ad caput nimium conuerti videntur, quid faciendum? 171. malum ſignum, ſi eo tempore, quo pus alunt, noua febris accenditur 173. magnum periculum, ſi variolis erumpentibus catamenia fluunt. 174. *cicatrices* vnde oriantur 176. quomodo auertendae? ib. *Inoculatio* 177. malignae aſthma quandoque relinquunt 400. quandoque relinquunt phthiſin 423

Venae ſectio, ei non temere adſue fieri debet aetas iuuenilis 265. ſaepius inſtituta obeſos reddit homines ib. et cachexiam relinquere poteſt 558. non negligenda eſt in ſenibus 709. in puerperis ante partum neglecta, purpuram efficere poteſt 156. imperanda eſt in febribus acutis et inflammatoriis 66. in febribus optima eſt ab initio 67. in acutis non facile poſt tertium diem 68. auertere poteſt inflammationem 66. medetur aliquando debilitati febrili 86. mitigat febrem iuſto vehementiorem 54. proficit ad auertendum a grauidis variolarum contagium

gium 174. et ad auertendam purpuram 162. neceſſaria eſt in phrenitide 198. in angina 205. in pleuritide 217. in hepatitide 225. in nephritide calculoſa plethoricis 241. in Ileo morbo 246. in haemorrhagiis variis 268. in nimio profluuio menſtruo 291. in repente ſuppreſſis menſtruis 288. in haemoptyſi 276. vbi abortus imminet 294. in varicibus 326. in otalgia 351. in odontalgia 358. in apoplexia ſanguinea 381. in Iſchuria, quae a vitio renum pendet 538. in colica conuulſiua 522. in fluore albo benigno 549. in Satyriaſi 556. in venereis ante curationem per ptyalismum 615. in variis ſymptomatibus, quae ptyalismum ſuperueniunt 618. in podagra 641. in gonorrhoea maligna 600. in vteri inflammatione 677. in epilepſia plethoricis ſalutaris eſt 652. in paralyſi ab initio inſtituenda 391. quibus conditionibus inſtitui debeat in febribus exanthematicis? 69. quando neceſſaria ſit in febre bilioſa 190. quo pacto in purpura concedi poſſit 159. *quibus conditionibus* in nephritide, inflammatoria inſtituenda ſit? 239. in vomitu cruento 287. in haemorrhoidibus 313. in mictu cruento 320. in pleuritide 218. in peripneumonia ib. in vertigine 364. in lethargo 374. in vomica pulmonum 421. in catarrho ſuffocatiuo 433. in tuſſi 414. quid de ea ſtatuendum in malo hypochondriaco 467. in lochiorum obſtructione 302. 304. non ſtatim imperanda eſt in vitiis menſium 285. et in phthiſi 425. *raro neceſſaria* eſt in febribus intermittentibus 70. in febre petechizante 135 in dyſenteria 514. in ſcabie 587. *variſſime* in febre quartana 70. *dubia* in variolis 169. in melancholia et mania non ſemper ſalutaris 663. *aliena* eſt in febribus acutis et continuis durante exacerbatione 67. in febribus exanthematicis inflammationem ſaepe affert lethalem 69. *nocet plerumque* in eryſipelate 71. in grauidis, vbi febricula acceſſit 174. in febre quotidiana 110. in catarrhali benigna 126. in chloroſi, niſi plethora hoc iubeat 552. in Cephalaea 340. in ſcorbuto 629. in ſcirrho lienis 472. in hydrope 570. durante delirio 88. *peſtifera* eſt in febribus malignis 71. in hectica 249. in vertigine corporibus infirmis 368. in paralyſi confirmata 391. in obſtructione lochiorum, ſi febris iam acceſſit 304. in podagra durante paroxysmo 641

Venerei morbi 595. an materies morbosa acidae indolis sit? ib.

Ventriculi atonia; quibus ex caussis cognoscatur 441. quomodo differat a dyspepsia et cruditatibus 440

Ventriculi inflammatio, variae eius species 227. eius signa 228. quomodo differat ab erosione ib. peior est symptomatica ib. quaenam pessima sit? 232

Vermes tria horum genera 526. quibus signis adesse cognoscantur? 527. frequentiores sunt infantibus ib. quomodo icterum parere possint? 480. caussa sunt interdum inflammationis intestinorum 244. vertiginis 362. raucitatis 415. diarrhoeae diuturnae 497. passionis coeliacae 502. dysenteriae 509. colicae 516. in infantibus praecipue inducunt epilepsiam 648. et rhachitidem 703. in *caluaria* reperti cephalaeam concitant 339. in morbis acutis, si sponte vel per os vel per aluum efferuntur, mortem instare significant 527

Vertigo, definitio morbi 360. magnum discrimen inter idiopathicam et symptomaticam 361. *idiopathica* pessima est. 363 *symptomatica* crisin interdum antecedit 361. *ex ventriculo orta* eius indicia et curatio 366. malum symptoma est in malo hypochondriaco 465. signum est instantis apoplexiae 330. et paralysis 390

Vesicatoria in purpura repressa 93. 159. in febre petechizante 140

Voluulus intestinorum 243

Vomica pulmonum, definitio 417. quomodo differat a phthisi et empyemate ibid. quomodo ab initio dignosci debeat? ib. variae eius caussae 418. ex peripneumonia relicta 216

Vomitoria, quibus conditionibus indicentur 61. eorum vtilitas in febribus 60. in intermittentibus dari debent tempore ἀπυρεξίας 61. in malignis ab initio ib. quando dari possint in tertiana? 101. et 105. medentur aliquando anxietati 84. qua ratione *adhibenda* in febre biliosa? 190. in vertigine 366. in Cholera 492. in Dysenteria 511. in Diarrhoea 501. in Lienteria 505. in Scorbuto 626. *non semper tuta* sunt in malignis, vbi morbus iam adoleuit 61. in epidemicis intermittentibus 101. in asthmate stomachali 405. in febre lenta, nisi robustioribus

454. in Ictero 482. *aliena* sunt in inflammationibus, praesertim ventriculi 62. quando tamen possint adhiberi 231 sq. in peste 157. in vertigine idiopathica 367. senibus in catarrho suffocatiuo 435

Vomitus a *variis caussis* oritur: a laesa aponeurosi musculorum abdominalium 29. a deprauatis humoribus in ventriculo ib. a spasmis ib. a male affecto cerebro ib. *in febribus*, quia sanguis difficilius per neruosum ventriculum mouetur ib. in acutis a putrescente in ventriculo humore 83. *frequens* est in acutis ibid. in tertiana 96. in quotidiana 109. in quartana ab initio 164. in nephritide 234. in Ileo morbo 244. in obstructione lochiorum 301. in asthmate humido 395. in fluxu hepatico 485. in Cholera 489. in colica 516. *soluit* interdum febrem biliosam 189. eius futuri in hoc morbo signa ib. Cephalalgiam serosam 337. vertiginem 362. apoplexiam 376. leuamen affert in nephritide calculosa 235. *raro criticus* est in Cholera 489. non semper criticus in vertigine, sed saepius symptomaticus est 362. in quotidiana breuem febrem futuram esse indicat 109. *spontaneus*, in dysenteria ab initio aliquando salutaris 510. *malum signum est* in febre petechizante 133. in variolis post eruptionem 167. in apoplexia sanguinea 379. et plerumque in dysenteria 510. *in grauidis* abortus metum facit 666. *cruentus* raro sanatur 278. variae eius caussae 279. quomodo dignoscatur a haemoptysi 278. *non ita malus* est, qui a suppressis menstruis oritur 280. *lethiferus* in morbis acutis 280. in hominibus lienosis 471

Vrina rutilans 54. spumida ib. *eius vicissitudines* in tertiana 96. in purpura 154. in phrenitide 194. in hepatitide 223. in nephritide calculosa 235. in febre lenta 249. in febre hectica ib. in vitiis mensium 283. in apoplexia 378. in phthisi 424. in malo hysterico 456. in malo hypochondriaco 462. in hominibus lienosis 469. in scirrho hepatis 475. in fluxu hepatico 485. in colica 515. in Chlorosi 550. in Cachexia 557. in tympanitide 577. in Gonorrhoea maligna 599. in podagra 637. in scorbuto calido et frigido 623. *critica* in hepatitide 223 et 225. in Cephalalgia 330. in Ictero 487. in Rheumatismo 631. rarissime in vomica pulmonum 417. *Notae bonitatis* in nephri-

phritide inflammatoria 236. in ictero 487. in hydrope 566. in Cachexia 559. *mala* eius signa in purpura 158. in variolis 167. in febre biliosa 189. in phrenitide 197. in angina 204. in hepatitide 224. in nephritide inflammatoria 239. in Ictero 487. in hydrope 566. in ascite 577. in tympanitide 582. *crassa*, *arenosa* et aliquantulum *sanguinea* in nephritide calculosa, calculum in vesicam deuolutum esse, significat 235. *cruda*, *crassa* et *pallida* vermes indicat 527. *aquosa* signum est mali hysterici 456. cruda et aquosa signum quandoque imminentis epilepsiae 646. lixiuiosa et nigricans mortis indicium in febre lenta 250. eius *suppressio* in nephritide calculosa 235. in Colica Pictonum 523. in grauidis 672. *Defectus* in infantibus a spasmis 698. ab imperforata vrethra ib.

Vteri inflammatio vnde oriatur? 675. eius differentiae ib.

INDEX II.

MEDICAMENTORVM

PASSIM LAVDATORVM.

A.

Acetum 192. 268. 373. 454. 494. *squilliticum* 397. 568. *liliorum convallium* 651.
Acida valentia aliena sunt in purpura 160.
Aethiops mineralis 341. 412. 416. 530. 589.
Agaricus 392. 395. 396. 365. 560. 385. 613.
Alcohol 271.
Alexipharmaca 160.
Aloë 266. 529.
Amygdalae 128. 159. 200. 219. 232. 514. 529.
Alumen pro specifico habetur in febribus 72.
Anima rhabarbari 700.
Antimonium crudum 594. 613. *diaphoreticum* 110. 137. 159. 169. 174. 253. 341. 426. 433. 589. 594. 654. 692. 695.
Antimonialia emetica nocent in cholera 492.
Aquae minerales 549. 553. in epilepsia, quando salutares sint 652. laudantur in melancholia 662.
Aqua Egrana 312. in melancholia 662.
- Pyrmontana 118. 312. 416. 606. 641.
- Schwalbacensis 312. 315. 627. 641. 662.
- Sedlitzensis 582.
- Selterana 82. 161. 182. 225. 239. 240. 253. 255. 310. 416. 467. 522. 533. 552. 606. 642.
- Spadana 315. 627. 662.
- Thermarum Carolinarum 636.
- Calcis viuae 628. laudatur in scorbuto ib.
- Ceraforum 673.
- Cinnamomi 172. 656. 669. 673.
- Corticum aurantiorum 303. 533. 673. 686. 698.
- Foeniculi 560.
- Fragorum 538.

Aqua Meliſſae 139. 303. 499. 517. 522. 673. 677.
- Phagedaenica 590.
- Prophylactica Syluii 65.
- Reginae Hungariae 669.
- Saluiae 630.
- Sambuci 692.
- Sclopetorum 695.
- Fl. Tiliae 652.

Arcanum duplicatum. 84. 110. 364. 414. 445. 520. 690. 700. 706.

Aromata nocent in nephritide 239.

Arſenicum pro ſpecifico habetur in febribus intermittentibus 72.

Aſa foetida 460. 461. 467. 529. 552.

Auena 230. 239.

Aurum fulminans 529.

Axungia ſuilla. 615.

B.

Baccae Iuniperi 240. 247. 352. 391. 395. 366. 434. 567. 707.
- Lauri 391. 434. 567. 606.

Balſama nocent in nephritide 239. non tuta ſunt in dyſenteria 533. quid de eorum vſu ſtatuendum in vomica pulmonum? 421. laudata 494. 581. 606.

Balſamum Auguſtanum 656.
- de Copaiua 421. 602.
- Embryonum 669. 671.
- Peruuianum 337. 386. 393. 421. 443. 602.
- Scherzeri 336. 656.
- Stomachicum 505.
- Vitae 386. 391. 434.

Bilis Lucii piſcis 532. anguillaris. ib.

Borax 673.

C.

Camphora 175. 433. 529.

Cantharides 89. 150. 353. 393. 628. in purpura repreſſa 81. in delirio febrili 88. *alienae* ſunt in variolis confluentibus 173. ſi febris adeſt, vel metuenda ſanguinis reſolutio 373. in lethargo neruorum diſtentionem protulerunt ib.

Cardamomum 146. 707.

Caricae pingues 128. 220. 239. 397. 401. 411. 635.

Caryophyllus aromaticus 359.
Caſſia lignea 116. 255. 398. 442. 446. 488. 543. 549. 600.
Caſtoreum 344. 460. 677.
Ceraſa 136. 137. 169. 190. 488. 627.
Ceruſſa 659.
Chocolata 700. 706.
Cinnabaris 90. 127. 161. 173. 303. 359.
Cinnamomum 139. 145. 499. 500. 707.
Cryſtus Antimonii 135. 445.
Coffee 667. 697. 700. 706. eius abuſus multum confert ad purpuram ſcorbuticam 161.
Colocynthis 385
Collyrium Lanfrancii, 619.
Conchae praeparatae 127. 425. 454. 482. 666. 667. *citratae* 281.
Confectio Alkermes 145. 656.
Strobilorum Pini 606.
Conſerua florum perſicorum 530.
- roſarum pallidarum 601.
- roſarum rubrarum 421.
- viſceralis 248. 313. 337. 442. 505.

Coralliа 91. 268. 281. 310. 420. 488. 529. 606. 652. 668.
Cornu cerui 79. 116. 159. 161. 256. 276. 281. 321. 322. 335. 466. 511. 529. 549. 683. 695. 707.
Cortex Aurantiorum 104. 553. 560.
- Caſcarillae 72. 130. 330. 340. 412. 442. 446.
- Peruuianus, qua ratione agat? 73. ſqq. 105. 107. 110. 117. 174. 203. 248. 255. 277. 366. 391. 421. 425. 442. 468. 500. 505. 529.
- Simaroubae 513.
- Winteranus 286. 391. 395. 396. 442. 446. 505. 553. 567.

Cremor tartari 103. 105. 110. 120. 145. 178. 192. 199. 266. 287. 291. 353. 359. 364. 382. 386. 396. 401. 405. 445. 467. 482. 483. 517. 520. 568. 600. 601. 627. 662. 667.
Creta 454.
Crocus 128. 175. 398. 461. 477. 618.
- antimoniatus 313. 468. 482.
- Martis. 505. 581.

Cryſtallus montana 191. 604. 683. 690. aliena eſt in inflammatione ventriculi 230.
Cuminum 506.
Cydonia 446. 506. 543. 606.

D.

Decoctum Antiuenereum 613. proficit obesis, nocet adstrictis corporibus ib.
- Auenae excorticatae 123. 128. 136. 180. 303. 320. 325. 416. 425.
- Chinae 322. 341. 367.
- Cichorei 467. laudatur in malo hypochondr. ib. in scirrho lienis 472. in scirrho haepatis 477.
- Cornu cerui 255.
- Equiseti 321.
- Furfuris 533.
- Graminis 501.
- Hordei 85. 126. 136. 161. 295. 310. 321. 416. 419. 425. 533.
- Mercurii viui 353.
- Sedi vermicularis, laudatur in scorbuto 626.
- Tartari 268. 291.
- Vrticae maioris 321.

Dentes Hippopotami 281.
Diacodium Montani 230. 320. 401. 416. 425. 652.
Diagrydium 287. 373. 387. 530. 569. 681.
Diascordium Fracastorii 92. 174. 290. 425. 493. 501. 506. 512. 525. 618. 668. 679.

E.

Ebur 255. 683.
Elaterium 569.
Electuarium de Hierapicra 517. 618.
Eleosaccharum 128. 180. 691.
Elixirium stomachicum Hofmanni 119. 312.
- proprietatis 285. 312. 507. 643.
- viscerale Hofmanni 337.
- vterinum Crollii 285. 460.

Emplastrum de Ammoniaco 473.
- de cicuta 473. 478.
- de cumino 340.
- diaphoreticum Mynsichti 323. 478. 681.
- Malacticum 307. 323.
- de Meliloto 159.
- Oxycroceum 443.
- Saponatum Barbette 426 - 643.

Emplaſtrum de ſpermate Ceti 687.
- de Tacamahaca 443. 544.
Eſſentia Abſynthii 255. 499. 517. 533.
- Alexipharmaca. 104. 129. 169. 172. 182. 220. 225. 391. 643.
- Amara 312.
- Ariſtolochiae 359.
- Carminatiua 119. 337.
- Cascarillae 344. 499. 500. 512.
- Caſtorei 344. 354. 460. 533. 631. 636. 686.
- Centaurii minoris 482.
- Corticum Aurantiorum 517. 553. 668.
- Euphorbii 359.
- Gentianae 517. 553.
- Fumariae 588.
- Glycyrrhizae 130. 220. 397.
- Myrrhae 90. 285. 588. 613.
- Pimpinellae 130. 160. 220. 285. 359. 426. 601. 619. 630.
- Succini 336. 347. 352. 353. 402. 412. 588. 640.
Extractum Abſynthii 252. 472.
- Cascarillae 219.
- Caſtorei 288. 461.
- Centaurii minoris 445. 472.
- Cichorei 552.
- Cochleariae 472.
- Eſulae 569.
- Fumariae 472.
- Hellebori 312. 373. 392.
- Opii 340.
- Panchymagogum Crollii 287. 347. 365. 386. 392. 435. 601. 613. 681. 709.
- Peti 395.
- Squillae 395. 567.

F.

Fel tauri 373. 530.
Flores Chamomillae 129. 162. 207. 220. 240. 299. 303. 335. 395. 410. 482. 483. 520. 555. 600. 619. 664. 678. 680. 694.
- Hyperici 421.
- Lauendulae 391.
- Liliorum alborum 207. conuallium 391.

Flores Naphae 172.
- Papaueris 410. 634.
- Perſicorum 425.
- Roſarum 225. 258. 277. 421.
- Sambuci 129. 160. 162. 225. 226. 588.
- Sulphuris 341. 421. 433. 589. 591.
- Verbaſci 160. 230. 241. 335. 410. 482. 485. 619. 664.

Folia
- Lactucae 600.
- Lauri 606.
- Parietariae 600.
- Sennae 105. 123. 128. 266. 286. 336. 351. 353. 359. 382. 386. 395. 396. 412. 419. 421. 477. 569. 594. 601. 606. 617. 618. 626. 634.

Frumentum Saracenicum 169.
Furfur 230. 590.

G.

Gelatinae 55.
Gilla Paracelſi. 375. 385. 433. 700.
Goſſypium 359.
Gummi Ammoniacum 302. 395. 397. 411. 412. 435. 446. 467. 472. 524. 538. 552. 574.
- Benzoe 347. 549. 707.
- Elemi 665.
- Galbanum 460. 461. 467. 529. 552.
- Tacamahaca 549.

H.

Herba Abrotani. 286. 529. 567.
- Abſynthii 182. 286. 442. 446. 473. 529. 567. 664.
- Acetoſae 137. 182. 205. 255. 472. 478. 487. 627. 629.
- Acriuiolae 472.
- Adianthi albi 520.
- Agrimoniae 529. 543. 594. 606.
- Alchymillae 271. 421. 606.
- Angelicae 286.
- Artemiſiae 552. 553. 664. 707.
- Beccabungae 482. 567. 628.
- Betonicae 172. 352. 386. 391. 544. 641.

Herba Biſtortae 271.
- Bryoniae 482.
- Capillorum Veneris 172. 220. 240. 256. 402. 689.
- Cardui benedicti 172. 182. 226. 252. 255. 402. 416. 434. 561. 594.
- Cardui Mariae 276.
- Centaurii minoris 182. 252. 442. 446. 482. 529. 560. 567.
- Centumpodii 276.
- Chamaedrios 641.
- Cicutae Epilepſiam inducit 648.
- Cochleariae 252. 416. 425. 472. 524. 567. laudatur in ſcorbuto 628. eius praeparata nullius vſus ſunt ibid.
- Cuſcutae 567. 588.
- Endiuiae 205. 627. 662.
- Fagopyri 239.
- Fumariae 182. 252. 396. 402. 524. 552. 560. 567. 588. 594. 628.
- Hyoſcyami 351.
- Hyperici 258.
- Hyſſopi 399. 549.
- Lactucae 230. 627. 662.
- Lauendulae 352.
- Maioranae 352. 549. 664. 707.
- Malicorii 606.
- Maluae 241. 410. 680.
- Marrubii 396. 544. 552. 567.
- Matricariae 286. 349. 664.
- Meliloti 482.
- Meliſſae 104. 247. 303. 352. 391. 543. 549. 552. 588. 606. 641. 664. 707.
- Menthae 286. 544. 549. 606.
- Millefolii 255. 256. 271. 399. 421. 488. 543. 606.
- Naſturtii 182. 472. 478. 482. 561. 594. 628.
- Origani 549.
- Pareirae brauae 240.
- Parietariae 410. 664.
- Petroſelini 205. 239. 240. 255. 287. 478.
- Peti 246.
- Pulegii 606. 707.
- Raphani 628.
- Rorismarini 286. 352. 544. 567. 606. 707.
- Rutae 226. 529. 553.

Herba Saluiae 172. 182. 225. 253. 352. 386. 391. 606. 641.
- Saniculae 421.
- Saponariae 594.
- Scabioſae 219. 277. 399.
- Scolopendrii 473. 588.
- Scordii 182. 226. 402. 529. 567.
- Sedi vermicularis 626.
- Serpilli 352. 544. 707.
- Tanaceti 529.
- Trifolii fibrini 396. 434. 529. 594. 628.
- Tormentillae 271.
- Verbaſci 225.
- Veronicae 129. 182. 219. 253. 256. 258. 277. 399. 402. 421.
- Vrticae minoris 421.

Hirudines 313. 391. in lethargo ex ſuppreſſis haemorrhoidibus 374.
Horaei fructus 162.
Hordeum 63.

I.

Infuſum Corticis aurantiorum 543.
- Corticis peruuiani cum limatura Martis 110. 113. 442. 467. 545. 570.
- Foeniculi 543.
- Malicorii 543.
- Millefolii 543.
- de pedra del porco 93.

Iulapium roſatum 425.

L.

Lac 161. 225. 240. 295. 567. 600. 671. vomicae rupturam maturare poteſt 419.
- *aſininum* 182. 257. 561.
- *caprillum* 182. 467. 478.

Lactuca 205. 466.
Lapides cancrorum 110. 225. 282. 303. 322. 364. 412. 420. 425. 442. 454. 482. 488. 589. 681.
Lapis Bezoar 93. 145. 159. 170.
- infernalis 354.
- Manati 310.

Laudanum liquidum 241. 288. 340. 635.
- opiatum 288. 340.

Lignum Guaiacum 549. 588. 613.
- Santalinum 352. 549.
- Sanctum 341. 601.
- Saſſafras 341. 347. 352. 392. 402. 434. 561. 588. 594. 601. 613. 619.

Limatura Martis 441. 442. 448. 553. 560.

Liquor anodynus Hoffmanni 85. 90. 225. 336. 386. 404. 426. 460. 517. 520. 581. 582. 635. 642. 654. 668.
- Cornu cerui ſuccinatus 374. 386. 391. 434.
- Perlarum 139.
- terrae foliatae tartari 84. 110. 127. 182. 252. 282. 338. 414. 425. alienus eſt in phthiſi, vbi diarrhoea ſuperuenit ib. 445. 446. 472. 482. 483. 488. 517. 520. 569. 634.

Lucii mandibulae 281.

Lumbrici terreſtres 653.

M.

Macis 499.

Magneſia alba 105. 231. 445. 448. 451. 454. 482. 499. 532. 569. 681.

Manna Calabrina 120. 123. 145. 162. 173. 246. 251. 276. 287. 291. 302. 315. 336. 338. 359. 386. 396. 401. 419. 421. 425. 445. 461. 467. 472. 517. 570. 600. 601. 617. 634. 642. 662. 667. 697.

Margaritae 681.

Martialia 107. 360. 366. 468. 482. 505. 517. 553. 558.

Maſſa Pilularum de Succino Cratonis 287.

Maſtix 347. 353. 359. 374. 549. 707.

Mater Perlarum 159. 514. 652. 690.

Medulla Rhabarbari 652. 690. 692.

Mel 225. 295. 373. 472. 520. 550.
- *roſatum* 619. 630.

Mercurius 594. in Ileo morbo 246. in ſurditate laudatus 354. ad ptyalismum datus raro bonus in paralyſi 392. quomodo in Lue venerea adhibendus ſit? 614. ſqq. in ſcorbuto non ſine periculo eſt 629.
- *dulcis* quid de eo ſtatuendum in variolis confluentibus? 173. 287. 365. 386. 529. 530. 587. 591. 594. 601. 604. 613. in Lue venerea laudatus 614. 681. 695. 707. 709.

Millepedae 249. 538.

Miua Cydoniorum 606.
Mixtura ſimplex 137.
Moxa 517.
Mucilago ſeminum Cydoniorum 659.
- corticis medii florum Tiliae 590.
Muſcus Corallinus 529. 653.
- Cranii humani 653.
Myrrha 461. 529. 552.

N.

Nitrum 82. 85. 87. 91 103. 110. 115. 120. 127. 137. 138. 159. 162. eius abuſus varia oculorum vitia relinquit 168-169. 172. 190. 225. 231. 246. 276. 281. 288. 291. 310. 320. 322. 364. 420. 433. 445. 451. 454. 482. 483. 488. 499. 520. 574. 538. 554. 567. 600. 604. 628. 630. 634. 652. 666. 667. 668. 671. 681. 692. 694. 706. 707. 710.
Nux Myriſtica 499. 506.

O.

Oleum 138. 295. 492. 520. 579. 667.
- *Abſynthii* 443.
- *Amygdalarum dulcium* 162. 230. 320. 410. 492. 512. 517. 533. 544. 618. 698.
- *Anethi* 323. 517. 698.
- animale Dippelii 653.
- *Aniſi* 443.
- *Capparum*, ſpecificum in ſcirrho lienis 473.
- *Carui* 443.
- *Caryophyllorum* 359. 386. 443. 656.
- *Caſtorei* 517.
- *Chamomillae* 517.
- *Foeniculi* 443.
- *Hyoſcyami* 351.
- *Lauendulae* 336. 368. 382. 386.
- *Ligni Rhodii* 336.
- *Liliorum alborum* 221. 316. 425. 618. 670. 695.
- *Lini* 176.
- *Macis* 386. 443.
- *Maioranae* 443.
- *Meliſſae* 443.
- *Menthae* 443.

Oleum Nucistae 337.
- *Saluiae* 386.
- *Tartari per deliquium* 148.
- *Verbasci* 316. 425.

Opiata nocent in febribus 88. in Colica 522. 524. in Rheumatismo 655.

Opium nocet in phrenitide 199. potest tamen ab initio nonnumquam dari ib.

Opoponax 529.

Ossa sepiae 529.

Oxycratum 198. 271.

Oxymel 83. 138. 169. 190. 219. 225. 323. 351. 483. 492. 662. 686. 691.
- *squilliticum* 84. 335. 366. 392. 397. 411. 435. 446. 538. 574. 686. 691. 699. 700. 706.

Oxysaccharum 483.

P.

Panacea Lemery 589. 591. 601. 614.

Passulae 83. 123. 128. 231. 246. 276. 287. 291. 315. 397. 401. 411. 419. 425. 482. 483. 488. 517. 520. 532. 606. 627. 634. 635. 662. 667.

Pilulae de *Ammoniaco* 118. 396. 446.
- *Becheri* 105. 110. 115. 120. 162. 246. 285. 291. 395. 412. 446. 454. 461. 499. 505. 511. 517. 522. 530. 532. 549. 552. 576. 581. 673. 677. 680. 709.
- de *Panchymagogo Crollii* 587.
- *Stahlii* 247. 252. 253. 286. 287. 289. 299. 303. 312. 461. 467. 477. 482. 518. 552. 560. 567. 662.
- de *Succino Cratonis* 336. 338. 347. 353. 365. 386. 601. 613.
- *Wildegansii* 635.

Pulvis Bezoardicus 110. 145. 159. 174. 426. 433.
- *Birkmanni* 107. 337. 366. 442. 581.
- *Cascarillae* 500.
- *Castorei* 668.
- de *Cynoglosso* 412.
- rad. *Iulappae* 560.
- *Rhabarbari* 405. 412. 437. 446. 499. 618. 667. 668. 679. 694. 699.
- *Squillae compositus Stahlii* 567.

R.

Radix Allii 173. 529. 567. laudatur in delirio febrili 88.
- Althaeae 160. 239. 241. 247. 335. 351. 410. 416. 483. 492. 553. 555. 588. 600. 619. 680.
- Angelicae 395. 529.
- Apii 239. 286. 416. 478. 525. 561.
- Ari 395. 396. 446. 505. 506. 553. 707.
- Ariſtolochiae 286. 395. 396. 529. 553. 567.
- Aſparagi 240. 484.
- Bardanae 392. 412. 588. 594. 601. 613.
- Biſtortae 606.
- Bryoniae 395. 396. 505. 560. 567. 594.
- Capparis 473.
- Carlinae 529.
- Caryophyllatae 253. 395. 402. 434.
- Chelidonii 484.
- Chinae 258. 312. 392. 398. 402. 442. 446. 488. 543. 588. 594. 601. 613. 629.
- Cichorei 104. 116. 159. 169. 172. 182. 205. 220. 225. 253. 255. 256. 287. 312. 335. 416. 482. 488. 543. 560. 561. 600. 606. 634. 635. 641. 662. 680.
- Coſti dulcis 434. 505. 553.
- Curcumae 484.
- Cyperi rotundi 288.
- Dictamni albi 529.
- Enulae 446.
- Eryngii 535.
- Foeniculi 239.
- Galangae 446. 529.
- Gentianae rubrae 442. 446. 529. 567. pro ſpecifica habetur in febribus intermittentibus 72.
- Glycyrrhizae 219. 239. 240. 247. 256. 321. 397. 402. 410. 416. 482. 483. 535. 543. 588. 615. 634. 635.
- Graminis 219. 225. 239. 253. 322. 478. 488. 543. 615.
- Helenii 553. 560. 567.
- Hellebori 286. 365.
- Ialappae 373. 569. 594. 613.
- Imperatoriae 567.
- Ipecacuanhae 84. 110. 192. 405. 502. 511. 666. optimum emeticum eſt in Cholera 492.

Radix Iridis Florentinae 367. 396.
- *Leuiſtici* 707.
- *Mechoacannae* 505. 569. 594.
- *Pareirae bravae* 635.
- *Petaſitidis* 567.
- *Petroſelini* 416. 478. 483. 561.
- *Pimpinellae* 286. 353. 354. 359. 379. 395. 396. 434. 505. 553. 560. 567. 594. 601. 613.
- *Polypodii* 402. 482. 543.
- *Pyretri* 353. 354.
- *Rhabarbari*, magni vſus eſt in febribus 63-105. 110. 145. 162. 173. 182. 188. 192. 253. 256. 282. 286. 302. 338. 353. 367. 386. 391. 396. 412. 445. 446. 477. 482. 485. 492. 505. 511. 517. 530. 532. 543. 552. 560. 582. 617. 626. 666. 667. 671. 677. 691. 700. 701. 706.
- *Saſſaparillae* 104. 116. 129. 159. 161. 182. 220. 253. 256. 341. 402. 561. 588. 601. 613. 615. 629. 635. 641.
- *Scorzonerae* 104. 116. 159. 161. 164. 172. 182. 205. 225. 231. 239. 247. 253. 255. 256. 303. 321. 335. 402. 410. 419. 466. 478. 511. 535. 543. 561. 588. 600. 635. 680.
- *Squillae* 395. 529. 567.
- *Symphyti* 421.
- *Taraxaci* 104. 228. 478. 482. 553.
- *Tormentillae* 606.
- *Valerianae* 396. 567. 594.
- *Vincetoxici* 104. 129. 396. 402. 434. 482. 543. 553. 594. 606.
- *Zedoariae* 446. 505. 529.
- *Zingiberis* 446. 505.

Reſina Ialappae 347. 587.

Regulus Antimonii medicinalis ſpecificum in ſcabie 589.

Rheum 120. 123. 160. 178. 247. 336. 414. 451. 454. 477. 662.

Ribeſium 190. 206. 527. 627.

Roob Ceraſorum 136. 169. 483.
- Ribeſiorum 169. 483.

Rubinus Sulphuris Rulandi 421.

Rubus Idaeus 190.

S.

Sabina 286.
Saccharum 128. 145. 434. 505. 509. 533.
- Saturni 607.
Sal alienum in purpura 160.
- *Abſynthii* 115. 448. 482. 467. 569. 662.
- *Ammoniacum* 581. ſpecif. in febribus intermittentibus 72.
- *Anglicum* volatile 656.
- *Cardui benedicti* 103. 115. 448. 467. 482. 552. 662.
- *Cathartticum* 84. 103. 105. 266. 359. 382. 395. 396. 405. 412. 421. 445. 454. 461. 477. 482. 532. 626. 630. 681.
- *Commune* 190. 271. 571. 667.
- *Cornu Cerui* volatile 368.
- *Gemmae* 517.
- *Hellebori* nigri 552.
- *Mirabile Glauberi* 115. 482.
- *Stipitum fabarum* 482. 569.
- *Tachenii* 626.
- *Thermarum Carolinarum* 103. 115. 118. 364. 454. 467 482. 505. 560. 569. 626. 662.
- *Vitrioli* albi 375. 700.
- *Volatile* Cornu Cerui 641.
oleoſum Syluii 386. 391. 434. 446.
Sanguis Draconis 630.
- humanus decoctus 653.
Sapo Venetus 324. 425. 446. 467. 472. 552. 560. 662. 691. 700.
Saturnina aliena in malo hyſterico 461.
Sebeſten 128. 401. 411.
Semen Aniſi 172. 182. 220. 336. 391. 395. 399. 506. 553. 694. 707.
- *Cardui* benedicti 253.
- Cardui Mariae 159. 172. 219. 232. 397. 514.
- Carui 286. 336. 347. 398. 442. 446. 501. 512. 518. 520. 668. 683.
- *Chaerephylli* 220. 225. 255. 256. 277. 303. 421. 524.
- *Coriandri* 386. 391.
- *Cubebarum* 386.
- *Foeniculi* 104. 116. 159. 161. 172. 182. 220. 253. 286. 347. 352. 391. 395. 398. 399. 402. 434. 442.

442. 446. 482. 484. 501. 506. 512. 533. 543. 600. 707.
- Nasturtii aquatici 482.
- Nigellae 668. 683. 694.
- Papaueris 88. 129. 159. 172. 205. 219. 225. 230. 239. 241. 268. 276. 397. 482. 514. 634.
- *Petroselini* 482. 707.
- *Santonici* 529. 530.
- *Sinapi* 173. 529. alienum in vertigine 368.

Serum Lactis 169. 190. 239. 254. 320. 402. 483. 533. 588. 628. 662. chalybeatum 321. 472.

Sigillum Salomonis 271.

Species de Hyacintho 91.

Specificum Cephalicum 90. 359. 652. 653. 698.
- *Stahlii* antiphlogisticon 653.

Sperma Ceti 128. 180. 410. 466. 698. 699.

Spiritus bezoardicus Bussii 90. 336. 391. 404. 634. 642.
- Cochleariae 630.
- Cornu Cerui 374. 386. 412. 434.
- Formicarum 393.
- Lumbricorum terrestrium 393.
- Nitri 135. 282. 517. 634.
- Salis ammoniaci 368. 382. 460. 656. alienus in epilepsia 651. anisatus 412. cum calce viua 373. communis 135.
- Sanguinis humani 653.
- Sulphuris 443.
- Vini camphoratus 354. 393.
- Vitrioli 135. in variolis confluentibus 173. specificum in Soda 454.

Stannum pulverisatum 529.

Stercus Pauonis 653.

Succinum 336. 606.

Succus Citri 91. 110. 127. 136. 164. 225. 276. 295. 310. 375. 412. 420. 425. 454. 488. 492. 549. 629. 668. 681.
- Glycyrrhizae 128. 401.

Sulphur 412. omittendum in Scabie, si febris accessit 589. Antimonii 433. 594.

Syrupus, acetositatis citri 136. 205.
- de Althaea 128. 219. 220. 230. 240. 396. 401. 416. 574. 652.

Syrupus Capillorum Veneris 128. 220. 396. 401. 410. 425. 574. 673. 699.
- de Cichoreo cum Rhabarb. 276. 483. 587. 690. 691.
- Coralliorum 656.
- de Eryſimo Lobelii 401.
- Fumariae 591.
- Perſicorum 530. 690.
- Rhamni Catharctici 567.
- Roſarum pallidarum 425. 601.
- Rubi Idaei 433.
- de Spina Cerui 567. 587.
- Violarum 225. 230. 634.

Syrupi alieni ſunt in phthiſi, vbi diarrhoea ſuperuenit 425.

T.

Tabacum, eius abuſus plurimum confert ad purpuram ſcorbuticam 161.

Tamarindi 83. 105. 123. 145. 190. 199. 225. 246. 255. 276. 287. 291. 302. 315. 338. 351. 382. 401. 419. 421. 425. 445. 461. 467. 472. 482. 483. 520. 532. 587. 600. 626. 634. 662.

Tartarus emeticus 385. 392. 405. 433. 569. non ſatis tutus in Cholera 492.
- *tartariſatus* 115. 414. 443. 482. 505. 517.
- *vitriolatus* 84. 105. 115. 266. 338. 433. 437. 443. 482. 700.

Terra Catechu 271. 281.
- foliata tartari. 238. 414. 445. 482. 568.
- Sigillata. 281. aliena in inflammatione ventriculi 230.

Terrea aliena ſunt in Cephalalgia 338.

Teſtudines 425.

Thee 128. 410. 697.

Terebinthina 492. 501. 514. 529. 581. 602. aliena in nephritide 239.

Theriaca 230. 340.

- Andromachi 92. 174. 425. 493. 501. 525.
- coeleſtis 493.

Thermae 254. 266. 289. 340. 366. 392. 450. 461. 529. in Epilepſia quando ſalutares? 652. in ſterilitate multum efficiunt 664. vomicam pulmonum relinquunt. 419.

- Aquisgranenſes 446. 707. in Soda laudatae 454.
- Carolinae 286. 405. 446. 461. 466. 482. 505 549. 552. 560. 641. 665. dubiae in gonorrhoea 606.
- Toeplicenſes 549. 606. 636. 665. in chlorôſi laudantur 553.
- Wildungenſes 636.
- Wolkenſtenienſes 636.

Thus 549. 707.

Tinctura Antimonii 336. 347. 352. 352. 374. 402. 412. 434. 549. 560. 569. 588. 601. 604. 613. 635.

- Antivenerea 613.
- Coralliorum 282. 386.
- Fuliginis cum Spiritu Salis Ammoniaci 760.
- Martis helleborata Wedelii 286.
- Martis Ludouici 107. 282. 286. 313. 337. 442. 477. 482. cum ſucco pomorum Borsdorf. 477. cum vino Maluatico 442.
- Martis tartariſata 442.
- Salis tartari 570. Harueana 560.
- Tartari 560.
- terrae Catechu 276.

Vinum 104. 116. 119. 136. 145. 477. 484. 500. 501. 517. 543. 552. 553. 567. 570. 594. 643. 662. 665. 709.

Viperae 588.

Virga aurea 421.

Viſcus quernus 653.

Vitellum ouorum 276. 277. 425. 460. 492. 501. 581. 604. 613. 618. 662. 679.

Vnguentum Agrippae 530.

- de *Althaea* Fernelii. 460.
- de *Ceruſſa* 590.
- de *Linaria* 525.
- *Neapolitanum* 590. 601.
- Pomatum 670.

Vngula Alcis 653.